UANL
DAD AUTÓNOMA DE NUEV
CIÓN GENERAL DE BIBLIOTEC

LUGDUN

Theologi

5.

BX1750
.V35
1784
v.5
c.1

1080045146

UNIVERSIDAD AUTONOMA DE NUEVO LEON
CAPILLA ALFONSINA BIBLIOTECA UNIVERSITARIA
MICROFILMADO
DEC. 9/83

Rollo 14

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

INSTITUTIONES
THEOLOGICÆ.

TOMUS QUINTUS.

46455

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

UNIVERSIDAD AUTONOMA DE NUEVO LEON
ALERE FLAMMAM VERITATIS
FONDO BIBLIOTECA PUBLICA
DEL ESTADO DE NUEVO LEON
132737

INSTITUTIONES THEOLOGICÆ,

AUCTORITATE

D. D. ARCHIEPISCOPI

LUGDUNENSIS,

Ad usum Scholarum suæ Diœcesis editæ.

TOMUS QUINTUS.

LUGDUNI,

Apud FRATRES PERISSE, Scholarum Lugdunensium Bibliopolas, in vico majori Mercatorio.

M. DCC. LXXXIV.

Cum Approbatione et Privilegio Regis.

1784

BX1750
.V35
1784

INSTITUTIONES THEOLOGICÆ.

TRACTATUS DE SACRAMENTO ORDINIS.

ORDINIS nomen hìc accipimus pro actione quâ Ministris Ecclesiæ accensetur aliquis, & quæ propriè dicitur *Ordinatio*. Definiri autem solet, *Sacramentum novæ legis, quo specialis potestas & gratia confertur ad obeunda munia ecclesiastica*. Cujus definitionis genus est, *Sacramentum novæ legis*; differentia verò in aliis verbis sita est; siquidem Ordinatio à ceteris Sacramentis in eo discrepat, quòd specialem potestatem & gratiam conferat, ad functiones ecclesiasticas ritè exercendas.

Si quis objiciat definitionem hanc ceteris infra

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

BX1750
.V35
1784

INSTITUTIONES THEOLOGICÆ.

TRACTATUS DE SACRAMENTO ORDINIS.

ORDINIS nomen hìc accipimus pro actione quâ Ministris Ecclesiæ accensetur aliquis, & quæ propriè dicitur *Ordinatio*. Definiri autem solet, *Sacramentum novæ legis, quo specialis potestas & gratia confertur ad obeunda munia ecclesiastica*. Cujus definitionis genus est, *Sacramentum novæ legis*; differentia verò in aliis verbis sita est; siquidem Ordinatio à ceteris Sacramentis in eo discrepat, quòd specialem potestatem & gratiam conferat, ad functiones ecclesiasticas ritè exercendas.

Si quis objiciat definitionem hanc ceteris infra

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

Diaconatum Ordinibus non convenire, qui juxtà probabilem multorum opinionem, Sacramentis non sunt annumerandi, respondebimus moris esse, ut nomina analoga ex nobiliori & potissimâ parte definiantur. Si tamen definitionem generalem desideres, quæ ad singulos Ordines pertineat, in promptu erit ista: *Ordo est ritus sacer, quo traditur potestas quasdam Ecclesiæ functiones obeundi.* Cùm in Sacerdotibus consecrandis præcipuum locum semper habuerit manuum impositio, inde factum est ut Veteres Ordinationi nomen *impositionis manuum* indiderint.

Hujusce Tractatûs septem erunt capita: in 1°. inquiremus utrùm Ordo verum sit novæ legis Sacramentum; in 2°. quis sit Ordinum numerus; in 3°. de singulis speciatim; in 4°. de sacræ Ordinationis Ministro; in 5°. de illius subjecto, & conditionibus ad eam suscipiendam requisitis; in 6°. de Ordinationis effectibus; in 7°. de cælibatu sacris Ordinibus annexo dicturi sumus.

CAPUT PRIMUM.

Utrùm Ordo verum sit novæ legis Sacramentum.

ILLUD Religionis Christianæ dogma non semel aggressi sunt recentiores Hæretici: *Hoc Sacramentum*, ait Lutherus, *Ecclesia Christi ignorat, inventumque est ab Ecclesia Papæ. (Lib. de captiv. Babyl. tom. 2. pag. 84. edit. Wittemberg.)* Ad impugnandum autem illud Sacramentum, non eum impulit veritatis amor, sed impotens in Romanum Pontificem furor, ut satis ipse his verbis indicat: *Nisi fallor, si ruat hoc Sacramentum &*

commentum aliquandò, vix subsistet ipse Papatus. (Ibid. pag. 86.)

Calvinus etiam Ordinem ex Sacramentorum albo censetur expungere, cùm duo tantùm Sacramenta, sicut & Lutherani, recenseat, Baptismum nempè & Eucharistiam; sibi tamen parùm constans, *Superest*, inquit, *impositio manuum, quam in veris legitimisque Ordinationibus Sacramentum esse concedo. (Lib. 4. institut. cap. 19. n. 31.)*

PROPOSITIO.

Ordinatio, saltem aliqua, verum est novæ legis Sacramentum.

Probatur 1°. ex Scriptura. Ad verum novæ legis Sacramentum tria requiruntur & abundè sufficiunt, fatentibus ipsis Novatoribus, scilicèt ritus exterior & sensibilis, vix gratiæ conferendæ, & divina institutio: atqui, teste Scriptura, tres illæ conditiones in sacra Ordinatione reperiuntur.

1°. Quidem est ritus exterior ac sensibilis, cùm adjunctas habeat manuum impositionem & orationem. De septem enim primis Diaconis sic loquitur Autor sacer: *Hos statuerunt ante conspectum Apostolorum, & orantes imposuerunt eis manus.* (*Act.* 6. 6.) Pariter de Ordinatione Pauli & Barnabæ legitur: *Tunc jejunantes & orantes, imponentesque eis manus, dimiserunt illos* Apostoli. *(Ibid. cap. 13. 3.)*

2°. Vim habet gratiæ conferendæ: Nam Discipulum suum sic monet Apostolus: *Noli negligere gratiam... quæ data est tibi... cum impositione manuum Presbyterii.* (*Tim.* 4. 14.) *Admoneo te ut resuscites gratiam Dei quæ est in te per impositionem manuum mearum.* (2. *Tim.* 1. 6.)

3°. Ordinatio est divinitùs instituta: sic enim narrat Lucas: *Dixit illis Spiritus Sanctus: Segregate mihi Saulum & Barnabam... Tunc imponentes eis manus, dimiserunt illos* Apostoli; (*Act.* 13. *v.* 2, 3.)

quæ verba divinum mandatum sonant, divinamque institutionem. An pariter humanum quid sapiunt ista alia? *Attendite vobis & universo gregi, in quo vos Spiritus Sanctus posuit Episcopos regere Ecclesiam Dei.* (*Ibid. cap.* 20. *v.* 28.) Prætereà solius Dei est signis sensibilibus gratiam illigare: atqui ex modò prolatis Scripturæ testimoniis, Ordinationi sive manuum impositioni illigata est gratia; Ordinationi igitur nihil horum deest, quæ ad constituendum veri nominis Sacramentum necessaria sunt; ergo, &c.

Prob. 2°. ex Patribus. S. Augustinus sic retundit Donatistas, qui Baptismum quidem per hæresim non extingui, sed baptizandi facultatem Sacerdotali Ordinationi annexam prorsùs auferri contendebant: *Ipsi explicent quomodò Sacramentum baptizati non possit amitti, & Sacramentum Ordinati possit amitti... Si enim utrumque Sacramentum est, quod nemo dubitat, cur illud non amittitur, & istud amittitur? neutri Sacramento injuria facienda est.* (*Lib.* 2. *contra Parmenian. cap.* 13. *n.* 30. *t.* 9. *pag.* 45.) Itaque, judice Augustino, Ordinatio non minùs propriè Sacramentum est, quàm Baptismus: atqui Baptismus, fatentibus Pseudo-Reformatis, verum proprièque dictum novæ legis Sacramentum est; ergo & Ordinatio.

S. Leo præcipit *ut sacra Ordinatio jejunis & à jejunantibus conferatur, ... ne tantæ benedictionis Sacramentum negligenter videatur impletum.* (*Epist.* 11. *cap.* 1. *tom.* 1. *pag.* 436. *edit. Quesnel.*) Idem Doctor, post exposita vitia quæ in sacras Ordinationes irrepserant: *Quis ergo*, inquit, *dissimulare audeat, quod in tanti Sacramenti perpetratur injuriam?* (*Ibid pag.* 401.)

S. Thomas: *Constat*, inquit, *Ordinem esse Sacramentum.* (*In* 4. *dist.* 24. *quæst.* 1. *art.* 1. *quæstiunc.* 3.) Atqui præfati illi Patres Ordinationem Sacramentum disertè appellant; non igitur novum, sed à Patribus acceptum dogma confirmat

Synodus Tridentina, quandò sic pronuntiat: *Si quis dixerit Ordinem, sive sacram Ordinationem, non esse verè & propriè Sacramentum à Christo Domino institutum, ... anathema sit.* (*Sess.* 23. *de Ordine, can.* 3.)

Dixi autem in propositione, *Ordinatio saltem aliqua*; infrà enim expendemus an singuli Ordines totidem sint Sacramenta.

Solvuntur objecta.

Objicies 1°. Christus manuum impositionem non usurpavit, cùm Apostolos fecit Sacerdotes; neque enim ritum illum adhibuit, sive in suprema cœna, quando iis dixit: *Hoc facite in meam commemorationem;* (*Luc.* 22. 19.) sive cùm peccata dimittendi potestatem ipsis contulit his verbis: *Accipite Spiritum Sanctum; quorum remiseritis peccata, &c.* (*Joan.* 20. *v.* 22. 23.) Ergo manuum impositio in qua maximè sita est Ordinatio, non fuit à Christo instituta, nec proindè est novæ legis Sacramentum.

Resp. 1°. Transeat antecedens, quia probari non potest manuum impositionem à Christo non fuisse adhibitam; id quidem non ait Scriptura: at certè neque etiam negat; aliundè verò certum est multa à Christo facta esse, quæ scripta non fuerunt.

Resp. 2°. Neg. conseq. Quamvis enim Christus supremus gratiæ suæ dominus & arbiter, nullisque signis alligatus, Apostolos sine manuum impositione fecisset Sacerdotes, potuit tamen statuere ut deinceps sine illo ritu non consecrarentur; sic, licèt Christus mulieri peccatrici scelerum veniam, & Apostolis gratiam roboris in die Pentecostes absque Sacramento concesserit, non ideò tamen voluit ut posteà sine Sacramento peccatores absolverentur, & Christiani gratiam confirmantem reciperent: manuum autem impositionem quà consecrantur Ecclesiæ Ministri, à Christo re-

verà fuisse institutam inde patet, quòd ex Scripturis & Traditione compertum habeamus, huic manuum impositioni insitam esse gratiæ conferendæ virtutem; quod solus Deus potuit efficere.

Obj. 2°. Manuum impositio erat communis quædam cæremonia quâ Judæorum more passim utebantur Apostoli, v. g. quando morbos curabant, juxta illud Marci: *Super ægros manus imponent, & benè habebunt:* (*Cap.* 16. 18.) Atqui hujusmodi cæremonia non potest esse ritus Sacramentalis; ergo, &c.

Resp. Neg. min. Inde enim hoc unum sequitur, scilicèt non omnem manuum impositionem, tùm à Christo, tùm ab Apostolis usurpatam, verum fuisse Sacramentum; quod ultrò confitemur; sed quia Judæi & Apostoli manuum impositionem frequenter adhibuerunt, perperàm inde concluditur eam quâ consecrantur Ministri, verum non esse Sacramentum. Nonne vulgares & frequentissimæ apud Judæos erant ablutiones? Nonne cæremoniam hanc sæpè sæpiùs usurpârunt Apostoli? Atqui tamen ablutionem baptismalem pro verò Sacramento habent adversarii, quia scilicèt ipsi divinitùs insita est gratiæ conferendæ virtus: atqui eamdem efficaciam vindicat Scriptura manuum impositioni, quâ instituuntur Ecclesiæ Ministri; ergo pariter eam Sacramentis annumerare necesse est.

Obj. 3°. Ille tantùm ritus dici potest sacramentalis, qui recipienti gratiam sanctificantem confert, quæ communis est omnium Sacramentorum effectus: atqui impositio manuum de quâ agitur, gratiam sanctificantem non confert, sed eam duntaxat quæ ad aliorum salutem datur, & dici solet *gratia gratis data.* Sic enim Timotheum hortatur Apostolus: *Noli negligere gratiam quæ.... data est tibi per prophetiam*, (sive ut plures volunt, in prophetiam) *cum impositione manuum Presbyterii.* (1. *Tim.* 4. 14.) Prophetia autem est gratia tantùm gratis data; ergo, &c.

Resp. Neg. min. Apostolus enim eumdem Discipulum sic alloquitur: *Admoneo te ut resuscites gratiam Dei, quæ in te est per impositionem manuum mearum:* (2. *Tim.* 1. 6.) ut autem quænam sit hæc gratia explicet, statim subjungit: *Non enim dedit nobis Deus spiritum timoris, sed virtutis & dilectionis:* atqui nemo dixerit spiritum dilectionis non esse nisi gratiam *gratis datam*, quæ etiam in impiis reperiri potest.

Nec quidquam nocent hæc verba: *Quæ data est tibi per prophetiam:* nam licèt eo sensu intelligerentur, quòd per manuum impositionem Timotheo concessum fuerit prophetiæ donum, quid inde? An propterèà excluderetur gratia sanctificans, sive potiùs illius incrementum? Minimè quidem: utraque enim gratia rectè simul consistere potest; sed longè magis genuina est eorum interpretatio, qui hunc locum sic exponunt, *quæ data est tibi per prophetiam;* id est, juxta revelationem mihi factam, quâ didici fore ut, licèt juvenis, episcopali munere ritè fungereris: sensus ille optimè cohæret cum iis Apostoli verbis ad eumdem Timotheum: *Hoc præceptum commendo tibi, secundùm præcedentes in te prophetias*, (id est, revelationes de te factas) *ut milites in illis bonam militiam.* (1. *Tim.* 1. 18.)

CAPUT II.

Quis sit Ordinum numerus.

CALVINUS contendit tres ad summum esse veros Ordines, Episcoporum scilicèt, Presbyterorum & Diaconorum. (*Lib.* 4. *instit. cap.* 19.) In Ecclesia Latina septem numerantur, de quibus sic

differt Concilium Tridentinum : *Non solùm de Sacerdotibus, sed & de Diaconis Sacræ Litteræ apertam mentionem faciunt : .... ab ipso Ecclesiæ initio sequentium Ordinum nomina, atque uniuscujusque eorum propria ministeria, Subdiaconi scilicèt, Acolythi, Exorcistæ, Lectoris & Ostiarii in usu fuisse cognoscuntur, quamvis non pari gradu.* (*Sess.* 23. *de Ordine*, *cap.* 2.) Quibus verbis septem Ordines ita admittit Synodus Tridentina, ut eorum sententiam non damnaverit, qui plures agnoverunt, ne litem Scholasticam dirimat : sunt enim Theologi Catholici qui docent Episcopatum esse Ordinem Ecclesiasticum ; nonnulli etiam addunt Tonsuram clericalem.

Septem Ordines quos memorat sancta Synodus, jam antiquitùs in Ecclesia Latina constitutos esse, ex Veterum monumentis constat. Medio enim sæculo III, Cornelius Papa testatur eâ ætate *Romæ fuisse Presbyteros* 44, *Diaconos* 7, *totidemque Subdiaconos, Acolythos* 42, *Exorcistas & Lectores cum Ostiariis* 52. (*Apud Euseb. Lib. 6. Histor. Eccl. c.* 43. *pag.* 244.) In Concilio etiam Carthaginensi IV an. 398, sigillatim recensentur præfati Ordines ; eorumque officia, & ritus quo conferri solebant, describuntur. (*Tom.* 2. *Concil. p.* 1199 & 1200.)

Apud Græcos multis abhinc sæculis quatuor tantùm esse Ordines, nimirùm Sacerdotis, Diaconi, Subdiaconi & Lectoris, ex ipsorum Euchologiis apertum est. Dixi autem, *multis abhinc sæculis ;* utrùm enim plures olim Ordines in Ecclesia Græca fuerint, disputant Theologi ; fatentur quidem eadem ministeria, quibus in Ecclesia Latina funguntur Ostiarii, Exorcistæ & Acolythi, apud Græcos olim extitisse, ac etiamnùm exerceri ; sed ambigitur utrùm eadem hæc officia fuerint veri nominis Ordines, id est, per veram proprièque dictam Ordinationem collata. Qua de controversia videas Carolum *Witasse*, *Tom.* 1. *de Sacram. Ord.* & Hyacinthum *Drouin. Tom.* 2. *de re sacram.* Ex septem ordinibus suprà recensitis, qui in Ecclesia Latina jam à prioribus sæculis vigent, tres sunt qui dicuntur *majores & sacri*, scilicèt Presbyteratus, Diaconatus, & Subdiaconatus, quia propiùs ad Eucharistiam accedunt, quæ primarius est omnium Ordinum finis ; quatuor autem alii propter rationem oppositam appellari solent *minores*.

CAPUT III.

De singulis speciatim Ordinibus.

De singulis Ordinibus breviter dicturi sumus, à minoribus ad majores progrediendo ; sed priùs aliquid delibandum ex Tonsura quæ Ordinibus præmitti solet.

ARTICULUS PRIMUS.

De Tonsura.

Quæres 1°. quomodò definiatur Tonsura, & quænam dotes ad eam sint afferendæ.

Resp. 1°. Tonsura sacra est ceremonia, quæ Laicum à vita sæculari segregat, Cleroque adscribit, & ab Ecclesia fuit institura. Dicitur 1°. *ceremonia*, ritus scilicèt in capillorum recisione & orationibus adjunctis consistens ; 2°. *sacra*, quia ad Dei gloriam ejusque cultum promovendum solemniter in Ecclesia celebratur ; 3°. *quæ Laicum à vita sæculari segregat, Cleroque adscribit ;* per Tonsuram enim Laicus totum se Deo devovet,

differt Concilium Tridentinum : *Non solùm de Sacerdotibus, sed & de Diaconis Sacræ Litteræ apertam mentionem faciunt : .... ab ipso Ecclesiæ initio sequentium Ordinum nomina, atque uniuscujusque eorum propria ministeria, Subdiaconi scilicèt, Acolythi, Exorcistæ, Lectoris & Ostiarii in usu fuisse cognoscuntur, quamvis non pari gradu.* (*Sess.* 23. *de Ordine*, *cap.* 2.) Quibus verbis septem Ordines ita admittit Synodus Tridentina, ut eorum sententiam non damnaverit, qui plures agnoverunt, ne litem Scholasticam dirimat : sunt enim Theologi Catholici qui docent Episcopatum esse Ordinem Ecclesiasticum ; nonnulli etiam addunt Tonsuram clericalem.

Septem Ordines quos memorat sancta Synodus, jam antiquitùs in Ecclesia Latina constitutos esse, ex Veterum monumentis constat. Medio enim sæculo III, Cornelius Papa testatur eâ ætate *Romæ fuisse Presbyteros* 44, *Diaconos* 7, *totidemque Subdiaconos, Acolythos* 42, *Exorcistas & Lectores cum Ostiariis* 52. (*Apud Euseb. Lib. 6. Histor. Eccl. c.* 43. *pag.* 244.) In Concilio etiam Carthaginensi IV an. 398, sigillatim recensentur præfati Ordines ; eorumque officia, & ritus quo conferri solebant, describuntur. (*Tom.* 2. *Concil. p.* 1199 & 1200.)

Apud Græcos multis abhinc sæculis quatuor tantùm esse Ordines, nimirùm Sacerdotis, Diaconi, Subdiaconi & Lectoris, ex ipsorum Euchologiis apertum est. Dixi autem, *multis abhinc sæculis ;* utrùm enim plures olim Ordines in Ecclesia Græca fuerint, disputant Theologi ; fatentur quidem eadem ministeria, quibus in Ecclesia Latina funguntur Ostiarii, Exorcistæ & Acolythi, apud Græcos olim extitisse, ac etiamnùm exerceri ; sed ambigitur utrùm eadem hæc officia fuerint veri nominis Ordines, id est, per veram proprièque dictam Ordinationem collata. Qua de controversia videas Carolum *Witasse*, *Tom.* 1. *de Sacram. Ord.* & Hyacinthum *Drouin. Tom.* 2. *de re sacram.* Ex septem ordinibus suprà recensitis, qui in Ecclesia Latina jam à prioribus sæculis vigent, tres sunt qui dicuntur *majores & sacri*, scilicèt Presbyteratus, Diaconatus, & Subdiaconatus, quia propiùs ad Eucharistiam accedunt, quæ primarius est omnium Ordinum finis ; quatuor autem alii propter rationem oppositam appellari solent *minores*.

CAPUT III.

De singulis speciatim Ordinibus.

De singulis Ordinibus breviter dicturi sumus, à minoribus ad majores progrediendo ; sed priùs aliquid delibandum ex Tonsura quæ Ordinibus præmitti solet.

ARTICULUS PRIMUS.

De Tonsura.

Quæres 1°. quomodò definiatur Tonsura, & quænam dotes ad eam sint afferendæ.

Resp. 1°. Tonsura sacra est ceremonia, quæ Laicum à vita sæculari segregat, Cleroque adscribit, & ab Ecclesia fuit institura. Dicitur 1°. *ceremonia*, ritus scilicèt in capillorum recisione & orationibus adjunctis consistens ; 2°. *sacra*, quia ad Dei gloriam ejusque cultum promovendum solemniter in Ecclesia celebratur ; 3°. *quæ Laicum à vita sæculari segregat, Cleroque adscribit ;* per Tonsuram enim Laicus totum se Deo devovet,

& Clericorum privilegiis fruitur : potest nimirùm beneficia possidere, ad Ordines promoveri, &c. 4°. *Ab Ecclesia fuit instituta* : eam quippè ecclesiasticæ, non divinæ institutionis est, inde patet quòd nulla primis Ecclesiæ sæculis ipsius mentio habeatur. Antiquissimum tamen esse hunc ritum constat ex Gregorio Turonensi qui sæculo VI floruit, & Tonsuræ non semel meminit.

Resp. 2°. Quænam *dispositiones* ad Tonsuram afferendæ sint, docet Concilium Tridentinum his verbis : *Primâ Tonsurâ non initientur, qui Sacramentum Confirmationis non susceperint, & fidei rudimenta edocti non fuerint, quique legere & scribere nesciant, & de quibus probabilis conjectura non sit eos, non sæcularis judicii fugiendi fraude, sed ut Deo fidelem cultum præstent, hoc vitæ genus elegisse.* (*Sess.* 23. *de reform. cap.* 4.) Unde manifestum est gravis criminis reos esse, qui Tonsuram accipiunt, non ut sæculum abjiciant, solique Christo militent ; sed ut sæculum in Ecclesia quærant, sub mentitæ pietatis obtentu, ambitioni, avaritiæ, otio, propriisque commodis servientes.

Quæres 2°. quænam sint Tonsuræ ritus præcipui.

Respondeo 1°. Initiandi, depositò sæculari habitu, nigrâque & talari veste induti, superpelliceum in brachio, sinistro, & cereum in manu dextra gestantes, coram Pontifice genibus flexis sistunt. Adstantes invitat Præsul, ut Dominum nostrum Jesum Christum orent *pro his famulis suis, qui ad deponendum comas capitum suorum pro ejus amore festinant, ut donet eis Spiritum Sanctum, qui habitum Religionis in eis in perpetuum conservet.*

2°. Recitatur Psalmus 15 : *Conserva me, Domine,* & interim Episcopus unicuique extremos resecat capillos in fronte, in occipitio, ad utramque aurem, & in medio capite ; quæ dum peraguntur,

quilibet cum Propheta dicit : *Dominus pars hæreditatis meæ, & calicis mei : tu es qui restitues hæreditatem meam mihi.* (*Ibid. v.* 5.)

3°. Post geminam orationem, Pontifex singulis superpelliceum imponit, dicens : *Induat te Dominus novum hominem, qui secundùm Deum creatus est in justitia & sanctitate veritatis :* quæ oratio à piis quibuscumque Clericis, quotiès superpelliceum induunt, sic recitatur : *Indue me, Domine, novum hominem, qui, &c.*

Quæres 3°. quid præfatis Tonsuræ ritibus designetur.

Resp. Ex iis ritibus nullus est, qui ad instillandos veræ pietatis sensus non sit accommodatus. 1°. Enim initiandus omnia sæculi ornamenta & insignia exuendo, se totum esse Deo mancipatum, mundoque valedicere profitetur ; caveat ergo ne pacti coram Deo & altaribus fœderis violator sacrilegus, eorum aliquid resumat, quæ solemniter abjecit, & liber pontificalis *sæculi ignominiam* nuncupat.

2°. Ex cereo accenso quem gestant initiandi, debent intelligere in illud præsertim incumbendum sibi esse, ut *luceat lux* ipsorum *coram hominibus*, qui inde *Patrem* cœlestem *glorificent.*

3°. Capillorum recisio duo significat ; primum, non solùm Domino consecrari Clericum, sed & illius servum ac mancipium fieri ; mos enim olim erat, ut servis capilli resecarentur : secundum, eum sæcularis vitæ superfluitati vanitatique nuntium remittere : nam prolixa cæsaries superfluitatem, nimiaque illius cura vanitatem designat. Hæc meminerint Clerici, qui in comis ornandis & eleganter crispandis tantùm insumunt temporis.

4°. Superpelliceum induuntur Clerici, ut inde intelligant se, depositâ sæculari veste, & sacro Religionis habitu sumpto, novos homines esse debere, morum innocentia vitæque integritate,

quod satis indicat candor ipse superpellicei. Idcircò Pontifex eos induens sic precatur: *Induat te Dominus novum hominem*, &c.

Articulus II.

De Ostiarii, Lectoris, Exorcistæ & Acolythi Ordinibus.

Minorum Ordinum primus est *Ostiariatus*, per quem potestas confertur Ecclesiæ fores dignis aperiendi, & indignis occludendi. *Ostiarii* officium est, templi claves januamque custodire, ab ejus aditu arcere infideles, excommunicatos, &c. pulsu campanæ populum fidelem ad sacra convocare. Quamobrem eum, statim post Ordinationem, Archidiaconus ad ostium Ecclesiæ ducit, aperire jubet & claudere, ipsique funem campanæ tradit. Ad illum pertinet fideles in officio continere, ut reverenter ac modestè in loco sancto consistant. Olim juxta altare stabat, prohibiturus ne quis Laïcus ad altare propiùs accederet, & Sacerdoti mysteria celebranti importunè obstreperet. Ipsius etiam munus quondam erat vasa sacra universamque Ecclesiæ supellectilem servare, & curare ut in divinis functionibus nihil adhiberetur, quod earum Sanctitatem majestatemque dedeceret. Confertur hic Ordo per clavium traditionem, eaque Episcopi verba: *Sic agite quasi reddituri Deo rationem pro his rebus, quæ his clavibus includuntur.*

Lectoris Ordo confertur per sacri Codicis traditionem, eaque Pontificis verba: *Accipite, & estote verbi Dei relatores, habituri, si fideliter & utiliter implèveritis officium vestrum, partem cum eis qui verbum Dei benè administraverunt ab initio.* Olim ipsius officium erat, 1°. eam Scripturæ partem populo prælegere, quam Episcopus erat explicaturus; 2°. cathecumenos & neophytos fidei

rudimentis informare, Deique & Ecclesiæ præcepta docere.

Exorcistarum Ordinem confert Episcopus, librum in quo scripti sunt exorcismi tradens, eaque verba pronuntians: *Habete potestatem imponendi manus super energumenum, sive baptizatum, sive catechumenum.* Ipsorum ministerium est, 1°. à baptizatorum & catechumenorum corporibus dæmones per exorcismos abigere; 2°. ea omnia præparare, quæ necessaria sunt ad consecrandam aquam lustralem, quâ uti solet Ecclesia ad expellendos dæmones; 3°. Episcopo, vel Sacerdoti exorcismos agenti assistere; 4°. Sacerdotem, dum populum aquâ benedictâ aspergit, comitari eidemque vas aquâ sanctâ plenum præferre. Quales esse debeant Exorcistæ declarat hæc Pontificis hortatio: *Studete ut, sicut à corporibus aliorum dæmones expellitis, ita à mentibus vestris omnem immunditiam & nequitiam ejiciatis, ne illis succumbatis, quos ab aliis vestro ministerio effugatis*, &c.

Acolythatus confertur per candelabri cum cereo, & urceoli vacui traditionem, adjunctaque Episcopi verba. Acolythorum functiones sunt 1°. cereos accendere, eosque inter Missarum solemnia deferre; 2°. vinum & aquam ad sacrificium præparare; 3°. Subdiacono, Diacono & Presbytero in sacris mysteriis ministrare: Acolythus quippè, juxta vim nominis Græci, idem est ac famulus & pedissequus. Quæ appellatio huic Ordini optimè convenit: Acolythi enim officium est Subdiaconum & Diaconum in sacro ministerio comitari, iisque operam præbere. Præ oculis autem semper habeant hanc Pontificis admonitionem, *ne lucem Dei manibus præferentes, operibus tenebrarum inserviant; ... sed impleant quod veritas jubet: luceat lux vestra coram hominibus, ut videant opera vestra bona, & glorificent Patrem vestrum qui in cœlis est.*

In sequenti articulo inquiremus utrùm minores Ordines vera sint Sacramenta.

ARTICULUS III.

De Subdiaconatu.

Subdiaconotus, ut nomen ipsum indicat, est Ordo per quem datur potestas proximè serviendi Diacono solemniter ad altare ministranti. Ab initio, & per multa deinceps sæcula, sicut etiamnùm apud Græcos, sacros inter Ordines non fuit annumeratus. Licèt enim Veteres de Subdiaconis non rarò loquantur, quotiès tamen sacros Ordines commemorant, de Subdiaconis omninò silent. Prætereà Urbanus II in Synodo Beneventina, cui præfuit anno 1091, hæc habet: *Nullus in Episcopum eligatur, nisi qui in sacris Ordinibus religiosè vivens inventus est; sacros autem Ordines dicimus Diaconatum & Presbyteratum.* (*Tom.* 10. *Concil. pag.* 484.) Hic porrò Subdiaconatus ab Ordinibus sacris excluditur. Petrus Cantor qui anno 1197 vivebat, *De novo*, inquit, *institutum est Subdiaconatum esse sacrum Ordinem. Apud Menardum, not.* 724. *in Sacram. S. Gregor. tom.* 3. *part.* 1. *pag.* 494. Hactenùs igitur talis non fuerat. Ad eam dignitatem evectum fuisse ab Innocentio III, qui exeunte sæculo XII, Ecclesiæ præfuit, testatur Pontificale Parisiense ab annis circiter 300 scriptum: *Subdiaconatus*, inquit, *ex institutione Innocentii III, est sacer Ordo.*

Subdiaconi munia sunt calicem & patenam ad altare deferre, Epistolam cantare intra Missarum solemnia, & fidelium oblationes suscipere, librum Evangelii, dum à Diacono legitur, ante conspectum ejus tenere, eumdemque deinceps Episcopo vel Sacerdoti celebranti, & Clero deosculandum præbere.

De Subdiaconatu duo sunt excutienda; primum, an verum sit Sacramentum; secundum, in quo constitui debeant illius materia & forma.

PARAGRAPHUS PRIMUS.

An Subdiaconatus verum sit Sacramentum.

De Subdiaconatu, an verum sit Sacramentum, in Scholis dispuratur. Alii negant, ut *Morin*, *Witasse*, &c. affirmant alii, quamvis ingenuè fateantur rem certam non esse, sed probabiliorem tantùm; ita Bellarminus, Hallier; Filius verò controversiam hanc adeò difficilem & implicatam sensit, ut ab ea dirimenda cautus abstinuerit. (*In* 4. *dist.* 24. *paragr.* 14.)

Quæres 1°. quibus nitantur argumentis, qui negant Subdiaconatum, & proindè minores Ordines, verum esse Sacramentum.

Resp. Sic ratiocinantur: Verum quodcumque Sacramentum divinam habeat institutionem necesse est: atqui Subdiaconatus & quatuor minores Ordines, non divinam sed merè ecclesiasticam habent originem; 1°. quia de iis omninò silent, tùm Apostoli, tùm apostolicorum temporum Scriptores, apud quos tamen de Episcopis, Presbyteris & Diaconis tam frequens occurrit mentio; 2°. quia illos Ordines decursu temporum ab Ecclesia fuisse institutos, testantur veteres Theologi. Insignia sunt eâ de re Urbani II Pontificis Maximi verba: *Sacros*, inquit, *Ordines dicimus Diaconatum & Presbyteratum, hos siquidem solos primitiva legitur habuisse Ecclesia.* (*Apud Gratian. dist.* 60. *cap.* 4. *pag.* 302.) *Levitas*, inquit ipse Gratianus, *Ab Apostolis Ordinatos legimus;.... Subdiaconos procedente tempore, Ecclesia sibi constituit.* (*Decret. dist.* 21. *pag.* 92.) Idem tradit Magister Sententiarum, *Lib.* 4. *distinct.* 24. cui consentire videtur S. Thomas his verbis: *In primitiva Ecclesia fuerunt soli duo Ordines sacri, scilicèt Presbyteri & Diaconi, & tamen postea Ecclesia minores sibi Ordines instituit.* (*Opuscul.* 34.

tom. 2. *pag.* 557. *col.* 2. *edit. Nicol.*) Idem asserunt Petrus Blesensis, *Serm.* 47; Hugo Victorinus, *Lib.* 2. *de Sacram.* 3. *part. cap.* 13.

Prætereà, inquiunt illi Theologi, si Subdiaconatus minoresque Ordines essent divinæ institutionis, non toleràsset Ecclesia, iis Ordinibus prætermissis, Diaconatum & Presbyteratum conferri: atqui tamen contrarium multa probant exempla. Sic referente Arcudio, S. Chrysostomus & S. Cæsarius Arelatensis, ex Lectoribus statim facti sunt Diaconi. (*Lib.* 6. *cap.* 9.) Sic eâdem die S. Epiphanius consecratus est Diaconus, Presbyter & Episcopus, licèt anteà non esset Clericus; ergo, &c.

Quæres 2°. quid responsi prædictis rationibus afferant, qui Subdiaconatum & minores Ordines vera esse Sacramenta existimant.

Resp. A prædictis argumentis ita sese expediunt: Concilium Tridentinum docet Ordinem verum esse Sacramentum, nec de Sacerdotio & Diaconatu solùm loquitur, sed universim de sacra Ordinatione, *quæ verbis & signis exterioribus perficitur.* (*Sess.* 23. *de Ordine, cap.* 3.) Atqui omnes Ordines, etiam minores, verbis & signis exterioribus perficiuntur. Definit etiam, *præter Sacerdotium esse in Ecclesia Catholica alios Ordines majores & minores per quos, veluti per gradus quosdam, in Sacerdotium tenditur.* (*Cap.* 4. *can.* 2.) Deindè proximo Canone generatim pronuntiat, *Ordinem sive sacram Ordinationem esse verè & propriè Sacramentum à Christo Domino institutum.* Licèt igitur Synodus Tridentina à definienda quæstione inter Catholicos ventilata abstinuerit, in eam tamen opinionem videtur propendere, quæ in singulis Ordinibus divinam institutionem verumque Sacramentum agnoscit.

Ideò, inquiunt iidem Theologi, de Subdiaconatu & inferioribus Ordinibus silent Veteres, non quòd à Christo instituti non fuerint; sed quia illorum

ministeria, ob Fidelium & Ministrorum paucitatem, Diaconis committebantur, quemadmodùm Diaconorum, antequàm existerent, functiones Presbyteri exercebant. Verùm sicut, *crescente numero Discipulorum*, necesse fuit Diaconos eligere; sic &, crescente in dies Ecclesia, oportuit ut juxta Christi institutionem crearentur Ministri inferiores; ex eo quòd autem per aliquod tempus Ecclesia primitiva Diaconatu caruerit, perperàm inferretur eum humani solùm juris esse; idem ergo de Subdiaconatu, inferioribusque Ordinibus, malè pariter colligeretur.

Denique, pergunt Theologi, quòd Sancti quidam è Lectoratu statim ad Diaconatum promoti fuerint, id minimè probat Subdiaconatum non esse divinitùs institutum. Nonnullos enim pariter è Lectoris vel Subdiaconi Ordinibus, prætermisso Diaconatu, statim ad Presbyteratum perveniisse refert Morinus, *part.* 3. *exercit.* 11. *cap.* 2: atqui tamen non inde inferunt adversarii, Diaconatum humanæ tantùm institutionis esse; ergo pariter, quia in Ordinum serie omissus aliquando fuit Subdiaconatus, non licet humanam duntaxat ei tribuere originem.

Ex iis quæ exposuimus satis liquet neutram opinionem inconcussis rationibus esse munitam: eam quilibet eligat, quæ sibi probabilior videbitur.

PARAGRAPHUS II.

De materia & forma Subdiaconatûs.

Ii sunt præcipui ritus qui in conferendo Subdiaconatu adhibentur. 1°. Episcopus, præmissâ gravi monitione, calicem vacuum cum patena superposita tradit Ordinandis, quem singuli manu dextrâ *successivè* tangunt, Pontifice dicente: *Videte cujus ministerium vobis traditur; ideò vos admoneo, ut ita vos exhibeatis, ut Deo placere possitis.* 2°. Archidiaconus tangendos ipsis offert urceolos cum

vino & aqua, & lancem (*baſſin*) cum linteolo quo manus abſterguntur. 3°. Amictum ſuper ſingulorum caput imponit Epiſcopus, dicens: *Accipe amictum, &c.* 4°. Manipulum immittit in brachium ſiniſtrum, & ait: *Accipe manipulum per quem deſignatur fructus bonorum operum; in nomine Patris, &c.* 5°. Unumquemque tunicâ induens, *Tunicâ jucunditatis*, inquit, *& indumento lætitiæ induat te Dominus, in nomine Patris, &c.* 6°. Denique ipſis tradit codicem Epiſtolarum quem manu dextrâ omnes tangunt, eaque verba ſubjicit: *Accipite librum Epiſtolarum, & habete poteſtatem legendi eas in Eccleſia ſancta Dei, &c.* Quinam autem ex illis ritibus materiam Subdiaconatûs conſtituat, controvertitur inter Theologos. Plerique tamen eam totam in calicis & patenæ contactu reponunt, cum quibus ſit

Propositio.

Materia Subdiaconatûs in ſolo calicis ac patenæ contactu probabiliùs conſiſtit, & forma in oratione quæ calicis ac patenæ traditioni reſpondet.

Prob. Si quid, præter calicis & patenæ contactum, ad neceſſariam Subdiaconatûs materiam pertineret, maximè vel urceolorum, vel codicis Epiſtolarum traditio, vel amictus, manipulus & tunica: atqui nihil horum dici poteſt. Non quidem primum: nam cuilibet materiæ ſua ſemper reſpondet forma: atqui urceolorum traditio nullam habet formam ſibi adjunctam; dum enim eos tangendos offert Archidiaconus, nulla profert verba. Non etiam ſecundum: nam ritus ille ad *eſſentialem* Subdiaconatûs materiam non pertinet, qui recentior eſt: atqui traditio codicis Epiſtolarum in Ordinatione Subdiaconi, recentis eſt inſtituti; vix enim à 400 annis uſurpatur, ut ex veterum Ritualium lectione colligunt *Martenne & Morin*;

de ea ceremonia ſilent omninò priſcæ ætatis Scriptores, qui ritus omnes in Ordinationibus adhiberi ſolitos diligentiſſimè commemorârunt. Non denique tertium: amictus enim, manipulus & tunica recentioris ſunt uſûs, & de ſacra hac ſupellectili tacent antiqui Rituales, nullaque olim erat Subdiaconorum veſtis propria. Teſtatur namque Gregorius Magnus, primis temporibus Subdiaconos in Eccleſia Romana *ſpoliatos*, id eſt, ſine ſacra veſte *proceſſiſſe*, donec cuidam Romano Pontifici placuit, *ut veſtiti procederent.* (*Tom.* 2. *pag.* 940.) Supereſt igitur ut propriam Subdiaconatûs materiam in ſola calicis & patenæ traditione & contactu reponamus. *Subdiaconus*, inquit Concilium Carthaginenſe IV, *cùm ordinatur, quia manûs impoſitionem non accipit, patenam de manu Epiſcopi accipiat vacuam & calicem vacuum.* (*Can.* 5. *tom.* 2. *Concil. pag.* 1200.) Eamdem calicis & patenæ traditionem vel ſolam, vel ut præcipuum illius Ordinationis caput, præſcribunt antiqui Rituales de quibus conſule J. *Morin*, *part.* 3. *exercit.* 12. *cap.* 1. *n.* 5.

Ex iis colliges formam Subdiaconatûs reponendam eſſe in verbis & oratione, quæ calicis & patenæ traditioni junguntur.

Articulus IV.

De Diaconatu.

Diaconi nomen à græca voce oriundum, idem eſt ac *Miniſter*: proprium enim illius manus eſt, Sacerdoti, dum ſacris dat operam, ſubſervire: Iſtæ ſunt præcipuæ Diaconorum functiones; panem & vinum Presbytero ſacrificanti offerunt; ex Ordinatione ſua jus habent Baptiſmum ſolemniter conferendi, tanquam Miniſtri extraordinarii, & verbum Dei, ubi & quando viſum fuerit Epiſcopo, prædicandi; Evangelium in Miſſis ſolemnibus decantant,

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

Longè autem latiùs olim patuit Diaconorum ministerium; 1°. enim Eucharistiam fidelibus dispensabant; 2°. Sacrificii tempore populum sæpiùs excitabant, ut totis animis ad sacra attenderet: quod etiamnùm præstant apud Græcos; instante Sacrificii oblatione, indignis, ut recederent, publicè sic denuntiabant: *Recedant Pœnitentes, sancta sanctis;* 4°. Diaconorum erat, Martyribus & Confessoribus in carcere detentis, ea quibus indigebant, quantùm fieri poterat, subministrare; 5°. deficientibus, sive propter sævientem persecutionem, sive aliam ob causam, Presbyteris, interdùm Diaconis Paroeciarum cura & regimen committebatur; 6°. iisdem credita fuit temporalium Ecclesiæ bonorum dispensatio, ut nimirùm eleemosynas distribuerent, & unicuique ad victum necessaria suppeditarent.

Duo in controversiam veniunt; primum, an Diaconatus sit veri nominis Sacramentum; secundum, quid illius materiam & formam constituat.

PARAGRAPHUS PRIMUS.

An Diaconatus sit veri nominis Sacramentum.

Fide non constat Diaconatum esse Sacramentis annumerandum, quia *non videtur*, ait Estius, *de præsenti controversia quidquam esse ab Ecclesia definitum.* (*In 4. dist. 24. parag. 8.*) Idem est Bellarmini judicium: *Non est certum de fide*, inquit (Diaconatum esse Sacramentum) *quia non potest id evidenter deduci ex verbo Dei scripto, vel tradito; neque extat ulla Ecclesiæ de hac re expressa determinatio.* (*De Sacram. Ord. cap. 6.*) Nec defuerunt Theologi, & quidem clarissimi, qui docuerint Diaconatum Sacramentum non esse propriè dictum; ita *Durand*, *in 4. dist. 24. q. 2.* & Cajetanus, *Tom. 1. opusculorum*, *tract. 11.* Apud Theologos tamen communis est opposita sententia.

PROPOSITIO.

Diaconatus veri nominis est Sacramentum.

Prob. quia Diaconatus ea complectitur omnia, quæ ad Sacramentum propriè dictum requisita sunt. 1°. Est ritus sensibilis; in Diaconi enim consecratione adhibentur manuum impositio & oratio, ut de septem primis Diaconis sic legitur: *Hos statuerunt ante conspectum Apostolorum, & orantes imposuerunt eis manus.* (*Act. 6. 6.*) Atqui oratio & manuum impositio sunt aliquid sensibile; ergo, 1°. &c.

2°. Christum habet autorem; tùm quia, ex modò dicendis, gratiam confert quam Deus solus potuit exteriori signo illigare; tùm quia Diaconos ex mandato Christi institutos fuisse declarant Veteres. *Apostoli*, inquit S. Clemens Romanus, Petri & Pauli socius, ... *acceptis à Christo mandatis*, ... *Episcopos & Diaconos.... constituerunt.* (*Ep. 1. ad Corinth. cap. 42. apud Coteler. Tom. 1. pag. 170.*) Prætereà, judice Concilio Tridentino, *Hierarchia Ecclesiastica constat ex Episcopis, Presbyteris & Ministris;* (*Sess. 23. de Ordine, can. 6.*) quo postremo nomine Diaconi potissimùm designantur, qui peculiari ratione, suique nominis etymologiâ *Ministri* dicuntur: atqui eodem Canone percutitur anathemate *quisquis dixerit in Ecclesia Catholica non esse Hierarchiam divinâ Ordinatione institutam;* ergo 2°. &c.

3°. Diaconatus gratiam habet sibi divinitùs adjunctam: Concilium enim Tridentinum sic pronuntiat: *Si quis dixerit, per sacram Ordinationem non dari Spiritum Sanctum, ac proindè frustrà Episcopos dicere: Accipe Spiritum Sanctum, anathema sit.* (*Ibid. can. 4.*) Atqui in Ordinatione Diaconi hæc verba profert Episcopus: *Accipe Spiritum Sanctum;* ergo 3°. &c.

Solvuntur objecta.

Obj. 1°. S. Petrus eligendos proponit Diaconos, *eo quòd despicerentur in ministerio quotidiano viduæ, ... & æquum* non esset Apostolos *derelinquere verbum Dei & ministrare mensis.* (*Act. 6. v.* 1 & 2.) Unde sic disputari solet : Ille Ordo non est Sacramentum, cujus ministerium, vel à prima origine, fuit merè profanum : atqui Diaconorum ministerium, &c. siquidem non aliud ipsis commissum erat officium, quam viduarum curam gerendi, & mensis ministrandi ; ergo, &c.

Resp. Neg. min. Nam quamvis objecto in loco duplicis tantùm officii temporalis habeatur ratio, inde minimè sequitur Diaconos ad alia, & quidem nobiliora, munia non fuisse destinatos; eos quippè, vel à primis Ecclesiæ temporibus, sacras functiones exercuisse constat ex Scriptura. Legimus enim S. Stephanum fidei mysteria Judæis ita prædicasse, *ut non possent resistere sapientiæ & spiritui qui loquebatur.* (*Act.* 6. 10.) Philippus etiam Diaconus, *descendens in civitatem Samariæ, prædicabat illis Christum,* (*ibid. cap.* 8. 5.) & credentibus Samaritanis Baptismum administravit, qui tamen nunquam abomnibus indiscriminatim, extra necessitatis casum, sed à propriis Ministris, semper conferebatur. Prædicandi igitur Evangelii, dandique Baptismatis ministerium Diaconis, vel à prima eorum institutione, commissum fuit : atqui profectò ministerium illud non erat profanum. Hoc fuit etiam Diaconorum, à prioribus Ecclesiæ sæculis, officium, ut Eucharistiam distribuerent, & Sacerdoti sacra facienti subservirent. *Qui apud nos dicuntur Diaconi*, inquit S. Justinus, *panem & vinum & aquam unicuique præsentium distribuunt, & ad absentes perferunt.* (*Apolog.* 1. *n.* 65. *pag.* 83. *Edit. BB.*) S. Laurentius, apud Ambrosium, Sixtum Pontificem ad martyrium properantem sic

compellat : *Quo, Sacerdos sancte, sine Diacono properas tuo ? Nunquam sine Ministro sacrificium offerre consueveras.* (*Lib.* 1. *de officiis, cap.* 11. *n.* 214. *tom.* 2. *pag.* 54 & 55.)

Obj. 2°. Hæc S. Cypriani verba : *Meminisse Diaconi debent, quoniam Apostolos, id est, Episcopos & Præpositos Dominus elegit ; Diaconos autem, post ascensum Domini in cœlos, Apostoli sibi constituerunt Episcopatûs sui & Ecclesiæ Ministros.* (*Epist.* 65. *pag.* 113. *Edit. Baluz.*) Ergo Diaconatus non à Christo, sed ab Apostolis fuit institutus, nec proindè verum esse potest novæ legis Sacramentum.

Resp. Neg. conseq. Ex verbis S. Cypriani id unum inferri potest, nempè à Christo non institutum duntaxat esse Episcopatum, sed & primos Episcopos, sive Apostolos, immediatè ab eo fuisse electos ; contrà verò Christum Diaconos Apostolis reliquisse Ordinandos, quamvis ipse Diaconatum instituerit. Ita S. Doctor cujusdam Diaconi superbiam reprimit, qui ausus fuerat adversùs Episcopum suum Rogatianum petulanter insurgere. Quemadmodùm autem ex eo quòd Christus non legitur Confirmationem, vel Extremam Unctionem per se administrasse, minimè sequitur utramque non esse institutionis divinæ, sed humanæ ; ita pariter quia Christus Diaconos immediatè non consecravit, inde perperàm colligeretur divinam non esse Diaconatûs originem.

Obj. 3°. *Quis patiatur*, inquit S. Hieronymus, *ut mensarum & viduarum Minister supra eos se tumidus efferat, ad quorum preces Christi corpus sanguisque conficitur?* (*Epist.* 101. *ad Evangelum, tom.* 4. *part.* 2. *pag.* 802.) Porrò ille Diaconorum ministerium ut merè profanum habet, qui ipsis, præter mensarum & viduarum curam, nihil tribuit : atqui Hieronymus Diaconis, præter, &c. ergo, &c.

Resp. Dist. min. Hieronymus Diaconis nihil tribuit, præter mensarum & viduarum curam,

ſpectando ad occaſionem quâ inſtituti fuerunt, conc. min. quodlibet aliud nobilius officium excludendo, neg. min.

Ibi S. Doctor quorumdam Diaconorum arrogantiam reprimit, qui ſupra Presbyteros ſeſe efferebant ſuperbiùs: quem faſtum ut retunderet, eos ad ſuæ inſtitutionis occaſionem revocavit, quæ his verbis deſcribitur: *Creſcente numero Diſcipulorum, factum eſt murmur Græcorum adversùs Hebræos, eo quòd deſpicerentur in miniſterio quotidiano viduæ eorum.* (*Act.* 6. 1.) Hujuſmodi querelæ locum Apoſtolis præbuerunt Diaconos Ordinandi qui, ſuſceptâ viduarum curâ, ipſis neceſſaria ſubminiſtrarent. Diaconis hanc occaſionem objicit Hieronymus, ut intelligant ſe longè inferiores eſſe Preſbyteris quibus, ubi primùm creati ſunt, ſtatim commiſſum eſt auguſtiſſimum conſecrandi corporis Chriſti miniſterium.

Sed non ea fuit S. Doctoris mens, ut totum Diaconorum officium intra menſarum viduarumque curam coerceret. Aſſerit enim in fine ejuſdem Epiſtolæ, illis competere ſacrum miniſterium, eoſque in Eccleſia Chriſti eſſe, quod in Veteri Teſtamento Levitæ: iſtos autem ad ſacras functiones obeundas ſelectos fuiſſe minimè negaverit, quiſquis octavum caput lib. Numer. legerit.

Præterea in ſua contra Jovinianum Epiſtola, ſcribit Diaconis impoſitam eſſe continentiæ legem, ut divini Sacrificii miniſterio liberiùs ſanctiuſque operam darent; ergo cùm S. Hieronymus Diaconos vocat menſarum Miniſtros, ab iis nobilius quodlibet officium excludere in animo non habuit.

PARAGRAPHUS II.

PARAGRAPHUS II.

De materia & forma Diaconatûs.

In Diaconorum Ordinatione apud Latinos quatuor potiſſimùm obſervantur. 1° Epiſcopus prolixam fundit orationem, quam ſubitò abrumpens, manum dexteram ſuper cujuſlibet Ordinandi caput imponit, dicens: *Accipe Spiritum Sanctum ad robur, ad reſiſtendum diabolo & tentationibus ejus;* deindè proſequitur extenſam tenens manum. 2°. Peractâ oratione, ſtolam unicuique ſuper humerum ſiniſtrum imponit, dicens: *Accipite ſtolam candidam de manu Dei*, &c. 3°. Quemlibet induit dalmaticâ cum iis verbis: *Induat te Dominus indumento ſalutari.* 4°. Omnibus librum Evangeliorum porrigit, hæc verba proferens: *Accipe poteſtatem legendi Evangelium.*

PROPOSITIO I.

Nec codicis Evangeliorum porrigendi, nec ſtolæ ac dalmaticæ imponendæ ritus, ad eſſentialem *Diaconatûs materiam pertinet.*

Probatur prima pars. 1°. Illud ad *eſſentialem* Diaconatûs materiam non pertinet, quod Diaconorum inſtitutione recentius eſt: atqui ita ſe habet traditio libri Evangeliorum; cùm enim Diaconos Ordinârunt Apoſtoli, nondùm ſcriptum erat Evangelium; 2°. quia ritum illum nec antiquitùs uſurpârunt Græci, nec hodiè obſervant, ut ex omnibus eorum Euchologiis compertum eſt; 3°. quia ceremoniam hanc apud Latinos ſexcentis vel ſeptingentis ad ſummum annis antiquiorem non eſſe probant eruditi; ſiquidem de ea penitùs ſilent, quotquot ad ſæculum uſque undecimum prodierunt Libri Rituales.

Prob. ſecunda pars. 1°. Quia nullibi legitur

stolam primis Diaconis fuisse traditam; 2°. quia ritus ille in antiquis Ritualibus Libris non paucis omittitur; 3°. quia apud Græcos sine ullis verbis, quæ formæ rationem habeant, imponitur stola, & quidem cùm perfecta est Ordinatio.

Prob. tertia pars. Ritus *essentialem* Diaconatûs materiam constituens, Ecclesiæ tùm Græcæ, tùm Latinæ debet esse communis, cùm in utraque verus sit Diaconatus: atqui dalmaticæ imponendæ ritus Græcis hactenùs fuit inusitatus: quin etiam apud Latinos recentis est instituti, ut probat eruditus *Morin*; ergo, &c.

PROPOSITIO II.

Impositio manuum ipsique juncta oratio totam constituunt Diaconatûs materiam & formam.

Probatur. In eo ritu tota continentur Diaconatûs materia & forma, quem solum usurpârunt Apostoli, & qui universalitem, perpetuitatem, omniumque Ecclesiarum consensionem sibi vindicat: atqui talis est manuum impositio, cum oratione sibi conjuncta. 1°. Quidem utramque solam adhibuerunt Apostoli in Ordinandis septem Diaconis: *Hos statuerunt ante conspectum Apostolorum, & orantes imposuerunt eis manus;* (*Act.* 6. 6.) nec aliud quidpiam fecisse narrantur. 2°. Eumdem ritum usu constanti & perpetuo servârunt omnes Ecclesiæ, ut constat ex earum Ritualibus, Veterumque testimoniis: *Diaconus cùm Ordinatur*, inquit Concilium Carthaginense IV, *solus Episcopus qui eum benedicit, manum super caput illius ponat.* (*Tom.* 2. *Concil. pag.* 1200.) Idem sic jubet Autor Constitutionum Apostolicarum: *Diaconum effice, Episcope, imponens ei manus.* (*Lib.* 8. *cap.* 27. *apud Coteler. tom.* 1. *pag.* 407.) Dionysius, vulgò dictus Areopagita, *Diaconus*, inquit, *unum genu flectens ante altare, supra caput habet dextram Pontificis ipsum consecrantis, & ab eo consecratur invocationibus ad Ministrorum consecrationem accommodatis.* (*Edit. Cord. tom.* 1. *pag.* 312. *cap.* 5. *Eccles. Hierarch.*)

Præterèà nisi manûs impositio & oratio totam constituant Diaconatûs materiam & formam, dicendum erit apud Græcos & Orientales verum non esse Diaconatum. Apud eos quippè non aliam reperias materiam & formam, quàm manûs impositionem, & preces ipsi adjunctas: atqui tamen certum est apud Græcos & Orientales verum existere Diaconatum; 1°. quia Græcis semel Ordinatis, & à schismate redeuntibus, nova non confertur Ordinatio; 2°. quia in Concilio Florentino, cui interfuerunt Orientales & Occidentales, licèt multæ hinc & inde efferbuerint contentiones, eâ tamen de re nulla fuit controversia; sed approbata est Græcorum Ordinatio: ergo, &c.

ARTICULUS V.

De Presbyteratu.

Græcè *Presbyter* idem sonat, ac latinè *senior*, & aliquandò ætatis nomen est, aliquandò etiam muneris & dignitatis: ad graviora enim munia ii deligi solent, qui ætate rerumque gerendarum peritiâ ceteris antecellunt. Sic Magistratus qui Reipublicæ Romanæ præficiebantur, *seniores* dicti sunt, horumque Concilium, *Senatus*. Cùm autem nihil majus sit aut præstantius, quàm potestas consecrandi corporis sanguinisque Christi, ipsius sacrificium offerendi, & peccata dimittendi aut retinendi, meritò *Presbyteri* dicuntur ii quibus commissum est tam grande ministerium. Ad illud enim dignè obeundum, maturam ætatem attigisse debent, vel eam morum gravitatem, eamque doctrinam & prudentiam comparasse, quæ senio-

rum propria esse consuevit : *Sacerdotes* etiam appellatur ; tùm quia Deo speciliter consecrati sunt ; tùm quia ex officio res sacras & divinas pertractant.

Hic tria expendemus : primum, an Presbyteratus verum sit Sacramentum ; secundum, quænam illius materia & forma ; tertium, quæ officia.

PARAGRAPHUS PRIMUS.

An Presbyteratus verum sit Sacramentum.

PROPOSITIO.

Presbyteratus verum est Sacramentum.

Probatur. Ritus sensibilis, à Christo institutus & gratiam conferens, verum est Sacramentum : atqui Presbyteratus est ejusmodi. 1°. Quidem in eo ritus occurrit sensibilis, nempè impositio manuum & oratio : sic enim refert S. Lucas : *Cùm constituissent illis*, (*græcè*, cùm manuum impositione consecrassent,) *per singulas Ecclesias Presbyteros & orassent.* (*Act.* 14. 22.) Hanc manuum impositionem in Presbyterorum consecratione semper usurpatam testatur Patrum traditio. 2°. Accedit divina institutio. Duplex enim est in Presbyteratu potestas, alia consecrandæ Eucharistiæ, alia peccatorum dimittendorum : atqui utramque instituit Christus ; primam quidem, cùm Apostolis eorumque in Sacerdotio successoribus dixit : *Hoc facite in meam commemorationem ;* (*Luc.* 22. 28.) secundam verò, cùm à morte redivivus iisdem ait : *Accipite Spiritum Sanctum ; quorum remiseritis peccata, remittuntur eis.* (*Joan.* 20. 23.) 3°. Denique gratia non deest, ut satis indicant hæc Christi verba : *Accipite Spiritum Sanctum ;* ergo in Presbyteratu reperias quidquid ad constituendum verum novæ legis Sacramentum requiritur. Iis accedit omnium Theologorum consensio ; quamvis enim non omnes Episcopatum Sacramentis annumerent, & ea de re

dissentiant, nullus tamen unquam fuit, qui de Presbyteratu in dubium id revocaverit.

PARAGRAPHUS II.

De materia & forma Presbyteratûs.

Apud Latinos in consecrandis Presbyteris quinque potissimùm observantur ceremoniæ : 1°. post Epistolam & Tractum, Episcopus, nullâ præmissâ oratione, utramque simul manum supra cujuslibet Ordinandi caput *successivè* & silens imponit ; idemque post eum faciunt, quotquot adsunt Sacerdotes. 2°. Tam Episcopus, quàm alii Sacerdotes, manum dextram super Ordinandos extensam tenent, alteramque hanc manuum impositionem comitantur duæ Pontificis orationes, quibus Deum rogat *ut quos* divinæ *pietatis aspectibus* offert *consecrandos*, *perpetua muneris* sui *largitate* prosequatur, & innovet *in visceribus eorum Spiritum sanctitatis*, &c. 3°. Utramque cujuslibet Ordinandi manum sacro inungit oleo dicens : *Consecrare & sanctificare digneris, Domine, manus istas*, &c. 4°. Singulis *successivè* tradit calicem cum vino & aqua, & patenam superpositam cum hostia, unicuique dicens : *Accipe potestatem offerre sacrificium Deo Missasque celebrare*, &c. 5°. Presbyteri consecrati Missam cum Pontifice absolvunt, qui post datam ipsis communionem, ambas manus singulorum capiti imponens, ait : *Accipe Spiritum Sanctum, quorum remiseris peccata, remittuntur eis.*

Quinam autem ex iliis ritibus materiam & formam constituant, inter Theologos disputatur, quorum tres sunt ea de re opiniones. Prima Ordinationis Sacerdotalis materiam statuit in solæ manuum impositione, & formam in sola quæ ipsi adjungitur oratione ; secunda in sola instrumentorum traditione, calicis nempè & patenæ cum superposita hostia materiam collocat, formam autem in istis quæ junguntur verbis : *Accipe potestatem offe-*

rendi Sacrificium, &c. tertia, tùm in manuum impositione & oratione, tùm in traditione instrumentorum & verbis ipsi subnexis, materiam & formam Presbyteratûs constituit.

Triplex occurrit manuum impositio; prima, quæ fit initio & sine ullis verbis, tùm ab Episcopo, tùm à Presbyteris præsentibus; secunda, quæ proximè sequitur, & adjunctam habet Pontificis orationem; tertia, quæ fit ab Episcopo dicente; *accipe Spiritum Sanctum.* Quænam verò ex illis manuum impositionibus sit necessaria, inter eos Theologos non convenit, qui materiam Presbyteratûs in manuum impositione sitam volunt. De tota hac controversia sit.

PROPOSITIO I.

Nec traditio instrumentorum, nec verba ipsi subnexa, accipe potestatem, &c. pertinent ad essentiam Presbyteratûs.

Probatur. Illud ad Presbyteralis Ordinationis essentiam non pertinet, sine quo verum olim Sacerdotium datum est, ac etiamnùm confertur: atqui sine instrumentorum traditione, & verbis eidem adjunctis verum olim, &c. Ex omnium enim consensu verum fuit apud Latinos Sacerdotium ante sæculum decimum, ac etiamnùm apud Græcos exístit: atqui tamen Latini per novem priora sæcula traditionem instrumentorum, verbaque ipsi conjuncta, in Ordinandis Presbyteris non adhibuerunt, nec hodiè adhibent Græci. 1°. Quidem totis mille annis prioribus apud Latinos hunc ritum usurpasse nullus legitur: de eo penitùs silent Sacramentarium Gregorii Magni; Isidorus Hispalensis, Amalarius, Rabanus, aliique Scriptores, qui per mille annos Ordinationis ceremonias sigillatim diligenterque descripserunt; tacent etiam omnes Libri Rituales, qui per illud temporis spatium prodiêre: atqui constans illud perpetuumque de instrumentorum traditione silentium apertè clamat, eam priscis temporibus fuisse Latinis incognitam.

2°. Eam Græcis & Orientalibus inusitatam hactenùs fuisse certum est, cùm de illa ne voculam quidem habeant, tùm ipsorum Euchologia, tùm Autores antiqui & recentiores, qui ex professo de Ordinationibus scripsêre, Autor scilicèt constitutionum apostolicarum, Dionysius re vel nomine Areopagita, & alii: ergo nec apud Latinos ante sæculum decimum, nec apud Græcos ullâ ætate, in usu fuit instrumentorum traditio & contactus: attamen habuerunt quolibet tempore Sacerdotium; ergo ritus ille ad Presbyteralis Ordinationis essentiam & materiam non pertinet.

PROPOSITIO II.

Materia essentialis Presbyteratûs in manuum impositione, & illius forma in oratione ipsi adjunctâ constituta est.

Probatur. In iis ritibus constituenda est essentialis materia & forma Presbyteratûs, quos in Ordinandis Presbyteris adhibuerunt Apostoli, usuque constanti & perpetuo retinuit Ecclesia tùm Latina, tùm Græca: atqui hujusmodi sunt manuum impositio & oratio quam adjunctam habet.

1°. Quidem utramque usurpârunt Apostoli; sic enim legitur: *Cùm constituissèt illis per singulas Ecclesias Presbyteros, & orassent cum jejuniationibus.* (*Act.* 14. 22.) græcè, *cùm manuùm impositione consecrassent.* Sic Discipulum suum hortatur Apostolus: *Manus citò nemini imposueris.* (1 *Tim.* 5. 22.) Quæ verba de Presbyterorum Ordinatione intelligunt SS. Patres: *Quid est*, ait S. Leo, *manus citò imponere, nisi ante ætatem maturitatis.... sacerdotalem honorem tribuere non probatis?* (*Ep.* 1. *ad*

Episcopos Africanos, cap. 2. Edit. Quesnel. tom. 1. pag. 401.) ergo 1°. &c.

2°. Impositionem manuum & orationem in consecrandis Presbyteris constanter retinuit Ecclesia, tùm Græca, tùm Latina: omnes enim Græcorum, Orientalium, Latinorumque Libri Rituales, quamvis in ceteris non parùm dissideant, in eo tamen prorsùs consentiunt, quòd Presbyteratum manuum impositione & oratione conferri testentur, ut videre est apud Morinum, Martenium, Menardum, Goarium; ergo, &c.

Nostram hanc doctrinam probant innumera Veterum testimonia ex quibus pauca seligemus. *Cùm Ordinas Presbyterum, Episcope*, inquit Autor Constitutionum Apostolicarum, *manum super caput ejus ipse impone, & orans dic: Domine omnipotens, &c.* (*Lib. 8. cap. 26. apud Coteler. tom. 1. pag.* 406.) *Sacerdos*, inquit Dionysius, *utroque poplite ante altare flexo, in capite dextram habet Pontificis, & hoc modo ab illo Pontifice qui illum consecrat, sanctis invocationibus consecratur.* (*De Eccles. Hierarch. cap. 5. n. 2. edit. Cord. tom. 1. pag.* 312.) Patres Concilii Carthaginensis IV, Ordinationis ritum describentes, *Presbyter*, inquiunt, *cùm Ordinatur, Episcopo eum benedicente, & manum super caput ejus tenente, etiam omnes Presbyteri qui præsentes sunt, manus suas juxta manum Episcopi super caput illius teneant.* (*Tom. 2. Concil. pag.* 1199.) Atqui in his Veterum testimoniis commendatur, imò præscribitur manuum impositio, cum oratione conjuncta; nihil est igitur in quo tutiùs constitui possint Presbyteratûs materia & forma.

PROPOSITIO III.

Nec prima manuum impositio, nec tertia, cui respondet hæc Episcopi oratio, accipe Spiritum Sanctum; quorum remiseris peccata, *&c. essentialis est Presbyteratûs materia, benè verò secunda manuum impositio.*

Probatur prima pars. Ea manuum impositio non est *essentialis* materia Presbyteratûs, quæ nec usurpata fuit decem prioribus sæculis, nec ullam formam habet sibi adjunctam: atqui prima manuum impositio nec in usu fuit ad annum usque millesimum, ut satis probat Scriptorum omnium constans perpetuumque silentium; nec annexam habet formam, cùm fiat, silentibus Episcopo, & qui adsunt Sacerdotibus; ergo, &c.

Prob. secunda pars. Ritus ille ad *essentialem* Presbyteratûs materiam non pertinet, quem nec olim adhibuit Ecclesia Latina, nec servant etiamnùm Græci & Orientales: atqui tertia manuum impositio, nec olim in usu fuit apud Latinos, cùm de ea fileant omninò Rituales Libri ante XII sæculum scripti, nec servatur etiamnùm à Græcis & Orientalibus, cùm nullum ipsius vestigium in eorum Euchologiis appareat, quamvis singulos Ordinationum ritus accuratè describerint; ergo, &c. Superest proindè ut *essentialis* materia & forma Presbyteratûs collocetur in secunda manuum impositione & oratione Episcopi, quam habet sibi adjunctam.

Dices: Eugenius IV in decreto pro instructione Armenorum sic declarat: *Ordinis materia est illud per cujus traditionem confertur Ordo, sicut Presbyteratus traditur per calicis cum vino, & patenæ cum pane porrectionem.* (*Tom. 13. Concil. pag.* 538.) Ergo non manuum impositionem de qua silet, at solam instrumentorum *porrectionem* habuit Roma-

nus ille Pontifex, ut *essentialem* Presbyteratûs materiam.

Resp. Neg. conseq. Quia in unum consilii habuit Eugenius IV, ut Armenos qui ita postulaverant, peculiares Ecclesiæ Latinæ ritus edoceret; cùm autem apud eos impositio manuum hactenùs in usu fuisset, necesse non erat ut de illa verbum ullum faceret Summus Pontifex. Et verò decretum illud statim post Concilii Florentini celebrationem editum est: atqui in ea Synodo cui præfuit Eugenius IV, rata probataque est Græcorum Ordinatio, quam sine instrumentorum traditione, sed per solam manuum impositionem, ipsique connexam orationem fieri planè noverat Pontifex Romanus; non existimavit igitur illum instrumenta porrigendi ritum, Ecclesiæ Latinæ proprium, ad necessariam Presbyteratûs materiam pertinere.

PARAGRAPHUS III.

De Officiis Presbyteratûs.

Presbyteri officia his verbis complectitur Pontificale Romanum: *Sacerdotem oportet offerre, benedicere, præesse, prædicare, baptizare.*

Offerre primarium est Presbyteri munus. Sacrificium quippè & Sacerdotium quasi indivulsa sunt: *Omnis enim Pontifex*, inquit Apostolus, *ad offerendum munera & hostias constituitur. (Hebr. 8. 3.)*

2°. Id privilegii Sacerdotibus semper fuit, ut ab iis benedicerentur, tùm personæ, tùm ea quæ adhibent suum in usum. Sic in lege naturæ Melchisedech benedixit Abrahæ, qui omnium credentium pater fuerat à Deo designatus; cur autem id muneris sibi sumpserit, hanc rationem affert Scriptura: *Erat enim Sacerdos Dei altissimi. (Genes. 14. v. 18.)* In lege scripta Deus eamdem prærogativam asserit Leviticis Sacerdotibus: *Sic benedicetis filiis Israël*, inquit *Num. 6. 23.* Ad eum finem spectat unctio, quâ Pontifex utramque Presbyteri manum consecrat; Deum sic orans: *Consecrare & sanctificare digneris, Domine, manus istas per istam unctionem; & quæcumque benedixerint, benedicantur, & quæcumque consecraverint, consecrentur & sanctificentur in nomine Domini nostri Jesu Christi.*

3°. Sacerdotis est *præesse* populo Dei ipsumque regere sub autoritate Episcopi. Sic enim Ordinandos hortatur Pontifex: *Tales esse studeatis, ut in adjumentum... Episcoporum... dignè per gratiam Dei eligi valeatis*: unde colligitur eos tantùm consecrandos esse Presbyteros, qui Episcopos de regendis Ecclesiis sollicitos, & tanto sub onere fatiscentes sublevare valeant.

4°. Prædicandi munus Presbyteris incumbit. Quomodò enim plebem sibi commissam regerent sine verbi ministerio? *Qui Pastor est*, ait S. Hieronymus, *debet esse Magister, nec in Ecclesiis, quamvis sanctus sit, Pastoris sibi nomen debet assumere, nisi possit docere quos pascit. (In cap. 4. Epist. ad Hebr.)* *Dabo vobis*, inquit Deus, *Pastores juxta cor meum, & pascent vos scientiâ & doctrinâ. (Jerem. 3. 15.)* In odium igitur Dei incurrit Pastor, qui grave illud officium negligit; ad Pastorem enim quemcumque pertinet hoc Dei præceptum, terribilisque ea comminatio: *Speculatorem dedi te domui Israël; audiens ergo ex ore meo sermonem, annuntiabis eis ex me... Si... non fueris locutus ut se custodiat impius à via sua, ipse impius in iniquitate sua morietur; sanguinem autem ejus de manu tua requiram. (Ezech. 33. v. 7. & 8.)* Hæc audiant & contremiscant Pastores, qui populum sibi commissum verbi divini prædicatione defraudant. Hinc Concilium Tridentinum præcipit ut Parochi, saltem singulis diebus dominicis & festis solemnibus, præter Catecheses parvulis habendas, *Sacras Scripturas divinamque legem annuntient. (Sess. 5. cap. 2. & Sess. 24. cap. 4. & 7. de Reform.)*

Ut autem prædictis officiis dignè utiliterque fungantur Sacerdotes, totam vitæ suæ rationem ad ea documenta componant, quibus eos sic

hortatus est Pontifex consecrans: *Servate in moribus vestris sanctæ & castæ vitæ integritatem; agnoscite quod agitis; imitamini quod tractatis; quatenùs mortis dominicæ mysterium celebrantes, mortificare membra vestra à vitiis & concupiscentiis omnibus procuretis, sit doctrina vestra spiritualis medicina populo Dei; sit odor vitæ vestræ delectamentum Ecclesiæ Christi, ut prædicatione atque exemplo ædificetis domum, id est, familiam Dei.*

ARTICULUS VI.

De Episcopatu.

Episcopatus est Sacerdotii culmen & perfectio. Episcopatus, si nominis græci etymologiam spectes, idem est ac latinè *inspector*; non modo enim fidelium multitudini, sed & omnibus Clericis invigilat & præest. Hinc meritò S. Augustinus ait: *Episcopatus nomen est oneris, non honoris; græcum est enim, atque inde ductum vocabulum, quòd ille qui præficitur, eis quibus præficitur superintendit, curam eorum scilicèt gerens.* (*Lib. 19. de civit. Dei, cap.* 19.) S. Chrysostomus aliique permulti docent, Apostolorum temporibus *Episcopi* nomen ipsis Presbyteris fuisse commune, quia videlicèt ipsi etiam præsunt inferioribus Clericis & populo; sed usus in Ecclesia invaluit, ut nomen illud solis majoribus, sive primi ordinis, Sacerdotibus tribueretur.

Episcopatus rectè definitur: *Ordo supremus quo datur Presbytero potestas Ordinandi, confirmandi, Ecclesiamque sibi commissam regendi.* Dicitur 1°. *Ordo supremus*, quia Episcopatus est Sacerdotii fastigium & perfectio: *Quid est Episcopus, nisi primus Presbyter, hoc est, summus Sacerdos?* inquit Autor quæstionum in Vet. & Nov. Testam. *Tom.* 3. *oper. S. August. in append. pag.* 93. S. Ignatius, *honorate Episcopum*, inquit, *tanquam Principem*

Sacerdotum. (*Epist. ad Smyrnenses, n.* 9. *apud Coteler. t.* 2. *part.* 1. *p.* 153. *col.* 2.)

Dicitur 2°. *Quo datur Presbytero*; quia Episcopus esse non potest, qui Presbyter non fuerit. 3°. *Potestas Ordinandi*: in eo quippè constituitur præcipua Episcopi functio, quæ ipsi ita propria est, ut nequeat ad secundi ordinis Presbyteros transferri. 4°. *Confirmandi*, quia ordinarium Confirmationis Ministrum, solum esse Episcopum ostendimus. 5°. *Regendi Ecclesiam*, &c. quibus verbis designatur potestas jurisdictionis, quam habet unusquisque Episcopus in Ecclesiam sibi creditam. Hic quatuor sese offerunt exploranda: primum, an Episcopatus verum sit Sacramentum, & quidem à Presbyteratu distinctum; secundum, quænam sint illius materia & forma; tertium, utrùm Episcopi ex jure divino sint Presbyteris superiores; Quartum utrum Parochi suam ab Episcopis jurisdictionem accipiant, an verò juris sint divini, suamque à Christo potestatem habeant.

PARAGRAPHUS PRIMUS.

Utrùm Episcopatus sit Sacramentum, & quidem à Presbyteratu distinctum.

Alii putant Episcopatum esse peculiare Sacramentum à Presbyteratu distinctum, quod diversum imprimit characterem; sed tamen illud, Deo sic ordinante, ita esse comparatum, ut ipsi necessariò præmitti debeat Presbyteratus: sic Bellarminus, Estius, Sylvius, &c. Alii autem opinantur Episcopatum non esse verum Ordinem & Sacramentum, à Sacerdotio distinctum, sed characteris sacerdotalis quamdam tantùm extensionem, ad novum officium, novam amplioremque potestatem & dignitatem; ita ut Episcopus non alius sit, quàm perfectus Sacerdos: sic existimant Hugo à S. Victore, Magister Sententiarum, S. Bonaventura, S. Thomas, &c.

PROPOSITIO.

Episcopatus verum est Sacramentum, & quidem à Sacerdotio distinctum.

Probatur prima pars. Ad verum Sacramentum tres requiruntur conditiones, nempè ritus sensibilis, vis gratiæ conferendæ & institutio divina: atqui tria hæc reperiuntur in Ordinatione quâ consecratur Episcopus. 1°. Quidem ritus sensibilis, nimirùm impositio manuum & oratio. *Episcopus cùm Ordinatur*, ait Concilium Carthaginense IV, *duo Episcopi ponant & teneant Evangeliorum codicem super caput & cervicem ejus, & uno super eum fundente benedictionem, reliqui omnes Episcopi qui adsunt, manibus suis caput ejus tangant.* (*Cap.* 2. *tom.* 2. *Concil. pag.* 1199.) Ergo 1°. &c.

2°. Adjunctam habet vim gratiæ conferendæ, ut patet ex illis Apostoli verbis ad Timotheum: *Admoneo te ut resuscites gratiam Dei quæ in te est per impositionem manuum mearum.* (2. *Tim.* 1. 6.) Quæ verba de Episcopatu propriè intelliguntur. Nemo enim nescit Timotheum à Paulo fuisse consecratum Episcopum, illiusque Ordinationis hic mentionem fieri. Idem significant hæc verba, *accipe Spiritum Sanctum*, quæ ad Episcopum Ordinandum diriguntur, tùm à Præsule consecrante, tùm ab aliis duobus quos in hoc opere socios habet; ergo 2°. &c.

3°. Adest institutio divina. Sic enim testatur Paulus: *Ipse* (Christus) *dedit quosdam Apostolos.* (*Ephes.* 4. 11.) Atqui Apostolis successerunt Episcopi; Deum igitur habent institutorem; ergo 3°. &c. ac proindè Episcopatus omnes complectitur conditiones ad verum Sacramentum requisitas; ergo, &c.

Prob. secunda pars, quæ prioris est consectarium: nam ille ritus est Sacramentum à Presbyteratu distinctum, cui nihil horum deest, quæ ad constituendum speciale Sacramentum necessaria sunt;

atqui Episcopatui nihil horum deest quæ, &c. non ritus exterior & sensibilis, non institutio divina, non gratia singularis quam huic Ordini illigari par fuit, qui ceteris dignitate superior est, ac officiorum multitudine operosior; ergo Episcopatus peculiare est Sacramentum, à Presbyteratu distinctum, non autem mera illius extensio: quinimò longè meliùs diceretur Presbyteratum esse Episcopatûs participationem & veluti quamdam manationem, inferius enim à superiore, potiùs quàm superius per extensionem ab inferiore profluere concipitur.

Dices 1°. Si Episcopatus verum sit Sacramentum à Presbyteratu distinctum, plura quàm septem erunt Sacramenta: atqui Ecclesia septem duntaxat erunt Sacramenta: *Si quis dixerit*, ait Synodus Tridentina, *Sacramenta novæ legis... esse plura vel pauciora, quàm septem, anathema sit.* (*Sess.* 7. *de Sacram. in gen. can.* 1.) Ergo, &c.

Resp. 1°. Retorqueo argumentum contra adversarios qui Presbyteratum & Diaconatum totidem divisim esse Sacramenta docent. Si Presbyteratus & Diaconatus veri Sacramenti naturam seorsim habeant, plura quàm septem erunt Sacramenta: atqui nonnisi septem admittit Ecclesia; ergo Presbyteratus & Diaconatus veri Sacramenti rationem divisim non habent; si quid igitur in objecto argumento sit ponderis, ipsos premit adversarios.

Resp. 2°. Neg. maj. Quemadmodùm enim Episcopatus & Presbyteratus, licèt inter se distincti, unum genericè Ordinem faciunt, quia ambo sub Sacerdotio, tanquam genere, includuntur; alter velut species nobilissima, alter velut inferior: sic etiam, quamvis totidem divisim sint Sacramenta, unum tamen genericè Sacramentum efficiunt, quia sub eodem Sacramenti Ordinis genere continentur, ad eumdemque fidem, nempè corporis Christi in Eucharistia consecrationem, spectant, quamquam diversis modis.

Dices 2°. Si Episcopatus esset Ordo distinctus, Sacramentumque distinctum à Presbyteratu, sine illo posset consistere : atqui tamen res aliter se habet, cùm nemo possit esse Episcopus, nisi priùs fuerit Presbyter ; ergo, &c.

Resp. Neg. maj. Quamvis enim Episcopatus à Presbyteratu discrepet, eum tamen, Deo ita volente, includit præviumque necessariò habere debet, cùm sit culmen & plenitudo Sacerdotii. Quemadmodùm igitur stare non potest fastigium domûs sine fundamento quod ei substernitur, etiamsi alterum ab altero differat ; ita, licèt Episcopatus sit Ordo à Presbyteratu distinctus, sine eo tamen nequit consistere.

PARAGRAPHUS II.

De materia & forma Episcopatûs.

Episcopalis Ordinatio à tribus saltem Episcopis celebratur, quorum unus speciatim dicitur *consecrans*, iique ritus observari solent. 1°. Consecrans, accepto Evangeliorum libro, illum apertum supra cervicem & scapulas electi silens imponit. 2°. Tres Episcopi utràque manu Consecrandi caput tangunt, dicentes *Accipe Spiritum Sanctum.* Quo facto, consecrans extensis manibus duplicem fundit orationem, quâ Electo Spiritûs Sancti gratiam apprecatur, ut munus episcopale dignè obeat. 3°. Consecrans sancto chrismate caput & manus Consecrandi inungit, dicens : *Ungatur & consecretur caput tuum, & ungantur manus istæ, &c.* 4°. Episcopo consecrato tradit baculum pastoralem, annulum & librum Evangeliorum, his verbis : *Accipe baculum, &c. accipe annulum, &c. accipe Evangelium, &c.* In iis verò ritibus, quid materiæ, quid formæ rationem habeat, inter Scholasticos disputatur.

PROPOSITIO I.

Manuum impositio essentialis est Ordinationis Episcopalis materia, & quidem probabiliter sola.

Probatur prima pars. 1°. Quia Scriptura, cùm Ordinationis, sive episcopalis, sive sacerdotalis, mentionem facit, solam commemorat manuum impositionem, cui vim gratiæ conferendæ tribuit. *Admoneo te*, inquit Paulus, *ut resuscites gratiam Dei quæ in te est per impositionem manuum mearum.* (2. *Tim.* 1. 6.) *Noli negligere gratiam quæ data est tibi cum impositione manuum.* (1. *Tim.* 1. 14.) 2°. Quia ritum illum ita constanter, vel ab initio frequentârunt Ecclesiæ omnes, ut in tota antiquitate nulla proferri possit, quæ sine manuum impositione Episcopos consecraverit. Hinc Dionysius vulgò Areopagita, vel quisquis alius autor antiquissimus, *Pontifex*, inquit, *qui ad pontificiam consecrationem est evectus, ... supra caput habet.... manum Pontificis, atque hoc modo..... consecratur.* (*De Eccles. Hierarch. cap.* 5. *n.* 2. *edit. Cord. tom.* 1. *p.* 312.) 3°. Apud Græcos & Orientales Latinosque, vel à prioribus sæculis, mos invaluit ut Ordinatio, tùm episcopalis, tùm sacerdotalis, *impositionis manuum* nomine significaretur : atqui hæc appellatio videtur ex eo repetenda, quòd *essentialem* uniusque Ordinationis materiam in manuum impositione contineri, communis esset doctrina.

Prob. secunda pars. Si præter manuum impositionem, alia esset Episcopatûs materia *essentialis*, maximè vel codicis Evangeliorum supra Consecrandi cervicem impositio, vel unctio capitis & manuum, vel traditio libri Evangeliorum : atqui nihil horum dici potest. 1°. Quidem non codicis Evangeliorum impositio : quod enim ad episcopalis Ordinationis essentiam pertinet, cum eâ semper &

ubique debuit esse necessario conjunctum : atqui hæc codicis Evangeliorum impositio non fuit semper & ubique cum Ordinatione episcopali colligata ; siquidem cùm primi Episcopi ab Apostolis fuerunt instituti, nondùm scriptus erat Evangeliorum codex : quinetiam, postquàm scriptum fuit Evangelium, non ubique observatus fuit ille ritus, cùm de eo prorsùs taceat S. Isidorus Hispalensis, qui VII sæculo floruit, licèt Ordinationis episcopalis ritus omnes minutatim summâque diligentiâ descripserit. (*Lib.* 2. *de divinis officiis*, *cap.* 5.) Unde meritò colligitur ceremoniam hanc ipsius ætate in Hispaniis nondùm in usu fuisse ; ergo 1°. &c.

2°. Dici non potest *essentialem* esse capitis & manuum unctionem : hanc enim Græci nunquam usurpârunt, cùm nullum ejus vestigium reperias, vel in Græcis Scriptoribus, vel in eorum Ritualibus Libris, quos exhibent *Morin*, *Goar* & *Martenne* : atqui nedùm hujusmodi Ordinationes repudiaverint Pontifices Romani, contrà statuerunt ut Græci consuetum Ordinandi morem retinerent. Benedictus XIV decernit, *ut Episcopi Græci in Ordinibus conferendis ritum proprium Græcum in Euchologio descriptum servent.* (*Constit.* Etsi Pastoralis, *sect.* 7.) Prætereà, quamvis ille ritus apud Latinos sit antiquissimus, cùm illius meminerint S. Leo, & Gregorius Magnus, ubique tamen primitùs in usu non fuit ; siquidem de eo nullum verbum facit Concilium Carthaginense IV, quamvis singula recenseat in Ordinationibus usurpari solita.

3°. Non *essentialis* est traditio libri Evangeliorum ; tùm quia verus existebat Episcopatus, priusquàm tradi potuerit Evangeliorum codex ; tùm quia hæc ceremonia apud Latinos recentis est instituti ; *Hanc enim nulli Rituales*, ait Morinus, *ante quingentos annos scripti, nulli autores ante idem tempus commemorant ;* (*De sacris Ordin. part.* 3. *exercit.* 2. *cap.* 2. *n.* 5.) tùm quia ritus ille in Orientalibus Ecclesiis non viget, quæ tamen veros habent Episcopos ; superest igitur ut in manuum impositione collocetur tota Ordinationis episcopalis materia *essentialis* ; ceteræ verò ceremoniæ ad majorem tantùm officii & muneris episcopalis explicationem *successivè* fuerint inductæ.

PROPOSITIO II.

Ordinationis episcopalis forma sitæ est in oratione per quam Episcopus consecrans, dum Ordinando manus imponit, Spiritum Sanctum invocat.

Probatur. In eo reponenda est Ordinationis episcopalis forma, quod ab initio & ab utraque Ecclesia semper observatum fuit : atqui talis est oratio quâ invocatur Spiritus Sanctus. 1°. Quidem ab ipsis Ecclesiæ incunabulis adhibita est in Episcoporum consecratione. De Ordinatione enim Pauli & Barnabæ dicitur : *Tunc jejunantes & orantes, imponentesque eis manus, dimiserunt illos.* (*Act.* 13. 3.) 2°. Eam utraque Ecclesia constanter usurpavit, ut apud *Morin* & *Martenne* fidem faciunt omnes Latinorum Libri Pontificales, & omnia Græcorum Euchologia. In constitutionibus Apostolicis Episcopus consecraus hanc fundit orationem : *Da in nomine tuo, Deus cognitor cordis, huic servo tuo, electo à te in Episcopum, pascere gregem sanctum tuum, ... & offerre tibi dona Ecclesiæ sanctæ tuæ.* (*Apud Coteler. tom.* 1. *pag.* 392.) Dionysius de Episcopi inauguratione hæc habet : *Hoc modo à Pontifice qui ipsum* (*Episcopum*) *consecrat, ... sanctis precibus sanctificatur.* (*Edit. Cord. tom. pag.* 312.) Concilium Carthaginense IV jubet Episcopum, Presbyterum & Diaconum Ordinari, *Episcopo eos benedicente* (sive, ut dicitur) *fundente benedictionem :* (*Can.*

2. tom. 2. Concil. pag. 1199.) *Benedictionis* autem nomine apud Veteres significari solet oratio.

PARAGRAPHUS III.

Utrùm Episcopi ex jure divino sint Presbyteris superiores.

Sæculo IV docuit Aërius Episcopos inter & Presbyteros nihil esse discriminis : *Aëriani*, inquit Augustinus, *ab Aërio quodam sunt, qui cùm esset Presbyter, doluisse fertur quòd Episcopus non potuit Ordinari, & in Arianorum hæresim lapsus, propria quoque dogmata addidisse nonnulla, dicens Presbyterum ab Episcopo nullâ differentiâ discerni.* (*Lib. de Hæres. cap.* 53. *tom.* 8. *pag.* 18.) Calvinus sæculo XVI contendit dignitatem & jurisdictionem, quâ Episcopi hodiè supra simplices Presbyteros eminent, humani tantùm juris esse & instituti.

PROPOSITIO.

Episcopi ex jure divino sunt Presbyteris superiores.

Probatur 1°. Episcopos esse Apostolorum successores, constans unanimisque est Patrum doctrina. *Omnes*, Episcopi, ait S. Hieronymus, *Apostolorum successores sunt.* (*Epist. ad Evang. tom.* 4. *part.* 2. *pag.* 803. *Horum profectò* (*Apostolorum*) *nunc in Ecclesia Episcopi locum tenent*, inquit Gregorius Magnus : (*Lib.* 2. *Homil.* 26. *in Evang. n.* 5.) ita & alii. Eodem igitur modo Presbyteris superiores sunt Episcopi, quo fuerunt Apostoli : atqui Apostolos ex jure divino fuisse Presbyteris superiores, nemo sapiens negaverit. Hinc in Actuum Apostolorum historiâ, quotiès Apostolorum & Presbyterorum sive seniorum fit mentio, Presbyteri secundo post Apostolos gradu constituuntur. Sic, v. g. cùm habitum fuisset Concilium Hierosolymitanum, ad definiendam quæstionem de lege Mosaica exortam, Epistola in hunc modum scripta legitur : *Apostoli & seniores fratres iis qui sunt Antiochiæ.* (*Act.* 15. 23.) Præcipiebat Paulus *custodire præcepta Apostolorum & seniorum :* (*Ibid. v.* 41.) atqui constans illa Scripturæ consuetudo Apostolos primo loco appellandi, satis probat Apostolos Presbyteris fuisse jure divino superiores; eadem igitur dignitas Episcopis Apostolorum successoribus competit.

Prob. 2°. Eam non à legibus humanis, sed ab institutione divina jurisdictionem habent Episcopi, quam ipsis tribuit Scriptura : atqui variis in locis Scriptura eam Episcopis autoritatem asserit, quâ sint Presbyteris superiores ; eos quippè exhibet ut Presbyterorum judices. Timotheum enim sic admonet Paulus : *Adversùs Presbyterum accusationem noli recipere, nisi sub duobus aut tribus testibus.* (1. *Tim.* 5. 19.) Atqui Superioris est adversùs aliquem accusationem recipere & testes audire : eâdem Scripturâ teste, Episcopi est Presbyteros in civitatibus constituere. *Hujus rei gratiâ reliqui te Cretæ*, inquit Paulus Tito, *ut constituas per civitates Presbyteros ;* (*Tit.* 1. 5.) qui autem Presbyteros per civitates constituit, eorum moderator censetur, ipsisque superior ; ergo, &c.

Prob. 3°. ex Patribus : ex innumeris ipsorum testimoniis pauca tantùm brevitatis causâ proferemus. S. Epiphanius hæc Apostoli ad Timotheum monita expendens : *Seniorem ne increpaveris, adversùs Presbyterum accusationem noli recipere, nisi sub duobus aut tribus testibus ;* (1. *Tim.* 5. *v.* 1. & 19.) hæc, inquam, verba expendens S. Doctor sic habet : *Quid attinebat Episcopo vetare, ut ne Presbyterum objurgaret, nisi majorem ipso potestatem obtineret ? quare deinceps admonet ? adversùs Presbyterum citò accusationem ne admiseris, nisi duobus tribusve testibus. Non alicui ex Presbyteris*

præcepit, ut accusationem contra Episcopum non admitteret; aut ut Episcopum non objurgaret. (*Tom.* 1. *Hæres.* 75. *n.* 5. *p.* 910.) Ergo S. Doctor in prædictis Apostoli verbis consignatam vidit Episcoporum supra Presbyteros autoritatem.

S. Cyprianus docet *Ecclesiam super Episcopos constitui, & omnem actum Ecclesiæ per eosdem Præpositos gubernari; idque divinâ lege fundatum esse.* (*Epist.* 27. *edit. Balut. pag.* 37 & 38.) Ad Cornelium Papam ita scribit: *Quòd si ita res est, ... inquit, ut nequissimorum timeatur audacia, ... actum est de Episcopatûs vigore, & de Ecclesiæ gubernandæ sublimi ac divinâ potestate.* (*Epist.* 55. *pag.* 80.) Illi profectò ex jure divino Presbyteros jurisdictione antecellunt, ad quos ex lege divina pertinet omnes Ecclesiæ actus dirigere & moderari, qui divinam habent Ecclesiæ gubernandæ potestatem: atqui, teste S. Cypriano, talis est Episcoporum autoritas; ergo, &c.

S. Hieronymus, cujus patrocinio potissimùm gloriantur Heterodoxi, nostram hanc doctrinam variis in locis adstruit: *Quod Aaron & filii ejus, inquit, atque Levitæ in templo fuerunt, hoc sibi Episcopi & Presbyteri vindicent in Ecclesia.* (*Epist.* 101. *ad Evangelum, tom.* 4. *part.* 2. *pag.* 303.) Eamdem veritatem sic confirmat: *Quod Aaron & filios ejus, hoc esse Episcopum & Presbyteros, noverimus.* (*Epist.* 34. *ad Nepotianum Presbyterum, tom.* 4. *part.* 2. *pag.* 261.) Atqui apud omnes certum est, Aaron filiis suis Sacerdotibus autoritate majorem fuisse ex institutione divinâ; ergo pariter, judice Hieronymo, Episcopi novæ legis Presbyteris autoritate præcellunt. Qui longiorem Patrum seriem volverit, adeat Witassium.

Prob. 4°. Id Deus ipse meritò dicitur Apostolis, eorumque successoribus Episcopis largitus, quod devitandis schismatibus, & conservandæ unitati ecclesiasticæ necessarium est: atqui Episcopus unicus in unaquaque Ecclesia & speciali juris-

dictione præeminens, à Veteribus habetur ut necessarius ad occurrendum schismatibus. Vix enim aliam causam afferunt, cur unicus in veteri lege fuerit Summus Pontifex, & cur in Evangelicâ unus Præsul unicuique Ecclesiæ præficiatur: *Ecclesiæ salus*, inquit Hieronymus, *in Summi Sacerdotis, id est, Episcopi, dignitate pendet; cui si non exsors quædam & ab omnibus eminens detur potestas, tot in Ecclesiis officientur schismata, quot Sacerdotes.* (*Dialog. advers. Luciferianos, tom.* 4. *part.* 2. *pag.* 295.) Fatetur ipse Calvinus Judaicæ Religioni unum Antistitem à Deo fuisse præpositum; *quem omnes inspicerent, quò melius in unitate continerentur.* (*Lib.* 4. *institut. cap.* 6. *n.* 2.) Ergo, &c.

Prob. 5°. Universa Ecclesia Aerium tanquam hæreticum habuit, eo quòd Episcopos negaret Presbyteris esse superiores: atqui nemo propriè hæreticus est, nisi dogma divinitùs revelatum impugnaverit; ergo, juxta mentem Ecclesiæ, autoritas quâ Presbyteris antecellunt Episcopi, revelatione nititur; ergo non humanam, sed divinam sibi vindicat originem.

Solventur objecta.

Obj. 1°. Actuum cap. 10, v. 17. 18. & 28. de Paulo sic narratur: *A Mileto mittens Ephesum, vocavit majores natu Ecclesiæ* (græcè Presbyteros) *qui cùm venissent ad eum, & simul essent, dixit eis: ..... attendite vobis & universo gregi, in quo vos Spiritus Sanctus posuit Episcopos regere Ecclesiam Dei.* Ibi Apostolus *Episcopos* vocat quos priùs dixerat Presbyteros.

Unde sic: Primis Ecclesiæ temporibus iidem vocantur Presbyteri & Episcopi; ergo tunc utrisque par erat dignitas, æqualis & autoritas.

Resp. Neg. conseq. Ex hujusmodi enim argumento nihil colligi potest, si nomen multis com-

mune non semper communem arguat dignitatem; atqui nomen commune multis non, &c. sic Apostoli non rarò *seniores*, seu *Presbyteri*, dicuntur; eo nomine se vocat ipse Petrus: *Seniores*, inquit, *qui in vobis sunt, obsecro consenior.* (1. *Ep.* 5. 1.) Quin & ipsemet Christus dicitur *Episcopus animarum nostrarum.* (*Ibid. cap.* 2. 25.) Atqui tamen nemo putaverit, idcircò vel Episcopos Christo, vel Presbyteros Apostolorum Principi fuisse dignitates pares; ergo, &c.

Obj. 2°. S. Hieronymus quorumdam Diaconorum qui supra Presbyteros sese efferebant, superbiam variis rationibus reprimit, & maximè quòd *Apostolus perspicuè doceat eosdem esse Presbyteros, quos Episcopos.* (*Epist. ad Evangelum, tom.* 4. *part.* 2. *pag.* 802.) Porrò inter eos nullum est potestatis discrimen, qui iidem sunt: atqui, juxta S. Hieronymum, iidem sunt Presbyteri & Episcopi; ergo, &c.

Resp. Dist. maj. Inter eos nullum est potestatis discrimen, qui iidem sunt quoad dignitatem; conc. quoad nomen tantùm, neg. maj. dist. par. min.

Cùm temporibus Apostolicis, Sacerdotes primi & secundi ordinis *Episcopi* & *Presbyteri* indiscriminatim appellarentur, potuit eo sensu dicere Hieronymus, ab initio eosdem fuisse Presbyteros & Episcopos. Non aliud autem in animo habuisse satis indicant verba quæ subjungit: *Certè in una civitate plures Episcopi ..... esse non poterant: sed quia eosdem Episcopos illo tempore quos & Presbyteros appellabant, propterea indifferenter de Episcopis, quasi de Presbyteris est locutus* Apostolus: quæ verba non obscurè significant S. Hieronymum communem tantùm appellationem respicere.

Et verò, si non tantùm nomine, sed etiam potestate & dignitate, eumdem cum Episcopis Presbyterum esse judicasset, in una civitate in qua plures sunt Presbyteri, non possent non esse plures

plures Episcopi: atqui, ex Hieronymo, *in una civitate plures Episcopi esse non poterant;* ergo, ne ipse sibi adversetur, ipsius verba eo sensu accipienda sunt, quòd iidem essent Presbyteri & Episcopi quoad communem duntaxat appellationem. Denique in eadem Epistola ad Evangelum reperitur decantatum illud S. Doctoris effatum: *Quid facit, exceptâ Ordinatione, Episcopus, quod Presbyter non facia?* Quomodo igitur dicere potuisset eosdem esse quoad potestatem & dignitatem Episcopos ac Presbyteros, in eo ipso loco ubi sacram Ordinationem solis vindicat Episcopis?

Subsumes: atqui Presbyteri & Episcopi iidem erant quoad officium, dignitatem & potestatem. Ita enim differit S. Doctor: *Idem est ergo Presbyter qui & Episcopus; & antequam diaboli instinctu studia in Religione fierent, & diceretur in populis: ego sum Pauli, ego Apollo, ego autem Cephæ, communi Presbyterorum consilio Ecclesiæ gubernabantur.* (*Comment. in cap.* 1. *Epist. ad Tit. tom.* 4. *part.* 1. *pag.* 413.)

Unde sic: Illi iidem erant officio & potestate, qui communi consilio Ecclesias gubernabant: atqui, ex Hieronymo, Presbyteri & Episcopus communi, &c. ergo, &c.

Resp. Dist. maj. Illi iidem erant, &c. qui communi consilio parique autoritate Ecclesias gubernabant, conc. maj. qui communi consilio, sed dispari autoritate Ecclesias gubernabant, neg. maj. dist. parit. min.

Commune quidem fuit consilium, sed dispar autoritas. Illius enim consilii dux & princeps erat Episcopus penès quem summa residebat autoritas. Presbyteri autem sub Episcopi arbitrio in partem regiminis veniebant. Hinc Nepotianum sic hortatur ipse Hieronymus: *Esto subjectus Pontifici tuo..... Quod Aaron & filios ejus, hoc esse Episcopum & Presbyteros noverimus.* (*Epist.* 34. *ad Nepot. Presbyterum. Tom.* 4. *part.* 2. *pag.*

261.) Quis verò inficiari audeat Aaron filiis suis autoritate præcelluisse? Passim suis in epistolis testatur S. Cyprianus se nolle sine Cleri consilio quidquam agere: se tamen Presbyteris superiorem agnoscit, ut constat ex dictis.

Subsumes: Atqui, juxta S. Hieronymum, ita communi consilio regebantur Ecclesiæ, ut Episcopi majorem ex jure divino potestatem non habuerint, quàm Presbyteri. *Episcopi*, inquit, *noverint se magis consuetudine, quàm dispositionis dominicæ veritate Presbyteris esse majores, & in communi debere Ecclesiam regere.* (*Comment. in cap.* 1. *Epist. ad Tit. tom.* 4. *part.* 1. *pag.* 413.)

Unde sic: Qui declarat Episcopos magis Ecclesiæ consuetudine, quàm dispositionis dominicæ veritate, Presbyteris esse majores, is profectò censet Episcopos non divino, sed humano tantùm jure esse Presbyteris superiores: atqui S. Hieronymus declarat, &c. ergo, &c.

Resp. 1°. Neg. maj. Ex verbis enim S. Doctoris sequitur Episcopos esse Presbyteris majores, tùm ex consuetudine, tùm ex institutione divina; iste igitur locus ab heterodoxis objectus doctrinæ catholicæ favet, nedùm noceat.

Resp. 2°. Dist. ant. Objecta Hieronymi verba intelligenda sunt de jurisdictionis usu & exercitio, conc. de primaria jurisdictionis institutione & veluti radice, neg. ant.

Itaque ut S. Doctoris mentem assequamur, duo sunt accuratè secernenda, jurisdictio nempè, & ipsius usus vel exercitium. Si jurisdictionis exercendæ modum spectes, potuit dicere Hieronymus Episcopos ex consuetudine præsertim Ecclesiæ, Presbyteris esse majores, quia ex Ecclesiæ disciplina factum est, ut latiùs quàm olim pateat jurisdictionis episcopalis exercitium. Scilicèt inter ipsa Religionis exordia, non omni autoritate suâ utebantur Episcopi, sed cum Presbyteris communi consilio Ecclesiam regebant & moderabantur; cùm autem inde nata essent schismata & dissensiones, quia unusquisque administrator partem aliquam gregis sibi devotam & mancipatam tenebat, tunc satius visum est ut ad unum Episcopum omnis penè autoritas referretur, quò facilius omnes sub eodem capite in officio & concordia continerentur. *Ut dissensionum plantaria evellerentur*, ait Hieronymus, *ad unum omnis sollicitudo delata est.* (*Ibid.*) Quibus verbis significat omnem Ecclesiæ curam & sollicitudinem, quæ priùs in plures divisa erat, ad unum exinde Episcopum delatam esse; cum igitur ait ex consuetudine præsertim factum esse, ut Presbyteris majores essent Episcopi, ipsius verba intelligenda sunt de jurisdictionis tantùm exercitio, quod ex Ecclesiæ disciplina latius majusque evasit, quàm anteà fuerat.

Si verò ipsam Episcoporum jurisdictionem in primaria illius veluti radice, origine & institutione spectes, certum est ex S. Hieronymo eam in jure divino fundari, ut constat ex iis quæ jam diximus. Prætereà in ipso qui nobis objicitur loco statim subjungit S. Doctor: *Episcopos in communi debere Ecclesiam regere, imitantes Moysen, quia cùm haberet in potestate solus præesse populo Israël, septuaginta elegit cum quibus populum judicaret.* Ibi comparat Hieronymus Episcopum cum Moyse, & Presbyteros cum septuaginta senioribus quos elegit, ut eorum consilio uteretur: atqui procul dubio, Moyses ex jure divino fuit autoritate superior septuaginta senioribus; ergo, juxta mentem Hieronymi, pariter Episcopus Presbyteris ex autoritate divinitùs acceptâ superior est.

Subsumes: Atqui de solo jurisdictionis exercitio non loquitur S. Hieronymus; sed prætereà docet ex jure divino nihil esse discriminis inter Episcopatum & Presbyteratum. Sic enim narrat: *Alexandriæ à Marco Evangelista; usque ad Heraclam, Presbyteri semper unum ex se electum in*

excelsiori gradu collocatum, Episcopum nominabant, quomodo si exercitus Imperatorem faciat. (Epist. ad Evangelum.)

Unde sic: Asserit Hieronymus Alexandriæ per ducentos & amplius annos hunc morem obtinuisse, ut Presbyteri unum ex suo gremio facerent Episcopum, quomodo Imperator olim ab exercitu eligebatur, ac proindè sine ulla nova Ordinatione & consecratione; ergo S. Doctor censuit ex jure divino nihil esse discriminis inter Episcopatum & Presbyteratum.

Resp. Dist. ant. Asserit S. Hieronymus Alexandrinos Presbyteros olim unum ex suo germino creasse Episcopum, quomodo Imperator ab exercitu eligebatur, quoad aliqua, conc. quoad omnia, neg.

In objecta scilicèt epistola illud est S. Doctoris institutum, ut probet Diaconis superiores esse Presbyteros; ceteris autem argumentis adjungit veterem Ecclesiæ Alexandrinæ morem, quæ ex solo Presbyterorum, non verò Diaconorum ordine, Episcopum eligebat: quod Presbyterorum præ Diaconis excellentiam arguit. Eò igitur tantùm spectat Hieronymi comparatio, quòd ex Presbyteris Alexandrinus unus eligeretur in Episcopum, sicut à militibus eligebatur Imperator: sed, præter electionem Episcopi, ex constanti universalis Ecclesiæ Traditione semper necessaria fuit illius Ordinatio sive consecratio ab Episcopis facta; quam legem ab Ecclesia Alexandrina servatam fuisse, constat ex vetustissimo apostolicarum constitutionum Autore: testatur enim Anianum, qui primus post S. Marcum Alexandrinæ Ecclesiæ præfuit, ab eodem S. Marco, & Abilium Aniani successorem à S. Luca fuisse consecratum. (*Lib. 7. cap. 46. Edit. Coteler. tom. 1. pag. 385.*) Consecrationem hanc filet quidem in objecto loco S. Hieronymus, quia ad scopum suum non pertinebat; eam verò minimè negat.

PARAGRAPHUS IV.

Utrùm Parochi juris sint divini, suamque à Christo potestatem habeant.

Quidam Theologi contendunt Parochos suam ab Episcopis jurisdictionem mutuari, inter quos eminet D. *Corgne* in opere cui titulus: *défense du droit des Evêques.* (*Tom. 2. pag. 674.*) Alii verò multi cum sacra Facultate Parisiensi docent divinam esse Parochorum originem ac jurisdictionem, quibus suffragamur.

Cùm autem asserimus juris divini esse Parochos, id non eo sensu dictum volumus, quòd Christus Parochias, quales nunc existunt, instituerit: sed eos divinitus institutos ita intelligimus, ut eam quam in fideles exercent autoritatem à Deo immediatè, non autem ab Episcopo teneant. Cùm Missam celebrant, cùm baptizant, cùm verbum Dei prædicant, hæc omnia peragunt ex potestate sibi à Spiritu Sancto concessa, nec eos spectare licet, tanquam simplices Episcopi Vicarios, quasi ab illo quidquid habent juris acceperint. His prænotatis, sit

PROPOSITIO.

Parochi juris sunt divini, suamque à Christo jurisdictionem immediatè acceptam habent.

ARG. I. *Ex Scriptura.*

Sic refert S. Lucas: *Post hæc designavit Dominus & alios septuaginta duos, & misit illos binos ante faciem suam in omnem civitatem & locum quò erat ipse venturus, & dicebat illis: ite, ecce ego mitto vos, sicut agnos inter lupos, ... qui vos audit, me audit; & qui vos spernit, me spernit.* (*Cap. 10. v. 1. 2. 3. 16.*) Quibus ex verbis apertum est

72 Discipulos à Christo institutos & missos fuisse, & proindè suam ab ipso jurisdictionem immediatè accepisse; idem ergo de Parochis sentiendum est, qui 72 Discipulis succesfère, eorumque jurisdictionem exercent, sicut Episcopi Apostolorum locum & autoritatem obtinent, ut testatur unanimis perpetuaque Traditio.

Venerabilis Beda: *Sicut* 12 *Apostolos formam Episcoporum exhibere & præmonstrare, nemo est qui dubitet; sic & hos* 72 *figuram Presbyterorum, id est, secundi ordinis Sacerdotum gessisse sciendum est.* (*In Luc. cap.* 10. *v.* 1.)

Theodulphus Aurelianensis Episcopus, qui Caroli Magni temporibus florebat, Presbyteris sic verba facit: *Scitote vestrum gradum nostro gradui secundum & penè conjunctum esse: sicut enim Apostolorum in Ecclesia, ita nimirùm Presbyteri ceterorum Discipulorum locum tenent.* (*Concil. Labb. tom.* 7. *col.* 1137.)

Riculphus Suessionensis Episcopus Parochos sic hortatur: *Sicut nos, licèt immeriti, Apostolorum vices in hac Ecclesia agere debemus; ita & vos quoque* 72 *Discipulorum nobiscum ministerium in hac plebe dominica exercere oportet; .... ad vos enim plebium pertinet cura & sollicitudo, & ex vobis pendet earum salus.* (*Concil. Labb. tom.* 9. *pag.* 417.)

Hincmarus Archiepiscopus Remensis: *Christus... Ordinem & dignitatem Episcoporum, qui locum in Ecclesia tenent Apostolorum, & Presbyterorum qui subrogantur loco septuaginta Discipulorum, & in administratione & in honore... discrevit.* (*Hincmar. opera, tom.* 2. *pag.* 769.)

S. Thomas: *Formam* 72 *Discipulorum non solùm tenent Presbyteri Curati, sed quicumque alii minoris ordinis qui Episcopis in eorum officio subserviunt.* (2. 2. *quæst.* 188. *art.* 4. *ad* 5.)

Clarissimus Gerson: *Status Curatorum succedit statui* 72 *Discipulorum Christi .... proindè status Curatorum est de institutione Christi.* (*Tract. de stat. Eccles. de stat. Curat. consid.* 1.)

Concilium Colonienſe an. 1536: *Christus alios* 72 *Discipulos designavit, quorum locum in Ecclesia tenent Presbyteri.* (*Enchir. de Sacram. Ordinis pag.* 169. *edit. Paris. an.* 1545.)

Parochi igitur, sicut 72 Discipuli quorum sunt successores, à Christo fuerunt instituti, suamque ab eo jurisdictionem habent.

Dices: Quæ modo concessimus testimonia, si perpauca excipias, de Presbyteris tantùm mentionem faciunt, de Parochis verò prorsùs tacent; argumentum igitur ex iis deductum probat quidem omnes Presbyteros juris esse divini, sed nullum Parochis peculiare privilegium asserit.

Resp. Cùm Parochos juris esse divini, suamque à Christo jurisdictionem accepisse contendimus, illud, ut jam præmonuimus, non intelligendum est quasi Christus Parochias, quales nunc videmus, instituerit. Quis enim nesciat ex jure ecclesiastico factum esse ut Parochiæ intra quoddam territorium continerentur, utque Parochi forent perpetui, nec possent à suis Beneficiis amoveri? Id unum verò intendimus, nempè à Christo missos fuisse 72 Discipulos ad prædicandum Evangelium; Christum voluisse ut ipsis succederent Presbyteri, qui idem Evangelium nuntiarent, qui in regendo populo fideli essent Episcoporum adjutores, cujus saluti sub eorum autoritate incumberent. Quibus in officiis situm est munus Parochiale, quod à Christo institutum asserimus. Vox ista *Parochus* olim insueta erat: nemo etiam ad Sacerdotium promoveri consueverat, quin ipso suæ consecrationis tempore alicui Ecclesiæ addiceretur, ut ei operam suam daret. Presbyteri qui nullam jurisdictionem, nullamque in animarum regimine partem habent, in eo capite 72 Discipulis non succedunt, nec Parochis sunt pares, quamvis ratione Sacerdotii ipsis æquales sint.

ARG. II. *Ex Catechismis.*

Tanto numero sunt Catechismi qui docent Parochos juris esse divini, ut singulos hic appellare non liceat. Paucos igitur allegabimus.

Catechismus Cardinali *Mazarin* dedicatus, & qui apud Catholicos Anglos ab annis pluriquàm centum in usu est, sic habet: *Qui sont ceux à qui J. C. a donné le pouvoir de gouverner & d'enseigner? Ce sont premièrement les Evêques, & ensuite les autres Prêtres, qu'on appelle communément Curés. (Expos. des principaux art. de la doctrine Chrét. recueillis de plusieurs Catéchismes; Paris. 1647. Leç. 10. de l'Eglise, pag. 83.)*

Catechismus Senonensis an. 1699: *Qui J. C. a-t-il laissé à l'Eglise pour sa conduite? Des Pasteurs, un Pape en St. Pierre, des Evêques & des Pasteurs inférieurs. (Leç. 9.)* Quinam autem sunt Pastores illi inferiores Episcopis, nisi Parochi? Catechismus Trecensis à D. *de Chavigni* editus, in quo nihil immutavit D. *Bossuet* ipsius successor: *Les pasteurs légitimes dont J. C. se sert pour gouverner son Eglise, sont le Pape, les Evêques, les Curés & les Prêtres sous l'autorité des Evêques. (1. part. 20. Leç. 20. pag. 63.)*

Catechismus Rhedonensis (*de Rennes*) an. 1577: *Les fidelles doivent reconnoître la puissance que Dieu a donnée au souverain Pasteur de l'Eglise, aux Evêques, ... Curés & autres ayant charge en l'Eglise de Dieu. (Chap. 8. pag. 35.)*

Catechismus Vesuntinus (*de Besançon*): *Les Pasteurs de l'Eglise à qui les fidelles doivent obéir, sont, 1°. notre saint Père le Pape.... successeur de St. Pierre... 2°. les Evêques, successeurs des Apôtres; 3°. les autres Pasteurs, tels que sont les Curés, successeurs des Disciples de Notre-Seigneur J. C.*, ac proindè à Christo instituti. *(Edit. de 1675, instruct. 16. pag. 65.)*

Catechismus vulgò dictus *des trois Evêques* cujus tanta est celebritas, & quem suum fecit D. *le Tellier* Archiepiscopus Remensis: *Les Ministres que J. C. a établis, & par lesquels il gouverne visiblement l'Eglise, sont les Curés dans leurs Paroisses, les Evêques dans leurs Diocèses, le Pape dans toute l'Eglise. (Catéch. à l'usage du Diocèse de Rheims, part. 7. Leç. 2. pag. 454.)*

Catechismus Lactoracensis (*de Ledoure*) an. 1688: *Le souverain Pasteur de nos ames a établi les Pasteurs ou Curés dans la personne des 72 Disciples: il les a établis pour gouverner son Eglise. (part. 4. Leç. 88. part. 445.)*

Catechismus Rhutenus (*de Rhodez*) an. 1721: *J. C. gouverne visiblement son Eglise par les Ministres qu'il a établis pour la conduite des fidelles. Les Ministres dont il se sert pour gouverner l'Eglise, sont les Curés dans leurs Paroisses, les Evêques dans leurs Diocèses & le Pape dans toute l'Eglise. (Instruct. 9. pag. 24.)*

Unde colligitur istud argumentum: Ii Ministri sunt juris divini, qui à Deo instituti fuerunt, ut Ecclesiam sub Episcoporum autoritate regerent: atqui ex allegatis Catechismis, & aliis innumeris, in quibus exponuntur præcipua Doctrinæ Christianæ capita, Parochi à Deo, &c. ergo, &c.

ARG. III. *Ex Judiciis sacræ Facultatis Parisiensis.*

In asserenda quam defendimus veritate semper constans fuit sacra Facultas Parisiensis. Anno 1408, Joannes *Gorel* Franciscanus hanc thesim propugnaverat: *Curati non sunt de institutione Christi & Ecclesiæ primariâ.* Quam doctrinam indignatus sacer Ordo, oppositam hanc assertionem profiteri eum compulit: *Curati sunt in Ecclesia minores Prælati & Hierarchiæ ex primaria institutione Christi. (Hist. Univers. Paris. tom. 5. pag. 189.)*

Anno 1429 Joannes *Sarazin* propositionem hanc

de fenderat: *Dicere inferiorum Prælatorum poteſtatem juriſdictionis, ſive ſint Epiſcopi, ſive Curati, eſſe immediatè à Deo, ſicut poteſtatem Papæ, veritati quodam modo repugnat.* (*Ibid. pag.* 387.) Non tulit hanc doctrinam ſacra Facultas, eamque ſic revocari juſſit: *Dicere inferiorum Prælatorum poteſtatem juriſdictionis, ſive ſint Epiſcopi, ſive Curati, eſſe immediatè à Deo, Evangelicæ & Apoſtolicæ conſonat veritati.* (*Ibid.*)

Anno 1664 Jacobus *Vernant*, ex Carmelitarum Ordine, librum edidit cui titulus: *La défenſe de l'autorité de notre S. Père le Pape.* Quo in opere multa erant doctrinæ quam tuemur contraria. Sex propoſitiones inde excerptas cenſoriâ notâ ſic perſtrinxerunt Doctores Pariſienſes: *Hæ ſex propoſitiones, quatenùs aſſerunt vel inferunt poteſtatem juriſdictionis Curatorum non eſſe immediatè à Chriſto, quantùm ad inſtitutionem primariam, falſæ ſunt, & decretis ſacræ Facultatis contrariæ.*

Anno 1772 in lucem prodiit ſcriptum cui fictus erat hic titulus: *Déclaration de la doctrine de la Sorbonne ſur l'inſtitution & la juriſdiction des Curés, contre les aſſertions du Syndic du Chapitre de Cahors.* Hoc opere violatam ſuorum Majorum doctrinam ſic vindicârunt Theologi Pariſienſes: *Venerandum Parochorum Ordinem eſſe de jure divino, & immediatè à Deo inſtitutum tenet ſacra Facultas Pariſienſis; ſtatum hunc ad eſſentialem & intrinſecam Eccleſiæ Hierarchiam pertinere, conſtanti Majorum ſuorum traditione didicit.*

Solvuntur objecta.

Obj. 1°. Ideò Parochi dicuntur eſſe juris divini, quia 72 Diſcipulis ſuccedunt: atqui hæc ſucceſſio mera eſt fabula. Qui enim illam primus teſtatur Venerabilis Beda, ſæculo VIII floruit; apage Traditionem quæ ſuum non ducit initium, niſi à ſæculo VIII; ergo, &c.

Reſp. Neg. min. Numquid nullius momenti eſt ſententia, quæ ſæculo VIII propoſita, exinde conſtanter & ſine ulla interruptione propugnata fuit? quam defenderunt tot viri pietate & ſcientiâ conſpicui, quæ in Catechiſmis ferè omnibus conſignata eſt? Ante ſæculum VIII, inquis, non vulgata fuit; ſed nullus etiam ipſi contradixit. Ubi primùm in lucem prodiit, nemo reclamavit, nemo eam novitatis accuſavit: quod manifeſtum eſt argumentum doctrinam hanc antiquæ Traditioni eſſe conſentaneam.

Præterea ex Scripturis conſtat Diſcipulos à Chriſto fuiſſe inſtitutos ab obeundas quaſdam functiones Eccleſiaſticas ad prædicandum Evangelium. Non minùs certum eſt eadem munia, vel à primis Eccleſiæ temporibus, exercuiſſe Presbyteros; ergo 72 Diſcipulis in eodem miniſterio ſucceſſerunt.

Inſt. Si Presbyteri non fuerint 72 Diſcipuli, iis non ſucceſcêre Parochi: atqui 72 Diſcipuli non fuerunt Presbyteri, ſiquidem ultimæ cœnæ non interfuerunr, ubi Chriſtus Apoſtolos conſtituit Sacerdotes; ergo, &c.

Reſp. Neg. maj. Sive enim Sacerdotes fuerint 72 Diſcipuli, ſive non fuerint, nihil intereſt. Eorum quippè ſucceſſores meritò dicuntur Parochi, modò 72 Diſcipuli à Chriſto juriſdictionem acceperint, quæ in Parochos tranſierit: atqui 1°. juriſdictionem habuerunt 72 Diſcipuli, ſiquidem à Chriſto miſſi ſunt ad prædicandum Evangelium, *ecce ego mitto vos*, &c. utque ſub Apoſtolis Eccleſiam regerent. Legitima autem miſſio juriſdictionem importat, neque morari nos debet, quòd Presbyteri non fuerint. A Presbyteratu enim ſejuncta eſſe poteſt juriſdictio: ſic Parochi paucis abhinc annis, licèt nondùm Presbyteri, plura tamen agere poterant, quæ ad juriſdictionem pertinent. Sic pariter S. Paulus Apoſtolatum longè priùs exercuit, quàm Preſbyter conſecraretur *manuum impoſitione & oratione.*

(*Act.* 3. 13.) 2°. Eamdem quam 72 Discipuli jurisdictionem obtinent Parochi ; Ecclesiam enim sub Episcoporum autoritate regunt, & animarum saluti incumbunt ; ergo etiamsi Presbyteri non fuerint 72 Discipuli, eorum tamen successores verè dicuntur Parochi.

Obj. 2°. Parochias tertio tantùm sæculo fuisse institutas patet ex S. Justino qui secundo sæculo scribebat : *Solis die*, inquit, *omnium qui in urbibus vel agris degunt, in eumdem locum conventus fit*, nempè sub Episcopo ; (*Apolog.* 1. *n.* 67.) ergo tunc nulli extitêre Parochi, ac proindè non sunt juris divini.

Resp. 1°. Transeat ant. Juxta quosdam enim, vel ipsis Apostolorum temporibus extitisse Parochias maximè verisimile est. Id colligunt ex S. Pauli ad Romanos Epistola : *Commendo vobis*, inquit, *Phœben sororem nostram, quæ est in ministerio Ecclesiæ quæ est in Cenchris.* (*Rom.* 16. 1.) Porrò Ecclesia illa non erat Sedes Episcopalis. Theodoretus enim in hunc locum observat Cenchreas esse Corinthi suburbium (*fauxbourg*) ; hæc igitur Ecclesia vera fuit Parochia, quæ ab uno, vel pluribus Presbyteris regebatur. Ex verbis autem S. Justini id unum inferri potest, nullas scilicèt extitisse Parochias in locis ubi scribebat, non verò in aliis regionibus.

Resp. 2°. Neg. conseq. Etiamsi enim concederemus, ante sæculum tertium non institutas fuisse diversis in locis Parochias, inde non sequeretur nullos tunc extitisse Parochos : hoc quippè nomine Presbyteros intelligimus, qui sub Episcoporum autoritate populum fidelem doceant, regant & Sacramentis pascant : atqui vel ab ipsis Ecclesiæ incunabilis, fuerunt hujusmodi Presbyteri. Id patet ex istis Apostoli verbis : *Qui benè præsunt Presbyteri, duplici honore digni habeantur, maximè qui laborant in verbo & doctrina.* (1. *Tim.* 5. 17.) Presbyterorum autem nomine hic Episcopos non designari probant subsequentia hæc verba : *Adversùs Presbyterum accusationem noli recipere, nisi sub duobus aut tribus testibus.* (*Ibid. v.* 19.) De aliis enim Episcopis, ut potè sibi æqualibus, judicium ferre non poterat Timotheus.

Obj. 3°. Si Parochorum jurisdictio Christum habeat autorem, ea non pendebit ab Episcopis : quis enim mortalium autoritatem sibi arrogare possit in ea quæ à Christo instituta fuerunt, sive quæ juris sunt divini ? atqui falsum est Parochorum jurisdictionem ab Episcopis non pendere ; ergo, &c.

Resp. Dist. maj. Ab Episcopis non pendebit quoad institutionem & collationem primariam, conc. maj. quoad exercitium & limitationem, neg. maj. similiter dist. min.

Porrò qui Parochos eorumque jurisdictionem instituit Christus, etiam voluit ut ea non exerceretur, nisi sub Episcoporum autoritate : alioquì tota subverteretur Respublica Christiana, cujus in eo maximè situs est ordo, ut inferiores superioribus pareant. Quis autem Catholicus neget Episcopos esse Parochis superiores ? certum est igitur Parochorum jurisdictionem, licèt divinitùs institutam, Episcoporum autoritati esse quoad exercitium subjectam.

Parochorum autem jurisdictio, quoad institutionem & collationem primariam, ab Episcopis non pendet, sive ab iis suam non ducit originem. Potestatem enim suam ab eo tenent Parochi à quo suam habuerunt 72 Discipuli quibus succedunt : atqui Discipulos suam à Christo jurisdictionem immediatè accepisse, ex dictis compertum est ; ergo de Parochis idem sentiendum. A quo enim fonte dimanat Episcoporum jurisdictio ? nonne à Christo ? quam autem ob causam ? nisi quia succedunt Apostolis qui suam autoritatem ab eodem Christo immediatè acceperunt.

Obj. 4°. Prioribus Ecclesiæ sæculis nulli Presbytero licitum erat citra Episcopi licentiam bap-

rizare & alias functiones ecclesiasticas exercere. *Dandi quidem Baptismi*, inquit Tertullianus, *habet jus summus Sacerdos, dehinc Presbyteri & Diaconi, non tamen sine Episcopi autoritate ;* (*Lib. de Bapt. cap.* 17.) Ergo merum figmentum est divina Parochorum institutio, qui jurisdictionis potestatem ab ipso Christo immediatè acceperint.

Resp. Neg. conseq. Quod nobis hic objicitur, id unum probat, nempè jurisdictionis à Christo Parochis collatæ exercitium ab Episcopi judicio pendere ; quod ultrò confitemur. Primis Ecclesiæ nascentis temporibus, ob fidelium paucitatem, verbo Dei annunciando & Sacramentis administrandis unus sufficiebat Episcopus ; potuit igitur illas functiones Ecclesiasticas sibi retinere, easque sine ipsius licentia non exercebant Presbyteri, & suam ab eo missionem accipiebant. Quid verò ipsis dabat hæc missio ? an Sacrificium offerendi, verbum Dei prædicandi, Sacramenta conferendi potestatem ? nequaquam ; hanc enim à Deo sua in consecratione jam acceperant. Hæc igitur missio Presbyteris subjectos tantùm designabat, in quos Ordinis potestatem legitimè exercerent. Tandem Presbyteri ex institutione divina possunt Sacrificium celebrare ; id tamen, ne diebus quidem Dominicis, olim ipsis licitum erat sine Episcopi consensu.

Obj. 5°. Presbyteros consecrat & instituit Episcopus ; ergo suam ab eo jurisdictionem habent.

Resp. Neg. conseq. Episcopus ab aliis Episcopis consecratur ; numquid eam ob causam ab iis accipit potestatem sive Ordinis, sive jurisdictionis ? Episcopi, juxta præsentem disciplinam, à Romano Pontifice per Bullas instituuntur ; an propterea suam ab eo jurisdictionem mutuantur ? Romanus ipse Pontifex ab hominibus eligitur, super Cathedram Petri constituitur ; an idcircò suam ab hominibus autoritatem acceptam habet ? Nequaquàm, Ratio est quòd non alius sit omnis Ecclesiasticæ potestatis fons, quàm Christus qui per Episcopos

consecrantes, veluti per totidem canales, jurisdictionem Episcopalem communicat. Episcopi, dum sacros Ordines conferunt, sunt tanquam instrumenta, quorum interventu Deus potestatem sacerdotalem impertit.

Veritatem hanc magis conspicuam faciet ista comparatio. In Monarchia Rex solus est potestatis judiciariæ principium : eam quibusdam per se & proximè communicat ; aliis autem per homines intermedios, quibus Judices instituendi facultatem dedit. Ineptè prorsùs diceretur Optimatem quempiam esse autoritatis Judicis quem creat, fontem & principium ; merus quippè est canalis, per quem Princeps autoritatem hanc in alium derivat. Penès Regem solum est potestas judicialis ; quisquis hujus sit particeps, eam à Rege tantùm acceptam habet : sed quosdam homines Princeps elegit, quibus hanc aliis suo nomine conferendi munus commisit. Ita pariter solus Deus est potestatis Episcopalis & Sacerdotalis fons & principium : sed eam Episcoporum ministerio in alios transmittit : quis enim mortalium queat potestatem dare Christum super altare præsentem efficiendi, & Spiritum Sanctum in alios effundendi ?

Obj. 6°. Sacra Facultas Parisiensis in censuris quas tantoperè jactamus, non pronuntiat juris divini esse Parochos, nisi quatenùs opponuntur Religiosis, non autem aliis Presbyteris, qui eamdem ac Parochi potestatem sua in consecratione accipiunt ; ergo hujusmodi censuræ Parochis nihil speciale attribuunt.

Resp. Neg. ant. Franciscanus enim *Gorel* Parochos impugnabat *prout tales sunt* ; contendebat eos *non esse de institutione Christi primaria* : Facultas verò Parisiensis de ipso Parochorum statu sic pronuntiat : *Domini Curati sunt in Ecclesia minores Prælati, & Hierarchæ ex prima institutione Christi ;* Parochos igitur hic spectat, prout in se sunt, non verò tantùm quatenùs Religiosis opponuntur.

Prætereà ſimplicibus Presbyteris accommodari non poſſunt tituli qui Parochis tribuuntur à Theologis Pariſienſibus; ab iis enim dicuntur *Prælati* & *Hierarchæ*. Illæ autem voces hominem ſignificant ſacrâ autoritate inſtructum, qui ſubditos habet in quos eam exercet. Quid autem ſimile reperias in ſimplici Presbytero, cui nullus eſt populus, qui nulli ſpeciatim fideli ſuum miniſterium ex officio (*par état*) debet, qui nemini imperare poteſt ? Contrà verò Parochi nomine intelligitur Presbyter, qui populo ſibi commiſſo præeſt, cui modo peculiari debet ſui miniſterii functiones, & à quo exigendi obedientiam jus habet. Immeritò proindè diceretur Parochos eſſe juris divini comparatè ad Religioſos, minimè autem quoad alios Presbyteros qui ipſis ratione Ordinationis ſunt æquales; quaſi verò Paſtoris *actualis* munus ſecum importaret Sacerdotis titulus, poſtquàm in Eccleſiam invectæ ſunt vagæ Ordinationes.

CAPUT IV.

De ſacræ Ordinationis Miniſtro.

TRES erunt hujuſce capitis articuli; primus ſcilicèt de ordinario; ſecundus, de extraordinario; tertius, de legitimo hujus Sacramenti Miniſtro.

ARTICULUS PRIMUS.

De ordinario conficiendæ Ordinationis Miniſtro.

Inter varios quos Hæretici recentiores diſſeminârunt errores, inquit *Drouin*, perniciosiſſimus ille fuit quo Epiſcopatum conculcantes, jus non eligendi tantùm, verùm etiam inſtituendi, & quoſcumque Eccleſiæ Miniſtros Ordinandi, penès Magiſtratum politicum eſſe, aſſerere non erubuerunt : contra quos ſit

PROPOSITIO.

Solus Epiſcopus ordinarius eſt Miniſter Ordinationis.

Probatur 1°. Ii ſoli ordinariam habent Eccleſiæ Miniſtros conſecrandi poteſtatem, quibus ſolis autoritatem hanc attribuit Scriptura : atqui non aliis quàm Apoſtolis, ac proindè eorum ſucceſſoribus Epiſcopis, Eccleſiæ Miniſtros Ordinandi poteſtatem vindicat Scriptura. Quis enim primos ſeptem Diaconos, à fidelium multitudine electos, conſecravit ? Nonne Apoſtoli ? (*Act.* 6. 6.) Quis per ſingulas Eccleſias conſtituiſſe Presbyteros ibidem legitur ? (*Cap.* 14. 22.) Nonne Paulus & Barnabas ? Quis Timotheum per manuum impoſitionem Ordinavit ? (2. *Tim.* 1. 6.) Nonne Paulus ipſe Apoſtolus ? Ergo, &c.

Prob. 2°. Ex conſtanti & perpetua Eccleſiæ conſuetudine, quam in omnibus tùm Latinorum Ritualibus, tùm Græcorum Euchologiis ſpirantem reperias, ubi ſacræ Ordinationis miniſterium ſolis adſcribitur Epiſcopis. Iis etiam accedunt innumera Veterum teſtimonia. Patres Synodi Alexandrinæ, ex Lybia, Thebaïde & Pentapoli anno 319 congregati, in Epiſtola Synodica declarant Iſchyram Presbyterum non eſſe, quia

Prætereà ſimplicibus Presbyteris accommodari non poſſunt tituli qui Parochis tribuuntur à Theologis Pariſienſibus; ab iis enim dicuntur *Prælati* & *Hierarchæ*. Illæ autem voces hominem ſignificant ſacrâ autoritate inſtructum, qui ſubditos habet in quos eam exercet. Quid autem ſimile reperias in ſimplici Presbytero, cui nullus eſt populus, qui nulli ſpeciatim fideli ſuum miniſterium ex officio (*par état*) debet, qui nemini imperare poteſt ? Contrà verò Parochi nomine intelligitur Presbyter, qui populo ſibi commiſſo præeſt, cui modo peculiari debet ſui miniſterii functiones, & à quo exigendi obedientiam jus habet. Immeritò proindè diceretur Parochos eſſe juris divini comparatè ad Religioſos, minimè autem quoad alios Presbyteros qui ipſis ratione Ordinationis ſunt æquales; quaſi verò Paſtoris *actualis* munus ſecum importaret Sacerdotis titulus, poſtquàm in Eccleſiam invectæ ſunt vagæ Ordinationes.

CAPUT IV.

De ſacræ Ordinationis Miniſtro.

TRES erunt hujuſce capitis articuli; primus ſcilicèt de ordinario; ſecundus, de extraordinario; tertius, de legitimo hujus Sacramenti Miniſtro.

ARTICULUS PRIMUS.

De ordinario conficiendæ Ordinationis Miniſtro.

Inter varios quos Hæretici recentiores diſſeminârunt errores, inquit *Drouin*, perniciosiſſimus ille fuit quo Epiſcopatum conculcantes, jus non eligendi tantùm, verùm etiam inſtituendi, & quoſcumque Eccleſiæ Miniſtros Ordinandi, penès Magiſtratum politicum eſſe, aſſerere non erubuerunt : contra quos ſit

PROPOSITIO.

Solus Epiſcopus ordinarius eſt Miniſter Ordinationis.

Probatur 1°. Ii ſoli ordinariam habent Eccleſiæ Miniſtros conſecrandi poteſtatem, quibus ſolis autoritatem hanc attribuit Scriptura : atqui non aliis quàm Apoſtolis, ac proindè eorum ſucceſſoribus Epiſcopis, Eccleſiæ Miniſtros Ordinandi poteſtatem vindicat Scriptura. Quis enim primos ſeptem Diaconos, à fidelium multitudine electos, conſecravit ? Nonne Apoſtoli ? (*Act.* 6. 6.) Quis per ſingulas Eccleſias conſtituiſſe Presbyteros ibidem legitur ? (*Cap.* 14. 22.) Nonne Paulus & Barnabas ? Quis Timotheum per manuum impoſitionem Ordinavit ? (2. *Tim.* 1. 6.) Nonne Paulus ipſe Apoſtolus ? Ergo, &c.

Prob. 2°. Ex conſtanti & perpetua Eccleſiæ conſuetudine, quam in omnibus tùm Latinorum Ritualibus, tùm Græcorum Euchologiis ſpirantem reperias, ubi ſacræ Ordinationis miniſterium ſolis adſcribitur Epiſcopis. Iis etiam accedunt innumera Veterum teſtimonia. Patres Synodi Alexandrinæ, ex Lybia, Thebaïde & Pentapoli anno 319 congregati, in Epiſtola Synodica declarant Iſchyram Presbyterum non eſſe, quia

fuerat Ordinatus à Collutho qui non Episcopus, at simplex erat Sacerdos. (*Tom. 2. Concil. pag.* 547 & 548.) Epiphanius Aerium insectatur, quòd Presbyteros Episcopis pares faceret, iisque potestatem tribueret manus imponendi ; errorem hunc vocat *dogma furiosum & immane.* (*Tom. 1. pag.* 906 & 907.) S. Hieronymus : *Quid facit, excepta Ordinatione, Episcopus*, inquit, *quod Presbyter non faciat?* (*Tom. 4. part. 2. pag.* 803.) S. Chrysostomus : *Solâ Ordinatione*, inquit, *superiores sunt* (Episcopi). *Hinc tantùm videntur Presbyteris præstare.* (*Homil. 11. in 1. Ep. ad Tim. n. 1. tom. 11. pag.* 604.)

Ex iis autem testimoniis & aliis innumeris quæ prætermittimus, conficitur istud argumentum : Ii solis Episcopis ordinariam tribuunt Ministros Ecclesiæ consecrandi potestatem, qui hoc uno penè officio Episcopum à simplici Presbytero differre affirmant ; qui dogma contrarium appellant *furiosum & immane*, qui irritam pronuntiant Ordinationem presbyteralem, ab alio quàm ab Episcopo factam : atqui talis est Veterum quos laudavimus doctrina ; ergo, &c. Antiquæ igitur fidei maximè consonum est illud Concilii Tridentini decretum : *Si quis dixerit Episcopos .... non habere potestatem .... Ordinandi, vel eam quam habent, illis esse cum Presbyteris communem... anathema sit.* (*Sess. 23. de Sacram. Ord. can. 7.*)

Solvuntur objecta.

Objicies 1°. Chorepiscopi Diaconos & Presbyteros olim Ordinârunt ; de iis enim sic statuit IV sæculo Concilium Anthiochenum : *Nec Presbyterum, nec Diaconum Ordinare audeant* (Chorepiscopi) *absque urbis Episcopo, cui subjicitur ipse & regio.* (*Tom. 2. Concil. pag.* 566.) Atqui Chorepiscopi simplices erant Presbyteri ; ergo simplices Sacerdotes olim Diaconos & Presbyteros Ordinârunt.

Resp. Dist. maj. Chorepiscopi qui erant Episcopi, conc. maj. qui simplices erant Presbyteri, neg. maj.

Chorepiscopi nomen ex græcis duobus vocabulis conflatur, quorum alterum, scilicèt Episcopus, *inspectorem*, alterum verò *pagum, rus, regionem*, sonat : itaque, juxta vim nominis, Chorepiscopus est Minister qui extra urbem in villis, pagis, oppidulis, Episcopi vice fungitur. Duplex autem olim fuit Chorepiscoporum genus : alii simplices erant Sacerdotes, qui in nonnullis oppidis commorantes, aliquam Episcopi cujus erant Vicarii, jurisdictionem supra reliquos Presbyteros exercebant : alii autem verè fuerunt Episcopi. Ubi enim, vel sæviente persecutione, vel aliam ob causam, suis è sedibus depulsi fuerant Episcopi, in alienis diœcesibus Chorepiscopatum exercere poterant, reverâque ad illud officium aliquandò assumebantur. Id etiam moris fuit, ut Episcopi qui ab Hæresi ad Ecclesiam Catholicam revertebantur, in ea vel Presbyterii vel Chorepiscopatûs honorem obtinerent ; quod patet ex Concilio Nicæno I an. 325, ubi de Præsule qui Novatianorum errorem ejuraverat, dicitur : *Providebit ei* (Episcopus) *aut Chorepiscopatûs aut Presbyterii locum, ne in una civitate duo Episcopi probentur existere.* (*Tom. 2. Conc. pag.* 41.)

De hujusmodi Chorepiscopis intelligendum est, quod in antiquis canonibus legitur, eos Ordinandi facultatem habuisse. Eum esse Canonis Antiocheni sensum satis manifestum est ex istis verbis quæ immediatè præcedunt : *Ii qui sunt in vicis, qui dicuntur Chorepiscopi, etiamsi Episcopi Ordinationem manuumve impositionem acceperint, visum est ut modum suum sciant, ... nec Presbyterum, nec Diaconum Ordinare*, &c.

Obj. 2°. S. Leo sic pronuntiat : *Nulla sinit ratio ut inter Episcopos habeantur, qui nec à Clericis sunt electi, nec à plebibus sunt expetiti, nec à*

Provincialibus Episcopis cum Metropolitani judicio consecrati : ... si qui autem Clerici ab istis Pseudo-Episcopis.... Ordinati sunt, ... & Ordinatio eorum cum consensu & judicio Præsidentium facta est, potest rata haberi. (*Epist. 2. ad Rusticum Narbonensem, tom. 1. pag. 404 & 405. edit. Quesnel.*) Porrò illi Pseudo-Episcopi nihil aliud erant, quàm simplices Presbyteri : atqui tamen S. Leo ratam habet Ordinationem ab ipsis factam ; ergo, juxta illius mentem, validè Ordinare possunt simplices Presbyteri.

Resp. Neg. maj. Presbyteri enim de quibus loquitur S. Leo, eo quidem sensu Pseudo-Episcopi erant, quòd legitimè Ordinati non essent ; siquidem Episcoparum contra Ecclesiæ Canones arripuerant ; sed verè nihilominùs erant Episcopi : in ipsorum enim Ordinatione hoc unum redarguit S. Doctor, quòd ipsi defuerint Clericorum electio, plebis suffragium, consecratio à Provincialibus Episcopis facta, cum Metropolitani judicio : atqui hujusmodi leges ecclesiasticæ religiosè quidem erant observandæ, ut legitima licitaque esset Ordinatio, non autem ut valida ; alioquin ubi Clerus, populus & Metropolita, hæresi vel schismati pertinaciter adhærerent, nemo, nisi eâdem lue infectus, posset Episcopus verè consecrari. (*V. not. Quesnel. ad hunc locum, tom. 2. pag. 788.*)

Obj. 3°. Ea est Ecclesiæ consuetudo antiquissima, ut Presbyteris Ordinandis Sacerdotes circumstantes, unà cum Episcopo manus imponant. Cui disciplinæ fortè locum dedit, quod ait Apostolus Timotheo : *Noli negligere gratiam quæ est in te per impositionem manuum Presbyterii.* (1. *Tim.* 4. 14.) Ergo facultas Ordinandi Presbyteris Episcopisque est communis.

Resp. Neg. conseq. Hanc enim manuum impositionem à Presbyteris factam, ad essentiam Ordinationis non pertinere duplici ratione demonstratur : prima est, quòd simplices Presbyteri manum imponentes, Ordinationis formam non proferant, in qua maximè sita est Sacramenti efficacia ; secunda est, quòd ritus ille sit Latinorum proprius, nec à Græcis & Orientalibus observetur, apud quos tamen veros esse Presbyteros nemo negaverit.

Articulus II.

De extraordinario sacræ Ordinationis Ministro.

Solum Episcopum esse ordinarium hujus Sacramenti Ministrum, unanimis est Theologorum catholicorum doctrina : de Ministro autem extraordinario non consentiunt ; alii enim, inter quos Morinus, non minores tantùm Ordines, sed etiam Diaconatum & Presbyteratum ; à simplici Sacerdote ex Ecclesiæ concessione conferri posse existimant ; alii fatentur quidem Subdiaconatum inferioresque Ordines conferendi ministerium, Presbyteris committi posse ; sed contendunt Diaconos & Sacerdotes consecrandi jus ita esse Episcopi proprium, ut nullo in casu nullâque concessione ad simplices Presbyteros transferri queat.

Propositio I.

Simplex Presbyter non potest esse extraordinarius Minister consecrationis sacerdotalis.

Prob. Per Ministrum extraordinarium intelligitur ille, cui Sacramenta conferendi potestas ex speciali concessione Ecclesiæ interdùm committi potest : atqui SS. Patres quos in primo articulo laudavimus, Sacerdotes consecrandi potestatem ita solis Episcopis vindicant, ut ab ea simplices Presbyteri prorsùs excludantur ; 1°. quia instar principii generatim & sine ulla exceptione statuunt,

Sacerdotes à Presbyteris Ordinari non posse: *Quînam fieri potest*, inquit S. Epiphanius, *ut is Presbyterum constituat, ad quem creandum manuum imponendarum jus nullum habeat?* (*Hæres.* 75. *n.* 4. *tom.* 1. *pag.* 908.) 2°. Quia pronuntiant *Episcopos solâ Ordinatione Presbyteris esse superiores.*

Prætereà, si penès Ecclesiam esset Sacerdotum Ordinationem simplicibus Presbyteris, tanquam Ministris extraordinariis, interdùm committere, aliquod hujus privilegii vestigium deprehenderetur, sive in Canonibus, sive in libris ritualibus, sive in Patrum scriptis, qui copiosè & accuratè ea exposuerunt, quæ ad Episcopatum, Presbyteratum, & utriusque functiones pertinent: atqui tamen de hujusmodi privilegio silent Canones, silent Rituales, silent Patres, unanimique consensu statuunt, ab alio quàm Episcopo non posse consecrari Presbyteros; ergo, &c.

Denique si quandò possent Sacerdotes ad conferendum Presbyteratum ab Ecclesia delegari, aliquod hujusce rei exemplum in Historia Ecclesiastica extaret, sicut non semel legitur Confirmationem à simplicibus Presbyteris, tanquam Ministris extraordinariis, fuisse administratam: atqui tamen nullibi reperias Ecclesiam Presbyteris Sacerdotes Ordinandi facultatem aliquandò concessisse, etiam cùm urgeret necessitas; cùm scilicèt, tyrannis in Religionem Christianam sævientibus, Episcopi suis è sedibus ejecti, vel crudeliter mactarentur, vel in exilium aut carcerem mitterentur; ergo, &c.

Solvuntur objecta.

Objicies 1°. Licèt Episcopus ordinarius sit Confirmationis Minister, illius tamen conferendæ officium simplicibus Presbyteris committi potest; ergo de Presbyteratu idem sentiendum est.

Resp. Neg. conseq. Quid enim in Sacramentis

conficiendis valeat Sacerdos, non ex comparatione, verùm ex Traditione definiendum est, quæ tutissima est voluntatis Christi interpres: hanc autem fuisse supremam Christi voluntatem, ut simplex Sacerdos Confirmationem, extra ordinem administrare posset, Presbyteratum verò nunquam, nos docet Traditio. Multiplex enim suppeditat exemplum Confirmationis à Presbyteris celebratæ, nullum autem Presbyteratûs à simplice Sacerdote validè collati. Numquid verò Christus Ecclesiæ eam potestatem concessit, quæ otiosa semper & iners esset mansura? Prætereà non semel dixêre SS. Patres Episcopos solâ Ordinatione esse Presbyteris superiores; de Confirmatione autem nunquam ita locuti sunt: quænam autem est illius discriminis ratio, nisi quia Patribus persuasum erat, Confirmationem à simplicibus Presbyteris, tanquam Ministris extraordinariis, ex Ecclesiæ permissu conferri posse, nunquam verò sacros Ordines?

Obj. 2°. Incredibile est Christum Ecclesiæ suæ in necessariis non satis consuluisse: atqui tamen res ita erit, si nunquam possit Presbyter Presbyterum validè consecrare. Sit enim amplissima quædam Ecclesiæ portio quæ, grassante peste, aut sæviente persecutione, suis viduetur Præsulibus, & cui laboranti subvenire nequeant finitimarum regionum Episcopi: tunc in ea Provincia intra modicum tempus corruet Religio, nisi valeat presbyteralis consecratio à simplicibus Sacerdotibus facta; ergo, &c.

Resp. 1°. Si quid valeat propositum argumentum, eâdem ratione suadebitur, non à Sacerdotibus duntaxat, sed etiam à Diaconis, Subdiaconis, Acolythis, imò & ab ipsis Laicis posse, urgente necessitate, validè consecrari Presbyteros; nempè si tanta fieret Clericorum strages, ut ne unus quidem superesset; procul igitur vanæ hujusmodi hypotheses & cavillationes.

Resp. 2°. Neg. min. Qui enim potest de lapi-

dibus suscitare filios Abrahæ, (*Matth.* 3. 9.) poterit afflictis quibuscumque regionibus continuatam Ministrorum seriem, servatis legibus à se constitutis, providere; idque non semel factum legimus, cùm nonnullæ Provinciæ, vel infidelium crudelitate, vel hæreticorum factionibus oppressæ, ubique ereptos sibi Episcopos lugerent, qui vel in exilium, vel in carcerem conjecti fuerant. Non permisit tamen Deus, ut in luctuosis illis rerum angustiis populi necessariis Ministris prorsùs caruerint; quidni ergo eum idem in posterum facturum sperabimus?

Si verò Pastores universos, ipsamque fidem quibusdam populis, ut Judæis, auferri permitteret Deus, tunc adoranda essent occultissima, sed justa, ipsius judicia & cum Apostolo exclamandum: *O altitudo divitiarum sapientiæ & scientiæ Dei! quàm incomprehensibilia sunt judicia ejus, & investigabiles viæ ejus! Quis enim cognovit sensum Domini, aut quis consiliarius ejus fuit?* (*Rom.* 11. *v.* 33. 34.)

PROPOSITIO II.

Simplex Presbyter non potest esse Diaconatûs Minister extraordinarius.

Prob. Presbyter non potest esse illius Ordinationis Minister quocumque in casu, cujus nullum alium Ministrum exhibent Scriptura & Traditio, quàm Episcopum: atqui utraque non alium Diaconatûs Ministrum proponit, quàm Episcopum; 1°. quidem Scriptura, cùm referat primos septem Diaconos ab ipsis Apostolis fuisse Ordinatos, & Paulum non aliis quàm Episcopis, Timotheo nempè & Tito, mandasse quid in consecrandis Diaconis observare deberent; 2°. & Traditio; tùm quia sacri Canones & omnes Latinorum Græcorum Orientaliumque libri rituales solis Episcopis Diaconos Ordinandi potestatem faciunt; tùm quia

quia nullum in tota Historia Ecclesiastica exemplum occurrit Diaconi à presbitero consecrati; ergo, &c.

Insuper Ordinatio Diaconi verum est Sacramentum, ut suo in loco probavimus: atqui Ordinatio, saltem sacramentalis, ad solos Episcopos pertinet, nisi velimus erasse tùm Hieronymum, cùm ait: *Quid facit, exceptâ Ordinatione, Episcopus, quod Presbyter non faciat?* tùm Chrysostomum qui asserit Episcopos, *solâ manuum impositione*, id est, Ordinatione, Presbyteris superiores esse. (*Homil.* 2. *in Epist. ad Timoth.*) Ergo, &c.

Solvuntur objecta.

Objicies 1°. Innocentium VIII, Romanum Pontificem Diplomate anni 1489, Cistercienſibus Abbatibus privilegium concessisse suis Monachis Diaconatum conferendi.

Resp. 1°. cum multis nobilibus Theologis; privilegium illud dubiæ admodùm esse autoritatis. Hactenùs enim proferri non potuit è scriniis Vaticanis authenticum illius Bullæ exemplar, nullumque ejus vestigium extat in Bullario Romano, ubi tamen congeruntur innumeræ aliæ longè minoris momenti. Prætereà secum pugnant qui eam referunt. Franciscus enim *à Victoria* Bullam hanc se vidisse asserit; sed in ea solum Subdiaconatum memorari. (*In summ. n.* 235.) *Vasquez* autem qui illam se legisse testatur, etiam Diaconatûs in ea fieri mentionem affirmat. (*Disp.* 143. *c.* 4.) Aliud igitur exemplar Fr. *à Victoria*, aliud legit *Vasquez*. In hâc autem varietate, vel nulli, vel ei potiùs credendum est exemplari, quod Traditioni magis consentaneum est. Denique Pius V in Diplomate quo Præmonstratensis Ordinis Abbatibus conferendi Subdiaconatûs facultatem denegat, loquens de privilegio Cistercienſibus concesso, solius Subdiaconatûs meminit.

Resp. 2°. Etiamsi privilegium illud extra om-

nem suspicionem positum esset, nihil inde colligi posse : à facto enim ad jus non valet consecutio, nec Innocentii Bulla sacrorum Canonum & Traditionis autoritati prævalere debet ; *Pontificum enim gesta*, ut in re dissimili ait Soto, *non sunt habenda tanquam canonicæ leges.*

Obj. 2°. Plus Diacono præcellit Sacerdos, quàm Sacerdoti Episcopus ; ergo si Presbyterum Episcopus, multò magis Diaconum Sacerdos consecrare potest.

Resp. Dist. ant. Plus Diacono præcellit Sacerdos, quàm Sacerdoti Episcopus, ratione dignitatis, conc. ratione potestatis Ordinandi, neg. ant. Reverà quidem si dignitatem spectes, magis Diacono præstat Sacerdos, quàm Sacerdoti Episcopus : Presbyter enim & Episcopus non distinguuntur quoad Sacrificii offerendi ministerium, quo munere nullum aliud præstantius habet sancta Religio ; si verò potestatem Ordinandi consideres, sub eo respectu longè magis Sacerdoti præcellit Episcopus, quàm Sacerdos Diacono : Presbyteratum enim & Diaconatum conferendi jus ita soli Episcopo vindicat tota Traditio, ut non possit ad simplicem Presbyterum transferri.

Quæres an Subdiaconatus & minores Ordines possint à Presbytero conferri.

Resp. in eo consentire Theologos, quòd Presbyter possit minores Ordines conferre. Id constat ex Tridentina Synodo quâ prohibetur Abbatibus *ne tonsuram, vel minores Ordines*, aliis quàm Regularibus sibi subditis conferant. (*Sess.* 23. *de Reform. cap.* 10.) Id igitur possunt Abbates erga Regulares sibi subjectos : exceptio enim firmat regulam. De Subdiaconatu verò dissident Theologi : non pauci, nec infimæ notæ, existimant Subdiaconatum quem ut verum Sacramentum habent, non posse à Presbytero conferri ; probabilior autem videtur sententia contraria ; 1°. quia

Gelasius Papa de Presbyteris loquens : *Meminerint*, inquit, *sibi nullâ ratione concedi sine Summo Pontifice Subdiaconum aut Acolythum jus habere faciendi;* (*Tom. 4. Concil. pag.* 1189.) id ergo poterant ex Summi Pontificis licentia : 2°. quia privilegium Subdiaconos efficiendi nonnullus Benedictinorum & Cistercensium Abbatibus concessum fuisse, testantur Fr. à Victoria, *in Summa. n.* 235. Navarrus, *Lib.* 5. *Concil.* 14. *de privilegiis* ; Pius Ipse V Romanus Pontifex in Bulla quâ prærogativam hanc roganti Abbati Præmonstratensis Ordinis denegat.

ARTICULUS III.

De Ministro sacræ Ordinationis legitimo.

Legitimus Ordinationis Minister ille est, qui eam non validè tantùm, sed etiam licitè, & juxta præscriptas regulas administrat. Quidquid ad materiam hanc pertinet varias in quæstiones distribuemus.

Quæritur 1°. an quilibet Episcopus Catholicus possit quem libuerit licitè Ordinare.

Resp. non posse : à solo enim Episcopo proprio licet Ordinationem suscipere ; unde sic pronuntiat Tridentina Synodus : *Unusquisque à proprio Episcopo Ordinetur ; ..... si secùs fiat, Ordinans à collatione Ordinum per annum, & Ordinatus à susceptorum Ordinum executione, quandiù proprio Ordinario videbitur expedire, sit suspensus ;* (*Sess.* 23. *de Reform. cap.* 8.) quibus tamen verbis validam esse hujusmodi Ordinationem apertè arguitur : juxta hodiernam verò disciplinam proprius Episcopus ille est, cujus jurisdictioni quisque subjacet, vel originis, vel domicilii, vel beneficii titulo, ut sic habet Bonifacius VIII : *Cùm nullus Clericum*

Parochiæ alienæ, præter Superioris ipsius licentiam, debeat Ordinare, Superior intelligitur in hoc casu Episcopus, de cujus diœcesi est is qui ad Ordines promoveri desiderat, oriundus; seu in cujus diœcesi beneficium obtinet ecclesiasticum; seu habet, (licèt alibi natus fuerit) *domicilium in eadem. (In Sexto, cap. 3. de temporib. Ordin.)*

Quæritur 2°. quinam sit Episcopus originis.

Resp. jure veteri constitutum esse, ut originis Episcopus haberetur Præsul loci in quo non natus, sed per Baptismum aliquis esset regeneratus: non desunt etiamnùm Theologi & Canonistæ, qui existiment utrumque Episcopum, tùm loci in quo natus est aliquis, tùm loci in quo baptizatus fuit, verum esse *originis* Episcopum, sed hodiernæ disciplinæ magis consentaneum est, ut eum adeas Episcopum in cujus diœcesi natus fueris. 1°. Quia Innocentius XII id apertè sic definit: *Subditus ratione originis, is tantùm esse intelligatur qui naturaliter ortus est in ea diœcesi, in qua ad Ordines promoveri desiderat.* (*Constitut. an.* 1694, Speculatores domûs. *sect.* 9.) 2°. Quia Ecclesiæ Gallicanæ Præsules an. 1657, hanc disciplinam sic commendant: *Decretum est monendos hortandosque Episcopos, ne quem Ordinarent, nisi ex suis diœcesibus oriundum.* (*Mém. du Clergé, édit. an.* 1716. *pag.* 475. & *suiv.*)

Observandum tamen est Episcopum loci in quo natus est aliquis, interdùm non censeri Episcopum originis, nimirùm si quis negotii causâ alienam in regionem commigraverit, & ibi filium ab uxore secum transductâ susceperit: *Tunc vera tantùm & naturalis patris origo erit attendenda*, inquit ibidem Innocentius XII. Cùm enim in hoc ipso loco ubi prole auctus est, pater hospes sit & peregrinus, idem de filio sentiendum est.

Quæritur 3°. quis sit Episcopus domicilii.

Resp. eum esse in cujus diœcesi aliquis ita commoratur, ut in ea perpetuò manendi animum habeat, quique res suas seu fortunas ibidem collocat: sic domicilium definit jus civile. (*cap. de incolis.*) Idcircò qui in aliqua versantur Academia, ut studiis operam dent, quibus absolutis, suam in patriam reversuri sunt; pariter qui negotii causâ in aliqua regione ad tempus commorantur, propriè iis in locis jus domicilii non habent. Quoad tempus ad domicilii acquisitionem necessarium alii decennium cum Synodo Mediolanensi IV an. 1576, & Aquensi an. 1585; alii triennium sufficere existimant: verùm cùm istud domicilii jus ex sincero in aliqua regione constanter permanendi consilio pendeat, de eo vix constare potest; quapropter Gallicani Præsules, nullâ ferè habitâ ratione domicilii, a Clericorum alibi natorum Ordinatione abstinere solent, eosque ad originis Episcopum mittere. Quilibet autem Episcopus ex Concilio Trident. jus habet eum Ordinandi, qui apud illum per triennium commoratus fuerit. (*Sess.* 23. *de reform. cap.* 9.)

Quæritur 4°. quinam sit Episcopus beneficii.

Resp. eum esse in cujus diœcesi beneficium possidetur, sive pingue sit aut tenue, simplex aut animarum curam & residendi obligationem importans. Si decretalium verba spectentur, nihil interest quale aut quantum sit beneficium; si quis tamen illud fraudulenter impetrasset, ut proprii Episcopi autoritatem & examen eluderet, tunc licitè non posset ab eo Episcopo Ordinari, cujus in diœcesi beneficium obtinuisset: *Fraus enim & dolus*, ut in Jure axiomatis loco est, *alicui patrocinari non debent.*

Non sine periculo ratione beneficii Ordinatur Clericus, posthabito originis Episopo, qui illius vitam & mores magis cognoscere censetur; quapropter Innocentius XII decernit *Clericum qui le-*

gitimè jam à proprio Episcopo ad clericalem tonsuram, seu etiàm ad minores Ordines promotus fuerit, non posse ab alio Episcopo, ratione ac titulo cujuscumque beneficii in illius diœcesi obtenti, ad ulteriores Ordines promoveri, nisi ante eorumdem susceptionem, testimoniales litteras proprii Episcopi, tàm originis, quàm domicilii, super suis natalibus, ætate, moribus & vitâ sibi concedi obtinuerit, easque Episcopo Ordinanti exhibuerit. (*Constitut.* Speculatores, *sect.* 7.)

Quæritur 5°. an disciplina quæ triplicem admittit Episcopum, à quo licitè conferri possint Ordines, in Gallis abrogata fuerit.

Resp. 1°. Gallicanis Præsulibus vehementer in votis fuisse, ut solius Episcopi originis ratio haberetur. Id patet ex variis Comitiis generalibus, & Litteris Encyclicis quibus alios Regni Episcopos, ut ita se gererent adhortati sunt. (*Mém. du Clergé, édit. de* 1716. *tom.* 5. *pag.* 507. *& suiv.*) 1°. Quia simulatum domicilium à verò facilè secerni non potest, cùm sæpè fiat ut qui in aliena Diœcesi diù commoratur, animum tamen retineat in patriam redeundi; 2°. quòd periculum sit ne qui in aliena Diœcesi Ordinari cupiunt, eò confugerint ut Ordinanti Episcopo ementitâ pietate fucum faciant; 3°. quia quò magis aliquis à regula deflectit, beneficia variis in Diœcesibus obtinendo, eò faciliùs ubicumque sibi libuerit, Ordinari potest.

Resp. 2°. in Galliis abrogatam non fuisse disciplinam quæ Episcopo permittit ut eos Ordinet, qui titulo vel beneficii, vel domicilii sibi subjiciuntur: eam quippè autoritatem non sibi vindicant Cleri Gallicani Comitia, quâ valeant novas leges constituere, quæ antiquas rescindant; quapropter intra meras adhortationes aliis Episcopis factas sese continuerunt; quibus hortamentis non cesserunt omnes Galliæ nostræ Præsules. *Il faut*

droit être bien étranger en France, inquit Gibert, *pour ignorer que des Evêques d'ailleurs irréprochables, donnent les Ordres à ceux qui ne sont de leur Diocèse, qu'à raison du domicile ou du bénéfice, & que les exemples n'en sont pas rares.* (*Consult.* 7. *tom.* 2. *de l'Ordre, pag.* 37.)

Quæres 6°. quis sit proprius Regularium Episcopus.

Resp. eum esse in cujus Diœcesi situm est Monasterium, in quo Superiorum jussu commorantur; ab eo igitur debent Ordines suscipere, neque ad alienum, nisi ex ipsius licentia, confugere possunt: ita in diversis Conciliis statutum fuit, & maximè in Burdigalensi an. 1624. (*Titulo de Ordine, cap.* 12. *tom.* 15. *Concil. pag.* 1650.) Ratio est quia, cùm mundo renuntiaverint, jam non pertinent ad Episcopum originis; non alius ergo proprius eorum Episcopus censeri potest, quàm ille in cujus Diœcesi domicilium habent. Nec opponant Pii V an. 1567 Bullam, per quam Fratribus mendicantibus indulget, *ut sacros Ordines à quolibet Antistite, . . . Ordinarii loci licentiâ minimè requisitâ, . . recipere possint.* (*Magn. Bullar. Rom. t.* 2. *p.* 229. *col.* 2.) Hanc enim constitutionem revocavit Gregorius XIII, immediatus Pii V successor, Constitutione *In tanta, an.* 1573. (*Ibid. pag.* 370. *& seq.*)

gitimè jam à proprio Episcopo ad clericalem tonsuram, seu etiàm ad minores Ordines promotus fuerit, non posse ab alio Episcopo, ratione ac titulo cujuscumque beneficii in illius diœcesi obtenti, ad ulteriores Ordines promoveri, nisi ante eorumdem susceptionem, testimoniales litteras proprii Episcopi, tàm originis, quàm domicilii, super suis natalibus, ætate, moribus & vitâ sibi concedi obtinuerit, easque Episcopo Ordinanti exhibuerit. (*Constitut.* Speculatores, *sect.* 7.)

Quæritur 5°. an disciplina quæ triplicem admittit Episcopum, à quo licitè conferri possint Ordines, in Gallis abrogata fuerit.

Resp. 1°. Gallicanis Præsulibus vehementer in votis fuisse, ut solius Episcopi originis ratio haberetur. Id patet ex variis Comitiis generalibus, & Litteris Encyclicis quibus alios Regni Episcopos, ut ita se gererent adhortati sunt. (*Mém. du Clergé, édit. de* 1716. *tom.* 5. *pag.* 507. *& suiv.*) 1°. Quia simulatum domicilium à verò facilè secerni non potest, cùm sæpè fiat ut qui in aliena Diœcesi diù commoratur, animum tamen retineat in patriam redeundi; 2°. quòd periculum sit ne qui in aliena Diœcesi Ordinari cupiunt, eò confugerint ut Ordinanti Episcopo ementitâ pietate fucum faciant; 3°. quia quò magis aliquis à regula deflectit, beneficia variis in Diœcesibus obtinendo, eò faciliùs ubicumque sibi libuerit, Ordinari potest.

Resp. 2°. in Galliis abrogatam non fuisse disciplinam quæ Episcopo permittit ut eos Ordinet, qui titulo vel beneficii, vel domicilii sibi subjiciuntur: eam quippè autoritatem non sibi vindicant Cleri Gallicani Comitia, quâ valeant novas leges constituere, quæ antiquas rescindant; quapropter intra meras adhortationes aliis Episcopis factas sese continuerunt; quibus hortamentis non cesserunt omnes Galliæ nostræ Præsules. *Il faut*

droit être bien étranger en France, inquit Gibert, *pour ignorer que des Evêques d'ailleurs irréprochables, donnent les Ordres à ceux qui ne sont de leur Diocèse, qu'à raison du domicile ou du bénéfice, & que les exemples n'en sont pas rares.* (*Consult.* 7. *tom.* 2. *de l'Ordre, pag.* 37.)

Quæres 6°. quis sit proprius Regularium Episcopus.

Resp. eum esse in cujus Diœcesi situm est Monasterium, in quo Superiorum jussu commorantur; ab eo igitur debent Ordines suscipere, neque ad alienum, nisi ex ipsius licentia, confugere possunt: ita in diversis Conciliis statutum fuit, & maximè in Burdigalensi an. 1624. (*Titulo de Ordine, cap.* 12. *tom.* 15. *Concil. pag.* 1650.) Ratio est quia, cùm mundo renuntiaverint, jam non pertinent ad Episcopum originis; non alius ergo proprius eorum Episcopus censeri potest, quàm ille in cujus Diœcesi domicilium habent. Nec opponant Pii V an. 1567 Bullam, per quam Fratribus mendicantibus indulget, *ut sacros Ordines à quolibet Antistite, . . . Ordinarii loci licentiâ minimè requisitâ, . . recipere possint.* (*Magn. Bullar. Rom. t.* 2. *p.* 229. *col.* 2.) Hanc enim constitutionem revocavit Gregorius XIII, immediatus Pii V successor, Constitutione *In tanta, an.* 1573. (*Ibid. pag.* 370. *& seq.*)

CAPUT V.

De Ordinationis subjecto & conditionibus ad eam suscipiendam requisitis.

Hic quæritur quinam sint ad recipiendam Ordinationem idonei: quasdam enim conditiones requirit, quibus deficientibus, aut invalida esset, aut illicita; de eis autem breviter differendum.

Quæres 1°. quænam sint conditiones quarum defectu irrita sit Ordinatio.

Resp. Duæ sunt: prima est sexus masculinus; ab Ordinis enim ita mulieres excluduntur, ut nulla prorsùs esset earum Ordinatio. Damnavit Ecclesia Montanistas, aliosque veteres hæreticos qui feminas ad sacros Ordines promoveri posse contendebant. Id jam prohibuerat Apostolus, dum ait: *Mulieres in Ecclesiis taceant: non enim permittitur eis loqui, sed subjectas esse.* (1. *Cor.* 14. 34. & 35.) *Docere autem mulieri non permitto, neque dominari in virum, sed esse in silentio.* (1. *Tim.* 2. 12.) Porrò si mulieribus ne quidem loqui in Ecclesia permissum est, multò minùs licèt sacros Ordines suscipere, officiaque iis illigata solemni ritu peragere. Prætereà in hypothesi quam refellimus, mulieres ratione susceptæ dignitatis, v. g. Sacerdotii; in viros ipsos dominarentur: quod vetat Apostolus.

Secunda est Baptismus sine quo priùs recepto, valida esse non potest Ordinatio; quia nonnisi per Baptismum ad cetera Sacramenta fit aditus. Quapropter in Concilio Compendiensi ita præcipitur: *Si quis Presbyter Ordinatus deprehenderit se non esse baptizatum, baptizetur & iterùm Ordinetur.* Extat ea Lex in Decretalibus. (*Lib.* 3. *tit.* 43. *cap.* 1.)

Quæres 2°. quænam sint conditiones, quibus omissis, non irrita quidem, sed illicita fiat Ordinatio.

Resp. Variæ sunt quas figillatim exposituri sumus.

Conditio I.

Ætas competens.

Ad licitam Ordinationem certa quædam ætas requiritur, ut sapienter his verbis monet Apostolus: *Nemini citò manus imposueris.* (1. *Tim.* 5. 22.) Ea de re sic pronuntiat Concilium Tridentinum: *Nullus in posterum ad Subdiaconatûs Ordinem ante vigesimum – secundum, ad Diaconatûs ante vigesimum – tertium, ad Presbyteratus ante vigesimum-quintum ætatis suæ annum promoveatur.* (*Sess.* 23. *de Reformatione cap.* 12.) Ex consuetudine autem satis est ut anni illi sint inchoati. De minoribus Ordinibus nihil definiunt Tridentini Patres, hæc tantùm habent: *Minores Ordines iis qui saltem Latinam linguam intelligunt, conferantur.* (*ibid. cap.* 11.)

Conditio II.

Scientia.

Scientiæ necessitas 1°. in scripturis declaratur: *Quia tu scientiam repulisti*, ait Deus, *repellam te; ne sacerdotio fungaris mihi.* (*Ose.* 4. 6.) *Labia Sacerdotis custodient scientiam, & legem requirent ex ore ejus.* (*Malach.* 2. 7.) Apostolus monet tantâ scientiâ instructum esse debere Episcopum, *ut potens sit exhortari in doctrina sana, & eos qui contradicunt arguere.* (Tit. 1. 9.) Nomine autem *Episcopi* intelligit & Presbyteros, quibus populos hortandi & arguendi officium incumbit.

2°. Doctrinæ necessitatem passim commendant SS. Patres. *Vix ferenda est in Sacerdotibus excusatio*, inquit *S. Leo*, *quæ prætendat insciantiam.* (*Epist.* 16. *ad Epist. Sicil. cap.* 1. *Edit. Quesnel.*

pag. 462.) Debent Sacerdotes, juxta Gregorium Nazianzenum, *sapientiâ instrui, atque ita demùm alios sapientiâ instruere, lux fieri, & alios illuminare.* (*Tom.* 1. *pag.* 30.) *Ignorantia mater cunctorum errorum*, inquit Concilium Toletanum IV, *maximè in Sacerdotibus Dei vitanda est, qui docendi officium in populis susceperunt... Sciant igitur... Scripturas Sanctas & Canones, ut omne opus eorum in prædicatione & doctrina consistat.* (*Tom.* 5. *Concil. pag.* 1713.)

Quæres quibusnam potissimùm rebus addiscendis operam navare debeant, qui ad sacros Ordines sunt promovendi.

Resp. 1°. eos præsertim debere sacrarum Litterarum studio quantociùs assuescere, in quibus fidei Catholicæ dogmata majori ex parte continentur. Hinc Apostolus Discipulum suum sic hortatur: *Tu permane in iis quæ didicisti... quia ab infantia sacras Litteras nosti... Omnis Scriptura divinitùs inspirata, utilis est ad docendum, ad arguendum, ad corripiendum, ad erudiendum in justitia, ut perfectus sit homo Dei, ad omne opus bonum instructus.* (2. *Tim.* 3. *v.* 14. 15 & 16.).

Hinc SS. Patres & Concilia divinorum voluminum lectionem & meditationem totiès præcipiunt. *Hæc*, inquit Origines, *duo sunt Pontificis opera, ut aut à Deo discat legendo Scripturas divinas, & sæpiùs meditando, aut populum doceat... quæ ipse à Deo didicerit.* (*Homil.* 6. *in Levit. n.* 6. *tom.* 2. *Edit. BB pag.* 219. *col.* 1.) *Si Sacerdos est*, ait Hieronymus, *sciat legem Domini;.. Sacerdotis enim est scire legem, & ad interrogationem respondere de lege.* (*In cap.* 2. *Aggæi, tom.* 3. *pag.* 1696.)

Synodus Toletana IV: *Sciant Sacerdotes Scripturas Sanctas & Canones.* (*Tom.* 5. *Concil. pag.* 1713.) Turonensis III: *Sanctum Evangelium & Epistolas Beati Pauli Apostoli, non solùm crebrò lectitent, sed etiam quantùm possunt memoriæ stu-*

deant commendare. (*Can.* 2. *tom.* 7. *Concil. pag.* 1261.) Denique, ut alias prætermittam, Cabillonensis II, *Decrevimus*, inquit, ... *ut Episcopi assidui sint lectione, & scrutentur mysteria verborum Dei, quibus.. animas sibi subditas satiare non cessent.* (*Can.* 1. *Ibid. pag.* 1272.) Ad ea Patrum documenta attendant qui sacrum ministerium amplecti se vel profitentes, divinarum tamen Litterarum studium negligunt.

Resp. 2°. cum sapientissimo *Drouin*, catholicam veritatem non Scripturis tantùm, sed etiam in divinis apostolicisque Traditionibus contineri, quas ad nos usque SS. Patres & Concilia de manu ad manum inviolatè transmiserunt; optandum igitur esse ut juniores Clerici selecta quædam Patrum opuscula, brevemque Canonum collectionem, quàm maturè fieri posset, legerent: ita enim cum Patribus veluti colloquendo, purissimam antiquitatis doctrinam combiberent, & à spuriis opinionibus, contra Scripturam & Traditionem inventis, abhorrerent.

Conditio III.

Vitæ & morum probitas.

Ea est Ecclesiæ mens, ut nullus ad sacros Ordines promoveatur, nisi semper ab omni crimine purus & immunis vixerit, vel occultas prioris vitæ maculas congruâ pœnitentiâ deleverit. Id manifestum est ex Apostolo qui discipulum admonet, quales esse debeant Presbyteri per civitates constituendi: *Reliqui te Cretæ ut ea que desunt corrigas & constituas per civitates Presbyteros, sicut & ego disposui tibi, si quis sine crimine est.* (*Tit.* 1. *v.* 5. & 6) Pro Diaconis *hæc* statuit: *Et hi autem probentur primùm, & sic ministrent nullum crimen habentes.* (1. *Tim.* 3. 10.)

Quam necessaria sit Clericis vitæ sanctitas, satis probant ipsa sacri ministerii professio augustissimæque illius functiones. 1°. Enim ad eam dignitatem

evehuntur Clerici, quâ major esse non potest, cùm fiant mysteriorum Dei dispensatores. *Quod sumus professione*, inquit Autor antiquus, *actione potiùs, quàm nomine, demonstremus, ne sit honor sublimis & vita deformis; ne sit deifica professio & illicita actio.* (*De dignit. Sacerd. in append. oper. S. Ambros. tom. 2. cap. 3. pag. 359.*)

2°. Sacerdotis munus est, apud Deum pro populo deprecatoris vices agere. *Quomòdo autem*, ait S. Gregorius, *aliis veniam postulat, qui utrùm sibi Deus sit placatus ignorat? Quâ in re adhuc... sollicitiùs formidandum, ne qui placare iram posse creditur, hanc ipse ex proprio reatu mereatur.* (*Lib. Pastor. part. 1. cap. 10. Edit. BB. tom. 2. pag. 11.*)

3°. Debent Clerici Laicis, tùm verbo, tùm opere prælucere, ut eos exemplis & documentis suis ad sanctitatem justitiamque sectandam impellant, unde *lux mundi & sal terræ* à Christo dicuntur. Quomodò autem utrumque esse poterunt, si peccatorum contagio, sæculique corruptione videantur infecti? Sacerdotis dotes & munia sic describit Gregorius Nazianzenus: *Purgari priùs, deindè purgare; lux fieri, & alios illuminare; ad Deum appropinquare, & ita alios adducere; sanctificari & posteà sanctificare.* (*Orat. tom. 1. pag. 30.*)

4°. Sacris Ministris id officii incumbit, ut divinæ legis violatores arguant & corripiant: *Sed qui alium de peccatis arguit*, ait S. Isidorus Hispalensis, *ipse à peccato debet esse alienus: nam qua fronte subjectos arguere poterit! cùm illi statim correptus possit ingerere; antè doce te quæ recta sunt.* (*Lib. 2. de Eccles. Officiis, cap. 5. tom. 2. pag. 345. col. 2. Edit. Matrit. ann. 1599.*)

Nec dixeris brevi tempore defuturos Ecclesiæ Ministros, si in iis deligendis tanta severitas adhibeatur: *Deus* enim, inquit S. Thomas, *nunquam ita deserit Ecclesiam suam, quin inveniantur idonei Ministri, sufficientes ad necessitatem plebis... Si non possent tot Ministri inveniri, quot modò sunt,*

melius esset habere paucos Ministros bonos, quàm multos malos. (*Supplem. quæst. 361. art. 4. ad. 1.*)

Conditio IV.

Interstitia servanda.

Interstitii nomine intelligitur certum temporis intervallum, quod ab uno Ordine suscepto, ad alterum recipiendum debet intercedere. Ea est scilicèt antiqua Ecclesiæ lex, ut Clerici in unoquoque Ordine per aliquod tempus definitum immorentur, neque ad majores Ordines priùs gradum faciant, quàm in minoribus aliquandiù fuerint exercitati. in Concilio enim Sardicensi an. 347. sic præscribitur: *Habebit uniuscujusque Ordinis gradus non minimi scilicèt temporis longitudinem, per quod & fides, & morum probitas, & constantia, & moderatio possit cognosci, & ipse divino Sacerdotio dignus existimatus maximum honorem assequatur.* (*T. 2. Conc. p. 635.*) Legem hanc sic confirmat Concilium Tridentinum: *Minores Ordines... per temporum interstitia, nisi aliud Episcopo expedire magis videretur, conferantur.* (*Sess. 23. de reform. cap. 11.*)

Ibidem vetat Synodus ne quis ad sacros Ordines promoveatur, ante elapsum à suscepto Acolythatu annum, *nisi necessitas aut Ecclesiæ utilitas judicio Episcopi aliud exposcat. Pro Subdiaconis* hæc statuit: *Promoti ad sacrum Subdiaconatûs Ordinem, si per annum saltem in eo non versati sint, ad altiorem gradum, nisi aliud Episcopo videatur, ascendere non permittantur.* (*Ibid. cap. 13.*) Pro Diaconis præcipit, *ut in Diaconatu ad minùs annum integrum, nisi ob Ecclesiæ utilitatem ac necessitatem aliud Episcopo videretur, ministraverint.* (*Ibid. cap. 14.*)

Denique prohibet ne *duo sacri Ordines eodem die conferantur.* (*Ibid. cap. 13.*) Unde sequitur penès Episcopos esse quatuor Minores simul cum Sub-

diaconatu eodem die conferre, quod plurimis in Diœcesibus non rarò contingit.

Interstitia duplicem ob causam instituit Ecclesia; tùm scilicèt ut Clerici quæ sui officii sunt maturè discerent; tùm ut accuratiùs probarentur. Hæc enim in inferioribus gradibus statio, quoddam est veluti tyrocinium, ex quo conjici potest quales in altioribus futuri sint Clerici.

Conditio V.

Ordinatio non fiat per saltum.

Ordinatio *per saltum* fieri dicitur, cùm aliquis, inferiori Ordine prætermisso, accipit superiorem, Presbyteratum, v. g. omisso Diaconatu. Prohibitas ideòque illicitas esse hujusmodi Ordinationes, ex multis Summorum Pontificum decretis compertum est. Alexander II, de Clerico consultus qui, omisso Subdiaconatûs Ordine, ad Diaconatum & Presbyteratum pervenerat, sic respondet: *Mandamus ut ab officio Sacerdotali eum prohibeas, donec proximo quatuor temporum jejunio, Subdiaconatûs ministerium ei ritè imponas.* (*Decret. Grat. c.* 273.) Innocentius etiam III de Clerico qui, Diaconatu prætermisso, ad Presbyteratum profilierat, consultus sic respondet: *Mandamus quatenùs condignam pœnitentiam... injungas eidem, quâ peractâ,... ipsum in Diaconum Ordinare procures, & sic de misericordia eumdem ministrare permittas in Ordine Sacerdotii.* (*Lib.* 5. *Decretal. tit.* 29. *pag.* 1778.)

Invalidas tamen non esse hujusmodi Ordinationes ex eo patet, quòd in laudatis decretis præcipiant quidem Romani Pontifices, ut recipiantur Ordines prætermissi, minimè verò ut iterentur qui *per saltum* recepti fuêre. *Præterea in primitiva Ecclesiâ*, inquit S. Thomas, *aliqui Ordinabantur in Presbyteros, qui prius inferiores Ordines non susceperant, & tamen poterant omnia quæ inferiores Ordines possunt, quia inferior potestas comprehenditur in superiori virtute*, potestas, v. g. Diaconorum in Sacerdotio. (*Suppl. quæst.* 35. *art.* 5.)

Conditio VI.

Titulus Clericalis.

Titulus Clericalis est certa quædam boni sive ecclesiastici, sive patrimonialis portio, quæ Clericis ad sacros Ordines promovendis necessaria est, ut quicumque supervenerit casus, habeant unde honestè vivant, nec victum indecorè mendicando quæritare cogantur. Nulla fuit antiquitùs tituli clericalis necessitas: hæc enim erat Ecclesiæ disciplina, ut nullus Ordinaretur Clericus nisi alicui Ecclesiæ addiceretur, ut in ea ministerium exerceret, unde victum percipiebat. Eâ de re multa sunt Conciliorum decreta; Synodus, v. g. Chalcedonensis statuit eos qui ita Ordinarentur, ut alicujus Ecclesiæ ministerio specialiter addicti non essent, *nusquam exercere ac operari posse, ad ejus qui Ordinavit injuriam.* (*Tom.* 4. *conc. pag.* 757.)

Sed desinente XII sæculo, mutata est hæc Ecclesiæ disciplina, usuque obtinuit ut nullus ad sacros Ordines promoveretur, nisi titulum haberet, vel beneficii, vel patrimonii, vel paupertatis. Primi duo tituli Clercis sæcularibus competunt; tertius autem iis qui solemnia Religionis vota emisêre.

Quæres 1°. quænam sint necessaria, ut beneficium veri tituli rationem habeat.

Resp. tria requiri. Primum, ut canonicè possideatur: si enim fuerit simoniacè acquisitum, nec ei quidem inservire potest, qui simoniam prorsùs ignoravit, nisi dimisso eodem beneficio, novam ejus *provisionem* obtinuerit. Secundum, ut pacificè, id est, sine lite & controversia possideatur. Tertium, ut ad honestè vivendum sufficiat, saltem cum patrimonio conjunctum: *Ne quis deinceps Clericus sæcularis*, ait Concilium Tridentinum, *ad sacros ordi-*

nes promoveatur, nisi prius legitime constet, eum beneficium ecclesiasticum quod sibi ad victum honeste sufficiat: pacificè possidere. (Sess. 12. de reform. cap. 2.)

Quæres 2°. quænam sint conditiones patrimonii in titulum clericalem assignati.

Resp. requiri 1°. ut taxationi ab Episcopo præscriptæ respondeat; 2°. ut actu possideatur ab Ordinando; non satis igitur esse ut aliquis patris opulenti filius, pinguem ab eo hereditatem jure speraret; 3°. ut vera, non autem ficta sit possessio: fictè verò possidet, qui rem accipit sub expressa vel tacita illa conditione, ut ejusdem proventus, vel integros, vel majori ex parte, danti aut potiùs dare fingenti dimittat, cui vitio maximè obnoxii sunt tenuioris fortunæ Clerici qui ut à consanguineis aliquam tituli speciem extorqueant, tacitè saltem spondent se nihil ab iis exacturos; 4°. titulus super re fixa & certa constituatur necesse est; idcircò pater filio titulum ex eo lucro efficere non potest, quod ex arte suâ percepturus: est sæpè enim contingit ut hujusmodi spes in fumum abeat: 5°. titulus ab omni onere debet esse expeditus, quo vel incertus fieret, vel ipsius pretium imminueretur: eam ob causam in titulum admitti non potest fundus cui illigata est hypotheca, & qui potest à creditoribus occupari: eamdem ob causam non valet titulus, qui Clerici fratres legitimâ sibique debitâ hereditatis parte defraudaret, nisi eam ætatem attingerint, quâ donationem hanc ritè approbare possint.

Quæres 3°. an titulus à Clerico dimitti possit sive per *resignationem*, si beneficium; sivè per alienationem, si bonum sit sæculare.

Resp. 1°. Beneficium quod tituli loco est, ab Ordinato *resignari* non potest, *nisi facta mentione quod ad illius beneficii titulum sit promotus, neque*

ea resignatio admittatur, nisi constiterit quòd aliundè commodè vivere possit; aliter facta resignatio nulla sit. Ita Concilium Tridentinum, *Sess. 21. de reform. cap. 2.* In Gallia tamen validè *resignatur* hujusmodi beneficium, etiamsi Clericus non aliunde habeat quo vivere possit, ut docet *Brillon*, (*Dict. des Arrêts.*) Graviter nihilominùs peccaret Clericus, qui in eo casu *resignaret*; tùm quia legem sapientissimam & in Concilio generali constitutam violaret; tùm quia in periculum indigentiæ suo statui indecoræ sese conjiceret.

Resp. 2°. titulum patrimonialem *sine licentiâ Episcopi alienari aut extingui, vel remitti nullatenùs posse* à Clericis, *donec beneficium Ecclesiasticum sufficiens sint adepti, vel aliundè habeant unde vivere possint.* Ita Concilium Tridentinum. (*Ibidem.*) In Edicto Aurelianensi an. 1560 sic habet Carolus IX: *Avons déclaré le revenu temporel (du titre) inaliénable & non sujet à aucunes obligations & hypothèques, créées depuis la promotion du Prêtre durant sa vie. (Mém. du Clergé, édit. de 1716. tom. 5. pag. 591.)*

Conditio VII.

Dimissoriæ Litteræ, si quis ab alio quàm proprio Episcopo sit Ordinandus.

Litteræ dimissoriæ ita vocantur, quia per eas proprius Episcopus quempiam sibi subjectum ad alium Episcopum dimittit, ab eoque Ordines suscipiendi facultatem concedit. Quâ in re nonnulla diligenter ab Episcopis observanda præscribit Concilium Tridentinum; statuit enim 1°. *ut Episcopi per semetipsos Ordines conferant*, quantùm fieri potest; (*Sess. 23. de reform. cap. 3.*) 2°. *ut subditos suos non aliter, quàm jam probatos & examinatos, ad alium Episcopum Ordinandos dimittant.* (*Ibid.*)

Prætereà Concilium Narbonenſe an. 1609. decernit non concedendas eſſe Litteras dimiſſorias, niſi ad unum duntaxat annum valituras, *quo elapſo, dictæ Litteræ nullius ſint effectûs.* (*Cap.* 2. *tom.* 15. *Concil. pag.* 1594.) Cùm autem juniores Clerici intra unius anni ſpatium aliquandò mutentur in pejus, curandum ut qui Litteras dimiſſorias anno penè integro antiquiores deferunt, continuatæ pietatis teſtimonium, vel à Seminariorum Moderatoribus, vel à Parochis datum ſimul exhibeant. Denique in Concilio Mediolanenſi IV & in Burdigalenſi an. 1624, (*Cap.* 6. *ſect.* 9.) aliiſque nonnullis prohibitum eſt, ne dimiſſoriæ Litteræ ad omnes Ordines concederentur. Cur autem id vix unquam fieri debeat, ratio eſt quia ſi hujuſmodi Litteræ dentur, ut omiſſis interſtitiis recipiantur Ordines, Tridentinos de iis ſervandis Canones labefactant. Si verò eâ lege tribuantur, ut interſtitiorum legi nulla fiat injuria, tunc contingere poteſt ut per illud temporis intervallum, Ordinandus priorem morum integritatem non retinuerit. Quapropter Gallicani Præſules in Comitiis generalibus an. 1657. ſtatuerunt, rogandos eſſe alios Epiſcopos, ut Litteras dimiſſorias nonniſi ad ſingulos ſigillatim Ordines concederent. (*Mém. du Clergé, édit. de* 1716. *tom.* 5. *pag.* 476.)

Non ab Epiſcopo tantùm, verùm & ab ejus Vicario generali dari poſſunt, modò expreſſam ea de re facultatem acceperit ab Epiſcopo. Eas etiam, Sede vacante, largiri poteſt Eccleſiæ Cathedralis Capitulum, ſed nonniſi anno poſt obitum Epiſcopi elapſo, ut ſtatuit Synodus Tridentina. (*Seſſ.* 23. *de Reform. cap.* 10.) Intra annum tamen à Capitulo iis concedi poſſunt, quos *Arctatos* vocant; id eſt, qui beneficii ſui titulo intra annum Ordines ſuſcipere tenentur.

Litteræ dimiſſoriæ vim habent, etiam poſt mortem Epiſcopi à quo fuerunt conceſſæ, niſi ab ipſius ſucceſſore revocentur. Ratio eſt, quòd mera

ſint gratia quam inferiori ſuo indulget Superior: atqui *gratia*, inquit Bonifacius VIII, *durabit perpetuò, niſi à ſucceſſore fuerit revocata.* (*In Sexto, lib.* 1. *tit.* 3. *cap.* 5.)

Conditio VIII.

Vocatio.

Divinam *vocationem*, licèt inter alias conditiones primum locum obtineat, ultimam quaſi coronidis loco ſubjungimus, quia ceteras omnes aut in ſe complectitur, aut requirit.

Quæres 1°. quid *vocationis* nomine intelligatur, & quæ ejus neceſſitas.

Reſp. *Vocationis* nomine eam intelligimus electionem, quâ Deus quoſdam homines ad ſacras functiones obeundas, præ aliis ſelegit ac deſtinavit. Quàm autem neceſſaria ſit innumeris argumentis demonſtrant ſacri Codices. 1°. Enim Deus Levitas in veteri lege, & Apoſtolos, cùm novum fœdus inſtituit, tanquam ſuos Miniſtros elegit: *Non vos me elegiſtis*, inquit, *ſed ego elegi vos.* (*Joan.* 15. 16.) 2°. Chriſtus tanquam furem & latronem eum habet qui in ovile per oſtium non ingreditur: id eſt, qui, ipſo non vocante, in miniſterium eccleſiaſticum irrumpit: *Qui non intrat per oſtium in ovile ovium, . . . ille fur eſt & latro.* (*Joan.* 10. *v.* 1.) 3°. Apoſtolus docet ab eo tantùm ſumendum eſſe Sacerdotii honorem, *qui vocatur à Deo tanquam Aaron.* (*Hebr.* 5. 4.) Exemplum Chriſti ſingulis proponit, *qui non ſemetipſum clarificavit ut Pontifex fieret, ... ſed appellatus à Deo Pontifex, juxta Ordinem Melchiſedech.* (*Ibid. v.* 5. & 10.) 4°. Apoſtoli in locum Judæ proditoris aliquem ſuffecturi, Deum ſic precantur: *Domine, qui corda noſti omnium, oſtende quem elegeris . . . accipere locum miniſterii hujus . . . de quo prævaricatus eſt Judas.* (*Act.* 1. *v.* 24. & 25.)

Idem persuadet ipsa ratio. Certum est enim neminem posse ecclesiasticis officiis, maximè pastoralibus, ritè defungi, nisi specialibus Dei auxiliis adjuvetur: numquid autem peculiares illas gratias sperare ausit qui, Deo non vocante, & sæpiùs inconsulto, in sacrum ministerium sese intrudit? Ex divina enim vocatione, tanquam à radice, pendet gratiarum distributio, sine quibus sacri ministerii functiones nonnisi malè exercentur. Nam *sufficientia nostra ex Deo est, qui & idoneos nos fecit Ministros Novi Testamenti*; ait Apostolus. (2. *Cor.* 3. *v.* 5. & 6.) Hinc præclara illa S. Leonis verba: *Qui mihi oneris est autor, ipse mihi fiet administrationis adjutor; .... dabit virtutem qui contulit dignitatem.* (*Serm.* 1. *in die Assumptionis suæ, cap.* 2. *tom.* 1. *pag.* 12.)

Prætereà nonne gravissimi sceleris reus haberetur, qui sine terreni Principis autoritate & consensu Rempublicam administrare, populis jura decernere, exercitibus præesse auderet? Atqui crimen longè magis horrendum committit, qui sine supremi Numinis vocatione, rebus divinis sese ingerit, & ministerium Angelis tremendum arripit. Cum enim Ecclesia sit Domus & Regnum Dei, illius officia & dignitates pro suo arbitrio distribuere, ad Deum solum pertinet: *Ipse dedit*, ait Paulus, *quosdam quidem Apostolos, quosdam autem Prophetas, alios verò Evangelistas, alios autem Pastores & Doctores, ad consummationem Sanctorum in opus ministerii.* (*Ephes.* 4. *v.* 11. & 12.)

Hinc colliges quanta cum diligentia Dei voluntatem explorare debeant, qui de amplectendo statu clericali cogitant. Hanc Prophetæ orationem frequenter usurpent: *Notam fac mihi, Domine, viam in quâ ambulem, .. doce me facere voluntatem tuam, quia Deus meus es tu.* (*Psal.* 142. *v.* 8. & 10.)

Quæres 2°. quibus signis innotescere possit,

quinam eligantur, quinam verò repellantur à Deo.

Resp. Primum est innocentia & morum integritas quæ, vel nunquam amissa, vel per pœnitentiam recuperata fuerit; secundum est laboris amor, scientia requisita, ecclesiasticæ disciplinæ studium, animus à sæculi pravitate alienus; tertium, recta intentio quâ finem laudabilem sibi proponat, qui Ecclesiæ ministerio sese consecrare meditatur, ut scilicèt gloriam Deique cultum promoveat, ut suæ aliorumque saluti sese devoveat. Si post conscientiam diligenter excussam, hæc omnia in se deprehenderit, tunc meritò colliget ad statum clericalem à Deo se destinari. *Si verò ambitione duceris vel avaritiâ*, inquit Hallier, *si inhias honori, non oneri, non operis aut cupidus aut saltem patiens, non te vocat Deus, sed diabolus tentat.* (*Tract. de sacris electionib. part.* 1. *sect.* 3. *cap.* 2. §. 4. *n.* 23. *pag.* 169.)

Ne quis autem in re tanti momenti seipsum decipiat, consulere debet virum aliquem scientiâ ac pietate conspicuum, & præsertim in rebus ecclesiasticis exercitatum, cui intimos suæ conscientiæ recessus sine ulla dissimulatione aperiat. Si enim generatim sapientissimum sit illud monitum: *Fili, sine consilio nihil facias, & post factum non pœnitebis:* (*Eccli.* 32. 24.) quantò magis in præsenti materia?

CAPUT VI.

De Ordinationis effectibus.

DUPLICEM sacræ Ordinationi effectum tribuunt Catholici, gratiam nimirùm sanctificantem & characterem. Sit itaque

Propositio I.

Ordinatio gratiam sanctificantem confert, non quidem primam quæ hominem ex non justo efficit justum; verùm secundam quæ hominem justitiâ jam ornatum facit justiorem.

Probatur prima pars. Quod supponit hominem justitiâ & sanctitate jam instructum, primam gratiam sanctificantem non confert: atqui hominem justitiâ & sanctitate jam donatum, supponit sacræ Ordinationis Sacramentum. Ad illud enim ritè suscipiendum necessariò præmittendam esse innocentiam, vel nunquam amissam, vel pœnitentiâ reparatam, demonstravimus; ergo, &c.

Probatur secunda pars, nimirùm per Ordinationem conferri gratiam sanctificantem secundam, sive illius incrementum. 1°. Ex dictis in Tractatu de Sacramentis in genere, gratia sanctificans vel prima, vel secunda, communis est omnium Sacramentorum effectus, quæ à Christo instituta sunt: atqui ordinationem verum esse novæ Legis Sacramentum, adversus Novatores ostendimus; ergo gratiam sanctificantem parit, non quidem primam, at secundam. Hinc Apostolus Discipulum suum sic monet: *Noli negligere gratiam quæ in te est, quæ data est tibi..... cum impositione manuum Presbyterii.* (1. *Tim.* 4. 14.)

2°. Formæ Sacramentorum ex institutione Christi eum effectum operantur quem significant: sunt enim, ut aiunt Theologi, *signa practica*: atqui Ordinationis forma, sive oratio manuum impositioni conjuncta, quam vel à primis temporibus adhibuit Ecclesia, tùm Græca, tùm Latina, gratiam exprimit ad ritè obeundas sacri Ministerii functiones necessariam. Sic apud Latinos Pontifex manus supra Ordinandos Presbyteros imponens Deum rogat, *ut super hos famulos suos, quos ad Presbyterii munus elegit, cœlestia dona multiplicet, & quod ejus donatione suscipiunt, ipsius exequantur auxilio, ut super eos benedictionem Sancti Spiritûs, & gratiæ Sacerdotalis infundat virtutem*, &c. ergo per Ordinationem datur gratia quâ homo sacris functionibus, ut par est, obeundis fiat idoneus. *Confertur*, inquit S. Thomas, *in ipsa susceptione Ordinis amplius gratiæ munus, per quod ad majora reddantur idonei.* (*Suppl. quæst.* 35. *art.* 1. *ad.* 3.).

Propositio II.

Ordinis Sacramentum imprimit characterem.

Probatur. Canone inter Apostolicos 67 sic decernitur: *Si quis Episcopus, vel Presbyter, vel Diaconus, secundam Ordinationem ab alio susceperit, deponatur, & ipse & qui Ordinavit.* (*Tom.* 1. *Concil. pag.* 39.) Idem statuit Concilium Carthaginense III an. 397: *Non liceat fieri rebaptizationes & reordinationes.* (*Can.* 38. *tom.* 2. *Concil. pag.* 1172.) S. Augustinus de Sacramentis Baptismi & Ordinis ait: *In Ecclesia Catholica utrumque non licet iterari.* (*Lib.* 2. *contra Ep. Parmeniani, cap.* 13. *n.* 28.) Denique, ut alios fileam Patres, S. Gregorius Magnus, *Sicut baptizatus semel*, inquit, *iterùm baptizari non debet, ita qui consecratus semel, in eodem iterùm Ordine non valet consecrari.* (*Lib.* 2. *Epist.* 46. *tom.* 2. *pag.* 608. & 609.)

Unde colligitur istud argumentum: Ex SS. Patribus & Canonibus, Sacramentum Ordinis ritè datum iterari nec potest, nec debet, quia semel acceptum, semper, etiam in Hæreticis & Schismaticis permanet. Sic autem perpetuò consistere non potest, nisi ratione vel characteris quem in anima imprimit, vel ritûs externi quo perficitur, vel gratiæ quam confert: atqui duo posteriora dici nequeunt: non quidem primum; ritus enim externus statim atque celebratus fuit, evanescit, quemadmodùm & in

aliis Sacramentis ; non etiam secundum, quia hæc gratia sæpè Ordinatorum negligentiâ amittitur. Idcircò Timotheum hortatur Apostolus, ut gratiam sibi manuum impositione datam minimè *negligat. Penès nos enim est illam, vel extinguere, vel accendere*, ait S. Chrysostomus (*Homil. 1. in. 2. Epist. ad Timoth. n. 2. Edit. BB. tom. 11. pag. 661.*) Superest igitur ut Sacramentum Ordinis perpetuò maneat ratione characteris quem animæ ita imprimit, ut deleri nunquam possit. Ad eum effectum spectant Patrum decreta quibus, ne iterentur sacræ Ordinationes, totiès vetitum est.

Hinc Concilium Tridentinum sic pronuntiat : *Si quis dixerit per sacram Ordinationem .... non imprimi characterem, vel eum qui semel Sacerdos fuit, Laicum rursùs fieri posse, anathema sit.* (*Sess. 33. de Ordine, can. 4.*)

CAPUT VII.

De Cœlibatu sacris Ordinibus annexo.

Hic variæ quæstiones occurrunt excutiendæ ; prima de Latinæ, secunda de Græcæ Ecclesiæ circa sacrorum Ministrorum cælibatum, disciplinâ veteri & novâ ; tertia quâ lege, divinâ, an humanâ, præceptus fuerit cælibatus ; quarta, utrùm ea lex sapienter instituta fuerit.

ARTICULUS

ARTICULUS PRIMUS.

De Ecclesiæ Latinæ circa sacrorum Ministrorum cælibatum disciplinâ.

1°. In Ecclesia Latina semper prohibitum fuit ne Episcopi, Presbyteri & Diaconi, aut uxores post Ordinationem ducerent, aut ante ipsam ductis uterentur : cujus rei fidem faciunt innumera SS. Patrum, Conciliorum, summorumque Pontificum testimonia ; sed pauca tantùm seligere jubet brevitas. Siricius Papa anno 395 sic testatur : *Sacerdotes omnes atque Levitæ*, (sive Diaconi) *insolubili lege constringimur, ut à die Ordinationis nostræ, ... pudicitiæ & corda nostra mancipemus & corpora, ut per omnia Deo nostro, in his quæ quotidiè offerimus sacrificiis, placeamus.* (*Tom. 2. Concil. pag.* 1020.)

S. Hieronymus, *Episcopi*, inquit, *Presbyteri, Diaconi, aut virgines eliguntur, aut vidui, aut certè post Sacerdotium in æternum pudici.* (*Ep. 30. adverſ. Jovinian. tom. 4. part. 2. pag. 242.*) Concilium Wormatiense an. 868 : *Placuit ut Episcopi, Presbyteri, Diaconi & Subdiaconi abstineant se ab uxoribus.* (*Cap. 9. tom. 8. Concil. pag. 948.*) Synodus Augustana an. 952 : *Episcopus, Presbyter, Diaconus, Subdiaconus, ut in multis Conciliis firmatum est, quia divina ministeria contrectant, ab uxoribus abstineant.* (*Cap. 11. tom. 9. Concil. pag. 637.*) Si varias perlustraveris Latinorum Ecclesias, eamdem de servanda continentia Episcopis, Presbyteris & Diaconis legem constanter impositam reperies.

2°. Primis sæculis non unam & eamdem fuisse Ecclesiæ Latinæ de Subdiaconorum continentia disciplinam, satis probat antiquorum Canonum discrepantia, quorum alii usum matrimonii ante

aliis Sacramentis ; non etiam secundum, quia hæc gratia sæpè Ordinatorum negligentiâ amittitur. Idcircò Timotheum hortatur Apostolus, ut gratiam sibi manuum impositione datam minimè *negligat. Penès nos enim est illam, vel extinguere, vel accendere*, ait S. Chrysostomus (*Homil. 1. in. 2. Epist. ad Timoth. n. 2. Edit. BB. tom. 11. pag. 661.*) Superest igitur ut Sacramentum Ordinis perpetuò maneat ratione characteris quem animæ ita imprimit, ut deleri nunquam possit. Ad eum effectum spectant Patrum decreta quibus, ne iterentur sacræ Ordinationes, totiès vetitum est.

Hinc Concilium Tridentinum sic pronuntiat : *Si quis dixerit per sacram Ordinationem .... non imprimi characterem, vel eum qui semel Sacerdos fuit, Laicum rursùs fieri posse, anathema sit.* (*Sess. 33. de Ordine, can. 4.*)

CAPUT VII.

De Cœlibatu sacris Ordinibus annexo.

Hic variæ quæstiones occurrunt excutiendæ ; prima de Latinæ, secunda de Græcæ Ecclesiæ circa sacrorum Ministrorum cælibatum, disciplinâ veteri & novâ ; tertia quâ lege, divinâ, an humanâ, præceptus fuerit cælibatus ; quarta, utrùm ea lex sapienter instituta fuerit.

ARTICULUS

ARTICULUS PRIMUS.

De Ecclesiæ Latinæ circa sacrorum Ministrorum cælibatum disciplinâ.

1°. In Ecclesia Latina semper prohibitum fuit ne Episcopi, Presbyteri & Diaconi, aut uxores post Ordinationem ducerent, aut ante ipsam ductis uterentur : cujus rei fidem faciunt innumera SS. Patrum, Conciliorum, summorumque Pontificum testimonia ; sed pauca tantùm seligere jubet brevitas. Siricius Papa anno 395 sic testatur : *Sacerdotes omnes atque Levitæ*, (sive Diaconi) *insolubili lege constringimur, ut à die Ordinationis nostræ, ... pudicitiæ & corda nostra mancipemus & corpora, ut per omnia Deo nostro, in his quæ quotidiè offerimus sacrificiis, placeamus.* (*Tom. 2. Concil. pag.* 1020.)

S. Hieronymus, *Episcopi*, inquit, *Presbyteri, Diaconi, aut virgines eliguntur, aut vidui, aut certè post Sacerdotium in æternum pudici.* (*Ep. 30. adverſ. Jovinian. tom. 4. part. 2. pag. 242.*) Concilium Wormatiense an. 868 : *Placuit ut Episcopi, Presbyteri, Diaconi & Subdiaconi abstineant se ab uxoribus.* (*Cap. 9. tom. 8. Concil. pag. 948.*) Synodus Augustana an. 952 : *Episcopus, Presbyter, Diaconus, Subdiaconus, ut in multis Conciliis firmatum est, quia divina ministeria contrectant, ab uxoribus abstineant.* (*Cap. 11. tom. 9. Concil. pag. 637.*) Si varias perlustraveris Latinorum Ecclesias, eamdem de servanda continentia Episcopis, Presbyteris & Diaconis legem constanter impositam reperies.

2°. Primis sæculis non unam & eamdem fuisse Ecclesiæ Latinæ de Subdiaconorum continentia disciplinam, satis probat antiquorum Canonum discrepantia, quorum alii usum matrimonii ante

Ordinationem initi Subdiaconis penitùs interdicunt; alii verò permittunt: cùm autem Subdiaconatus sacris & majoribus Ordinibus annumerari cœpit, quod post annum millesimum contigit, tunc Subdiaconi perpetuæ continentiæ addicti sunt, eaque lex ubique obtinuit, ut constat ex Conciliis in Ecclesia Occidentali ab eo tempore celebratis. Quam legem sic confirmat Synodus Tridentina: *Si quis dixerit Clericos in sacris Ordinibus constitutos ... posse matrimonium contrahere, contractumque validum esse, ... anathema sit.* (*Sess. 24. de Matrimonio, can. 9.*)

ARTICULUS II.

De veteri & nova Ecclesiæ Græcæ disciplina circa sacrorum Ministrorum continentiam.

Quæstionem hanc non parùm obscuram faciunt diversæ & oppositæ leges: ad eam autem, quantùm fieri potest, dilucidè explicandam, multiplex afferendum est responsum.

1°. *Aliquandò & alicubi* licitum fuit Diaconis, uxores post Ordinationem ducere, cùm suam ante consecrationem significarent se continentiam servare non posse: sic enim statuit Synodus Ancyrana an. 314: *Diaconi quicumque Ordinantur, si in ipsa Ordinatione protestati sunt, & dixerunt velle se conjugio copulari, quia sic* (id est, cælibes) *manere non possunt; hi, si postmodùm uxores duxerint, in ministerio maneant, propterea quòd Episcopus eis licentiam dederit: quicumque sanè tacuerint & susceperint manûs impositionem, professi continentiam, & posteà nuptiis obligati sunt, à ministerio cessare debebunt.* (*Can. 9. tom. 1. Concil. pag. 1467.*) Diximus autem *aliquandò & alicubi*, quia nec semper, nec ubique obtinuit hæc disciplina, ut ex modò dicendis constabit.

2°. Hanc fuisse antiquitùs communem Ecclesiæ Græcæ disciplinam, ut Ministri sacri ab uxoribus ante Ordinationem ductis abstinerent, rectè colligitur ex plurimis veterum Græciæ Scriptorum testimoniis: *Videtur mihi*, inquit Origenes, *quòd illius solius est offerre sacrificium indesinens, qui indesinenti & perpetuæ se devoverit castitati.* (*Homil. 23. in Num. n. 3. tom. 2. pag. 358. col. 2.*) *Eos*, ait Eusebius, *qui sacrati sunt, atque in Dei ministerio cultuque occupati, continere deinceps à commercio uxoris decet.* (*Lib. 1. demonstrat. Evangelicæ, cap. 9. pag. 33.*) S. Chrysostomus, *Episcopum*, inquit, *uxorem habentem, quasi non haberet, versari oportet.* (*Homil. 10. in 1. Tim. cap. 3. n. 1. tom. 11. pag. 599. Edit. BB.*) S. Epiphanius testatur *Sacro-sanctam Dei Ecclesiam ad Diaconi, Presbyteri, Episcopi, aut Subdiaconi Ordinem, eum duntaxat admittere qui ab unius uxoris consuetudine sese continuerit, aut eâ sit orbatus, quod in illis locis præcipuè fit, ubi Ecclesiastici Canones accuratè servantur.* (*Hæres. 59. n. 4. tom. 1. pag. 496.*)

Deindè S. Doctor sibi objicit eorum exemplum qui, licèt Subdiaconi, Diaconi, & Presbyteri, ab uxoribus suis non abstinebant, respondetque *illud non ex Canonis autoritate fieri, sed propter hominum ignaviam quæ certis temporibus negligente agere, ac connivere solet.*

3°. Trullana Synodus anni 692 prohibuit, ne Episcopi Græci uxores ante Ordinationem ductas retineant, aut cum iis aliquid habeant commercii. Sic enim statuit: *Ad nostram cognitionem pervenit, quòd ... quidam ... Præsules cum propriis uxoribus, etiam postquàm ad eos processit Ordinatio, unà habitare non recusant; ex eo populis offendiculum & scandalum offerentes .... Si quis autem tale quid agere deprehensus fuerit, deponatur.* (*Can. 12. tom. 6. Concil. pag. 1148.*) Ea lex apud Græcos etiamnùm viget.

4°. Per eamdem Synodum Trullanam Sacerdotibus, aliisque Ministris inferioribus licitum est, uxores ante Ordinationem legitimè ductas retinere, ipsisque uti : sic enim declarat : *Si quis dignus inventus fuerit, qui Subdiaconus, vel Diaconus, vel Presbyter Ordinetur, is ad talem gradum assumi nequaquam prohibeatur, si cum legitima uxore cohabitet; sed neque Ordinationis tempore ab eo postuletur, ut profiteatur se à legitima cum uxore consuetudine abstenturum, ne ex eo à Deo constitutas, & suâ præsentiâ benedictas nuptias injuriâ afficere cogamur. (Ibid. Can. 13.)* En famosum Canonem qui apud Græcos in usu est. Licèt Ecclesiæ Romanæ non parùm displiceat, quia cælibatûs ecclesiastici legem concutit, hæc tamen Ministros Græcos rei uxoriæ operam dantes patienter toleravit, quia nimirùm intellexit continentiam non esse Clericis divinâ lege impositam.

ARTICULUS III.

Quâ Lege sacri Ministri perpetuæ continentiæ fuerint addicti.

Circa quæstionem hanc tres sunt Catholicorum opiniones; alii continentiæ legem divinam esse contendunt; alii sententiam hanc ita temperant, ut velint jure divino prohiberi quidem sacros Ministros, ne uxores post Ordinationem ducant, minimè verò ne utantur matrimonio ante Ordinationem celebrato; alii denique existimant hanc legem esse merè ecclesiasticam, ac proindè mutationi obnoxiam : quæ opinio longè communior est.

PROPOSITIO.

Lex cælibatus sacris Ministris imposita, merè Ecclesiastica est.

Probatur 1°. ex Concilio Tridentino cujus hæc sunt verba : *Si quis dixerit Clericos in sacris Ordinibus constitutos, ... posse matrimonium contrahere, contractumque validum esse, non obstante lege Ecclesiasticâ, ... anathema sit. (Sess. 24. de Matrimonio, can. 9.)* Ibi sancta Synodus Ecclesiasticam tantùm legem allegat : atqui procul dubio divinum de continentia Clericorum mandatum non prætermisisset, si quod extare credidisset; ergo, &c.

Prob. 2°. Si continentiæ legem ab ipso Deo sacris Ministris impositam esse persuasum habuisset Ecclesia Latina, Græcorum contrariâ disciplinâ utentium errorem non toleraset; ubi enim de violato jure divino agitur, nullus est indulgentiæ locus : atqui tamen Clericos Græcos, quamvis ab usu matrimonii non abstineant, jam inde à pluribus sæculis tolerat Ecclesia Latina; nam quotiès de concilianda pace in Conciliis actum fuit, nunquam à Presbyteris Græcis postulatum est, ut matrimonio legitimè celebrato non utarentur; ergo, &c.

Dices : Apostolus dotes Episcopo necessarias sic describit : *Oportet Episcopum sine crimine esse, non superbum, non iracundum, ... sobrium, justum, continentem. (Tit. 1. v. 7 & 8.)* Eadem est itaque continentiæ necessitas, ac sobrietatis, justitiæ, lenitatis; siquidem hæc omnia simul præcipiuntur : atqui sobrietas, justitia, lenitas Episcopo necessariæ sunt ex jure divino; ergo & continentia.

Resp. Neg. maj. Ubi enim multa simul imperantur, non idcircò ejusdem sunt necessitatis, eodemque jure præcepta. Id liquet ex decreto Apostolico, ubi sic legitur : *Visum est Spiritui Sancto, & nobis, nihil ultrà imponere vobis oneris, quàm hæc neces-*

ſaria, ut abſtineatis vos ab immolatis ſimulacrorum, & ſanguine, & ſuffocato, & fornicatione. (*Act.* 15. *v.* 28 & 29.) Atqui nemo dixerit ex eadem neceſſitate, eodemque jure fidelibus abſtinendum fuiſſe à ſuffocato & fornicatione; alterum enim jure tantùm Eccleſiaſtico, alterum autem lege naturali & divinâ prohibetur.

ARTICULUS IV.

Utrùm Eccleſiaſtica perpetuæ continentiæ Lex ſapienter inſtituta fuerit.

Hic nobis pugnandum eſt cum Pſeudo-Reformatis, qui eccleſiaſticam de perpetua continentia legem Clericis impoſitam protervè redarguunt & infectantur, velut injuſtam, tyrannicam, nuptiis, verbo Dei, & ipſi naturæ injurioſam, idcircò Miniſtris ſacris uxores ducere licitum eſſe contendunt; contra quos ſit

PROPOSITIO.

Perpetuæ continentiæ Lex ſacris Miniſtris impoſita, ſapientiæ & æquitati conſentanea eſt.

Probatur. Ea lex tùm ſapientiæ, tum æquitati conſentanea eſt, quæ ab autoritate legitima proficiſcitur; quæ rem bonam præcipit, & gravem ob cauſam conſtituta eſt: atqui tres illas conditiones conjunctas habet perpetuæ continentiæ lex majoribus Clericis impoſita. 1°. Quidem ab autoritate legitimâ prodiit; ab Eccleſia enim lata eſt: atqui Eccleſia legitimam, à Deo nempè acceptam, habet autoritatem leges ſanciendi, quibus ſuos Miniſtros obſtringat, & conditiones apponendi quas obſervare teneantur qui ad Clericatum ſeſe offerunt; quemadmodùm & Princeps à Deo jus

habet, ea Magiſtratibus præſcribendi quæ communi bono conducere exiſtimat; ergo, 1°. &c.

2°. Eadem lex rem bonam præcipit: cælibatus enim ab Eccleſia præceptus ſpontaneum eſt ſacrificium, quo voluptates carnis uſumque matrimonii aliquis prorsùs abjicit, ut ſacri miniſterii officiis digniùs fungatur, puriùs liberiùſque divino cultui ſeſe devoveat: atqui id eſſe optimum & ſanctiſſimum, nemo ſapiens & religioſus negaverit; ergo, 2°. &c.

3°. Propter gravem cauſam ea lex conſtituta eſt: maximi quippè momenti eſt Miniſtrorum ſanctitati conſulere, & ea removere quæ obeundis, ut par eſt, ſacris functionibus impedimentum non leve afferunt: atqui ad eum finem ſpectat continentiæ lex, cui majores Clericos ſubjicit Eccleſia; ipſorum eſt enim Sacramenta adminiſtrare, verbum Dei prædicare, corpus Chriſti conficere, orationi boniſque operibus vacare: porrò tot tamque grandia munera totum hominem ſibi vindicant, animumque poſtulant à curis ſæcularibus liberum; quo ſenſu dictum eſt ab Apoſtolo: *Nemo militans Deo, implicat ſe negotiis ſæcularibus.* (2. *Tim.* 2. 4.) Atqui inter curas & ſollicitudines temporales, quæ hominis animum turbare ac diſtrahere ſolent, eæ maximæ ſunt quas matrimonii nexus importat, ut quotidiè experiuntur teſtanturque patres familias; ab iis autem incommodis & impedimentis per continentiæ legem ſibi conſtitutam ſacri Miniſtri liberantur; ergo 3°. non ſine gravi cauſâ fuit ſancita: aliundè verò rem bonam præcipit, & ab autoritate legitima manavit; ergo ſapientiæ & æquitati maximè eſt conſentanea.

Et verò, ſi Apoſtolus fideles, etiam laicos, hortatur, ut ex mutuo conſenſu ad tempus ab uſu matrimonii abſtineant, ſicque liberiùs orationi vacent, (1. *Cor.* 7.) *Multò magis*, ait Innocentius I, *Sacerdotes quibus & orandi, & ſacrificandi juge officium eſt, ſemper debebunt ab hujuſmodi*

consortio abstinere. (Epist. 3. ad Exuperium, cap. 1. tom. 2. Concil. pag. 1254.)

Solvuntur objecta.

Objicies 1°. Ea lex mala est quæ præcepto divino opponitur : atqui perpetuæ continentiæ lex Ecclesiastica præcepto divino opponitur ; isti nempè : *Crescite & multiplicamini ;* (*Genes.* 1. 28.) quibus verbis Deus omnibus matrimonium præcipit ; ergo, &c.

Resp. Neg. min. 1°. Quia præfata Scripturæ verba non præceptum nubendi significant, sed benedictionem & fecunditatem generi humano à Deo impertitam, quâ in perpetuum propagaretur. De brutis enim animantibus quibus, ut potè rationis expertibus, præceptum fieri nequit, pariter ibidem dicit Scriptura : *Benedixitque eis* (Deus) *dicens : Crescite & multiplicamini.*

2°. Quia etiamsi in prædictis Dei verbis verum agnosceretur præceptum, non ad singulos homines, sed ad totam universim speciem pertineret : alioqui Deo creatori contrarius esset Christus, dum eos laudat qui sponte à nuptiis sese continuerint ; (*Matth.* 19. 12.) sacrilegus etiam foret Apostolus, & violatæ legis divinæ reus, cùm virginitatis perpetuò servandæ consilium dederit, eamque matrimonio prætulerit : *Qui matrimonio*, inquit, *jungit virginem suam, bene facit ; & qui non jungit, melius facit.* (1. *Cor.* 7. 38.)

Obj. 2°. Apostolus vult Episcopum & Presbyterum esse *unius uxoris virum ;* (1. *Tim.* 3. 2. & *Tit.* 1. 6.) ergo conjugium, etiam majoribus Clericis, necessarium existimavit.

Resp. Neg. conseq. Hoc enim unum significare voluit Apostolus, scilicèt eum nec Episcopum, nec Presbyterum esse consecrandum, qui ad secundas nuptias convolaverit, quia conjugia repetita vehementioris concupiscentiæ suspicionem præ se ferunt : nusquàm verò docuit Apostolus neminem

ad Episcopatum vel Presbyteratum esse promovendum, nisi unam uxorem matrimonio sibi conjunctam habeat ; alioqui propriam suam hanc legem ipse violasset : se enim cælibem profitetur, omnesque ejusmodi esse optabat : *Volo enim omnes vos esse sicut meipsum.* (1. *Cor.* 7. 7.) Ceteri etiam Apostoli, teste S. Hieronymo, *vel virgines* fuêre, *vel post nuptias, continentes.* (*Epist.* 30. *advers. Jovinian. tom.* 4. *part.* 2. *pag.* 242.) Non possunt igitur Pseudo-Reformati Apostolum incontinentiæ patronum facere, nisi ipsius verba miserè torquendo.

Obj. 3°. Usum matrimonii cum sacris ministerii functionibus consociârunt Apostoli, sic testante Paulo : *Numquid non habemus potestatem mulierem sororem circumducendi, sicut & ceteri Apostoli, & fratres Domini, & Cephas ?* (1. *Cor.* 9. 5.) Ergo matrimonii usus non debuit majoribus Clericis interdici.

Resp. Neg. ant. Non Apostolis enim tantùm, sed & ipsi Christo in terris peregrinanti, sanctæ quædam mulieres sese comites adjunxerunt, *quæ ministrabant ei de facultatibus suis :* (*Luc.* 8. 3.) atqui nefas esset inde colligere, Christum matrimonii usum non refugisse ; pariter igitur ex eo quòd Apostoli mulieres circumduxerint, concludere non licet eos matrimonii consuetudinem habuisse. Præterea Apostolos omnes, si unum excipias Petrum, uxoribus semper caruisse, communis est Patrum doctrina. Denique esto suæ Apostolis fuerint conjuges, nihilominùs certum est eos suis uxoribus nunquam remisisse, ut Christum sequerentur. Id constat ex istis S. Petri ad Christum verbis : *Ecce nos reliquimus omnia, & secuti sumus te.* (*Matth.* 19. 27.)

Quasdam igitur mulieres circumducebant Apostoli, non tanquam uxores, sed veluti sorores, ut fert ipsemet textus objectus ; istæ nimirùm ex pio in Apostolos & Evangelium affectu eos sequebantur, ut iis quæ ad victum necessaria erant submi-

nistrarent. *Loquitur Apostolus*, ait S. Hieronymus, *de sanctis mulieribus quæ juxta morem Judaicum* (ex quo proinde nullum erat scandali periculum) *Magistris de sua substantia ministrabant, sicut legimus ipsi quoque Domino facitatum.* (*Lib.* 1. *contra Jovinian. tom.* 4. *part.* 3. *pag.* 167.)

Obj. 4°. Ea lex injusta est quæ rem jubet impossibilem: atqui ita se habet perpetuæ continentiæ lex, majoribus Clericis imposita; ut satis probant tot illicitæ libidines, in quas erumpit natura conjugii remedio fraudata; ergo, &c.

Resp. Neg. min. Numquid enim rei impossibili vitam æternam promittit Christus, cùm interroganti Petro: *Ecce reliquimus omnia, & secuti sumus te, quid ergo erit nobis?* respondit: *Amen dico vobis, ... omnis qui reliquerit .... uxorem propter nomen meum .... vitam æternam possidebit?* (*Matth.* 19. *v.* 27 & 29.) Numquid rem impossibilem suadebat Apostolus, cùm optaret omnes esse sui similes, nempè virginitatis cultores? Numquid impossibile dici potest, quod ab innumeris hominibus factitatum legimus? Atqui continentiæ perpetuò servatæ insignia & propè numero infinita exempla in Ecclesiasticis annalibus occurrunt: quot enim ibi reperias Monachos, Virgines, Episcopos, Presbyteros, &c. imò & Laicos, qui incorruptæ castitatis laude floruerunt, feliciterque experti sunt quod Deus Paulo dixerat: *Sufficit tibi gratia mea non virtus in infirmitate perficitur!* (2. *Cor.* 12. 9.)

Nequicquam autem Hæretici contraria obtrudunt Clericorum exempla, qui suæ professionis immemores, infami libidine, gravissimisque scandalis Ecclesiam non semel afflixerunt: nemo enim sanus legem aliquam, vel injustam, vel impossibilem ideò putaverit, quòd à multis violetur: alioqui damnanda erit lex quælibet, tùm divina, tùm humana; cùm nulla sit quam sæpè sæpiùs infringere non audeat hominum perversitas.

TRACTATUS
DE
IRREGULARITATIBUS.

IRREGULARIS dicitur qui extra regulam est, sive qui dotes à regula pro suscipiendis Ordinibus, vel eorum functionibus exercendis præscriptas non habet: unde *irregularitas* definiri potest: *impedimentum canonicum, quo efficitur aliquis inhabilis ad Ordines licitè recipiendos, vel ad eorum, si recepti fuerint, functiones obeundas.*

Dicitur autem 1°. *impedimentum*, non verò pœna, sicque distinguitur à censura quæ nonnisi propter culpam infligenda est, ideòque pœnæ rationem habet. *Irregularitas* autem aliquandò citra ullum delictum contrahitur, sed propter aliquod corporis vitium.

2°. *Canonicum*, quia locum non habet nisi in casibus jure canonico expressis. Quapropter Bonifacius VIII eum qui in Ecclesia polluta celebravit, licèt peccaverit, irregularitati tamen non esse obnoxium declarat, *cùm id non sit expressum in jure.* (*In sexto, tit.* 11. *cap.* 18.)

3°. *Ad Ordines suscipiendos*, quâ voce intelliguntur Ordines, tùm strictè dicti, tùm latè, qualis est prima tonsura. (*Cap. ult. de temp. Ordinat. in sexto.*)

nistrarent. *Loquitur Apostolus*, ait S. Hieronymus, *de sanctis mulieribus quæ juxta morem Judaicum* (ex quo proinde nullum erat scandali periculum) *Magistris de sua substantia ministrabant, sicut legimus ipsi quoque Domino facitatum.* (*Lib.* 1. *contra Jovinian. tom.* 4. *part.* 3. *pag.* 167.)

Obj. 4°. Ea lex injusta est quæ rem jubet impossibilem: atqui ita se habet perpetuæ continentiæ lex, majoribus Clericis imposita; ut satis probant tot illicitæ libidines, in quas erumpit natura conjugii remedio fraudata; ergo, &c.

Resp. Neg. min. Numquid enim rei impossibili vitam æternam promittit Christus, cùm interroganti Petro: *Ecce reliquimus omnia, & secuti sumus te, quid ergo erit nobis?* respondit: *Amen dico vobis, ... omnis qui reliquerit .... uxorem propter nomen meum .... vitam æternam possidebit?* (*Matth.* 19. *v.* 27 & 29.) Numquid rem impossibilem suadebat Apostolus, cùm optaret omnes esse sui similes, nempè virginitatis cultores? Numquid impossibile dici potest, quod ab innumeris hominibus factitatum legimus? Atqui continentiæ perpetuò servatæ insignia & propè numero infinita exempla in Ecclesiasticis annalibus occurrunt: quot enim ibi reperias Monachos, Virgines, Episcopos, Presbyteros, &c. imò & Laicos, qui incorruptæ castitatis laude floruerunt, feliciterque experti sunt quod Deus Paulo dixerat: *Sufficit tibi gratia mea non virtus in infirmitate perficitur!* (2. *Cor.* 12. 9.)

Nequicquam autem Hæretici contraria obtrudunt Clericorum exempla, qui suæ professionis immemores, infami libidine, gravissimisque scandalis Ecclesiam non semel afflixerunt: nemo enim sanus legem aliquam, vel injustam, vel impossibilem ideò putaverit, quòd à multis violetur: alioqui damnanda erit lex quælibet, tùm divina, tùm humana; cùm nulla sit quam sæpè sæpiùs infringere non audeat hominum perversitas.

TRACTATUS
DE
IRREGULARITATIBUS.

IRREGULARIS dicitur qui extra regulam est, sive qui dotes à regula pro suscipiendis Ordinibus, vel eorum functionibus exercendis præscriptas non habet: unde *irregularitas* definiri potest: *impedimentum canonicum, quo efficitur aliquis inhabilis ad Ordines licitè recipiendos, vel ad eorum, si recepti fuerint, functiones obeundas.*

Dicitur autem 1°. *impedimentum*, non verò pœna, sicque distinguitur à censura quæ nonnisi propter culpam infligenda est, ideòque pœnæ rationem habet. *Irregularitas* autem aliquandò citra ullum delictum contrahitur, sed propter aliquod corporis vitium.

2°. *Canonicum*, quia locum non habet nisi in casibus jure canonico expressis. Quapropter Bonifacius VIII eum qui in Ecclesia polluta celebravit, licèt peccaverit, irregularitati tamen non esse obnoxium declarat, *cùm id non sit expressum in jure.* (*In sexto, tit.* 11. *cap.* 18.)

3°. *Ad Ordines suscipiendos*, quâ voce intelliguntur Ordines, tùm strictè dicti, tùm latè, qualis est prima tonsura. (*Cap. ult. de temp. Ordinat. in sexto.*)

4°. *Licitè ſuſcipiendos*, quia impedit quidem irregularitas ne Ordines licitè, minimè verò ne validè recipiantur.

5°. *Et Ordinum, ſi recepti fuerint, functiones obeundas* ; qui enim non poteſt Ordines licitè ſuſcipere, multò minùs valet eorum munia exercere.

Irregularitas dividitur 1°. in *totalem* & *partialem*. *Totalis* ea dicitur quæ ab omnibus Ordinibus, eorumque exercitio excludit ; talis eſt ea quæ ex homicidio naſcitur. *Partialis* ea eſt quæ impedit ne aliquis tantùm Ordo ſuſcipiatur, vel ne quædam Ordinis ſuſceptí functiones exerceantur. Sic Sacerdos cæcus ad Miſſam quidem celebrandam eſſet irregularis, non verò ad confeſſiones audiendas. 2°. Alia eſt irregularitas quæ ex aliquo defectu, & alia quæ ex crimine ortum habet. Prior inducitur propter quoſdam animi corporiſve defectus qui, licèt ab omni culpa vacui ſint, hominem tamen in quo reperiuntur ita deformant, ut non deceat Ordines ab eo exerceri ; poſterior autem contrahitur propter commiſſum aliquod crimen.

Brevem iſtum Tractatum quatuor in capita diſtribuimus. In 1°. de irregularitate quæ ex defectu provenit ; in 2°. de ea quæ ex delicto naſcitur ; in 3°. de irregularitatis effectibus ; in 4°. de ejus ceſſatione dicturi ſumus.

CAPUT PRIMUM.

De Irregularitate ex defectu.

Octo ſunt irregularitatis ex defectu provenientis ſpecies, quæ ſcilicèt oriuntur ex defectibus animi, corporis, natalium, famæ, ætatis, Sacramenti, lenitatis, libertatis. De impedimento ætatis jam diximus in ſuperiori de Sacramento Ordinis Tractatu ; ſupereſt igitur ut de aliis breviter diſſeramus.

ARTICULUS PRIMUS.

De Irregularitate ex defectu animi.

Triplex eſt animi defectus qui irregularitatem inducit. Primus eſt defectus rationis, propter quem furioſi, energumeni, amentes, epileptici, ab Ordinibus in perpetuum repelluntur ; (*Cap. Maritum, diſt.* 53.) quia nunquam vel rarò contingit, ut ii morbi perfectè ſanentur. Hujuſmodi impedimentum non tam Religio, quàm natura ipſa conſtituit : quibus enim domeſtica civiliave negotia, ne quidem minima, committuntur, multò minùs divinorum myſteriorum celebrationem committendam eſſe ratio clamat. Quòd ſi homines de quibus agitur legitimè fuerint Ordinati, ad ſuſceptorum Ordinum functiones exercendas non priùs admittuntur, quàm ab anno integro ſanati fuerint. (*ex cap. Communiter, diſt.* 33.) Requiritur etiam ut poſt accuratam unius anni probationem, Miſſam non celebrent ſine alio Sacerdote qui ipſorum vices ſuppleat, ſine priſtino morbo fortè corripiantur. Ita Concilium Toletanum XI. (*Can.* 14.)

Annotandum verò epilepticum morbum, quem in prima infantia ante pubertatem expertus eſt aliquis, ſi poſt pubertatis annos ceſſaverit, ex communi conſuetudine irregularitatem non inducere, quia ex Hypocratis aphoriſmo 28, *epilepſia ante pubertatem amotionem recipit*.

Secundus eſt defectus *ſcientiæ* quam Canones, ut jam expoſuimus, ad ſuſcipiendos ſacros Ordines requirunt. (*Cap. Illitteratos, diſt.* 36.)

Tertius eſt defectus *fidei obſirmatæ*, propter quem repellitur 1°. Neophytus, id eſt, recèns ab idolorum cultu, à Mahumetiſmo, vel Judaiſmo ad fidem converſus ; 2°. quibuſdam in locis, filii hæreticorum. (*Ex cap. Quicumque, de hæreticis.*) Sed Canon ille non viget in Gallia, ubi non filii

hæreticorum duntaxat, sed etiam hæretici ipsi post ejuratam hæresim, ad sacros Ordines sine dispensatione admittuntur.

Articulus II.

De Irregularitate ex defectu corporis.

Primis Ecclesiæ sæculis irregularitatem non inducebant corporis defectus, nisi ex aliquo delicto prodiissent, vel hujusmodi essent ut functiones ecclesiasticas impedirent. Id patet ex Canonibus qui dicuntur apostolici; sic enim statuunt: *Si quis vel oculo orbatus, vel femore oblæsus, Episcopatu autem dignus sit, fiat; non enim damnum corporis ipsum polluit, sed inquinatio animæ.* (*Canon. 76. & 77. tom. 1. pag. 50. edit. Oxonien.* an. 1672.) Quinimò cicatrices ex vulneribus propter Christum toleratis superstites, pios Confessores ornabant, nedùm deformarent, ut de Aurelio & Celerino scribit S. Cyprianus: *Lucent in corpore glorioso clara vulnerum signa: .... hos Lectores interim constitutos sciatis.* (*Epist. 34. pag. 47 & 48.*)

Verùm sequentibus sæculis, cùm iis qui corpore vitiati erant, non ea virtus esset quæ deformitatem vinceret, ita ut despicatui essent, Ecclesia post quartum sæculum prohibuit, ne ad sacros Ordines admitterentur, qui notabili corporis vitio laborarent. Quia de re plurimi extant Canones. (*Lib. 1. Decretalium, toto titulo de corpore vitiatis, & lib. 3. de Clerico ægrotante.*)

Propter corporis defectum irregulares sunt qui eam habent deformitatem, quæ vel Ordinis usum impediat, vel scandalum, horrorem & contemptum afferat. Tales sunt 1°. qui carent manu, indice vel pollice, oculo sinistro, quem *oculum Canonis* vulgò appellant. (*Cap. Thomas, de corpore vitiatis, & cap. Si Evangelicam, dist. 55.*) 2°. Surdi utràque aure, claudi qui sine baculo ad altare

stare nequeunt. (*Cap. Nullus Episcopus, dist. 2. de consecrat.*) Item gibbosi, gigantes, pygmæi, & in nostris regionibus Æthiopes, qui horrorem quemdam injiciunt. 3°. Leprosi, absemii qui vinum ita abhorrent, ut illud evomant; item qui tremulas habent manus, propter effusionis calicis periculum. (*Cap. Tua nos, de Clerico ægrot.*) 4°. Qui suâ culpâ facti sunt eunuchi. (*Cap. Si quis, dist. 55.*) Qui verò tales à natura, vel per injustam violentiam effecti sunt, ad sacros Ordines promoveri possunt. (*Cap. Ex parte, de corpore vitiatis.*) Utrùm tamen hic aut ille corporis defectus hujusmodi sit, ut ex eo vel irreverentiæ, vel scandali periculum afferatur, definire Episcoporum est. (*Cap. Significavit, de corp. vitiat.*)

Articulus III.

De Irregularitate ex defectu natalium.

Defectu natalium irregularis est quisquis ex legitimis nuptiis non fuit procreatus. (*Capitib. 1 & 2. de filiis Presbyterorum.*) Excipiuntur tamen qui nati sunt ex matrimonio, propter impedimentum aliquod dirimens irrito quidem, sed in facie Ecclesiæ bonâ fide, saltem ex parte unius contrahentis, celebrato. (*Cap. Cùm inter, de filiis Presbyt.*) Prioribus sæculis incognitum fuit illud impedimentum. Quando enim de eligendis Ministris agebatur, non quo patre genitus, sed quibus virtutibus ornatus esset aliquis quærebatur, ut plurimis Patrum testimoniis adstruit Gratianus. (*Decret. part. 1. dist. 56.*) Sæculo tandem XI, inquit *Drouin*, Summorum Pontificum & Conciliorum autoritate, de spuriis ad sacram Ordinationem non admittendis, lex in tota Ecclesia Latina prævaluit.

Instituendi hujus impedimenti multiplex causa fuit. Prima est Ordinis dignitas, ait præfatus Autor, quam non leviter deturpat origo vitiosa. Quantum-

libet enim spurius filius continentiæ ac sanctitatis laude præcellat, paterni tamen criminis memoriam velut impressam in fronte gerit. Secunda est periculum incontinentiæ in filiis spuriis qui, ne patrum exempla secuturi sint, maximè verendum est; ex vulgari enim proverbio, filii patribus similes esse solent. Tertia fuit reprimendæ quorumdam Presbyterorum incontinentiæ necessitas: sæculo enim præsertim XI, turpe illud vitium in Clero non jam clanculùm, sed publicè grassabatur; quod malum ut coerceretur, præter cetera, constitutum est spurios Presbyterorum filios è sacro ministerio in perpetuum esse removendos.

ARTICULUS IV.

De Irregularitate ex defectu famæ, sive ex infamia.

Duplex est infamia, alia *juris* quæ contrahitur per sententiam Judicis quâ reus declaratur aliquis; alia *facti* quam scilicèt gravia crimina suis autoribus afferunt, ubi primùm nota sunt & pervulgata. Utraque hæc infamia adjunctam habet irregularitatem: *Infames eas personas dicimus, quæ pro aliqua culpa notantur infamiâ; id est, omnes.... quos Ecclesiasticæ, vel sæculi leges, infames pronuntiant; hi omnes .... nec ad sacros gradus debent provehi.* (*Can. Infames, caus. 6. dist. 1. decr. pag.* 1059.) Quod sapienter à Canonibus sancitum est. Si enim in Republica civili ab exercendis officiis, tractandisque negotiis politicis repelluntur; quantò magis in sacro & omnium sanctissimo mysterio lex illa admittenda est? Hinc Apostoli de instituendis Diaconis cogitantes, id primum sollicitè curârunt, ut eligerentur *viri boni testimonii.* (*Act. 6. 3.*) Hinc Paulus declarat *oportere* Episcopum *testimonium habere bonum*, etiam *ab iis qui foris sunt.* (*1. Tim. 3. 7.*)

Quapropter vel innocens ipse qui falsis testimoniis, vel confictis instrumentis oppressus, ad pœnam infamantem, exilium, carcerem, &c. in foro sæculari damnatus est, aut ecclesiastica sententiâ reus denuntiatus, ab omni Ordine vel suscipiendo, vel exercendo repellitur, ut patet ex multis Canonibus. Quantumvis igitur aliquis propriæ conscientiæ testimonio sit innocens, si juridicè damnatus fuerit, pro irregulari sese gerere debet, donec vel superioris Judicis sententiâ fuerit absolutus, vel dispensationem à Sede Apostolica obtinuerit.

Quæres quibus modis auferri possit irregularitas orta ex infamia.

Respondeo: Irregularitas ex infamia facti proveniens, tollitur per eam vitæ emendationem, quæ prioris vitæ dedecus in hominum opinione deterserit; ita ut sinistræ famæ successerint bona existimatio, ex contrariis operibus piis, sæpè ac diù repetitis. *Ad meliora enim conversum nequaquam prior vita commaculat.* (*Decret. pag.* 390.) Irregularitas autem cui locum dedit infamia juris, per solam vitæ emendationem non aufertur; sed præterea requiritur ut vel crimen propter quod aliquis damnatus fuerat, per sententiam diiutum fuerit, vel obtineatur dispensatio à Summo Pontifice cui reservatur. (*ex cap. Cùm te, de sentent. & re judicata.*)

ARTICULUS V.

De Irregularitate ex defectu Sacramenti, sive ex Bigamia.

Bigamia dicitur *defectus Sacramenti*, id est, *signi*, quia iteratæ nuptiæ spiritualem Christi cum Ecclesia conjunctionem perfectè exhibere non

possunt. *Sacramentum Matrimonii*, ait S. Thomas, *significat conjunctionem Christi ad Ecclesiam, quæ est unius ad unam; & ideò requiritur ad perfectam significationem Sacramenti, ut vir sit tantùm unius vir, & uxor tantùm unius uxor, & ideò bigamia quæ hoc tollit, irregularitatem inducit. (In. 4. dist. 27. q. 3. art. 1. in corp.)*

Triplex autem distinguitur bigamia, nempè *vera*, *interpretativa*, & *similitudinaria*. Bigamia *vera* est legitimum matrimonium cum duabus conjugibus *successivè* contractum & consummatum. Si enim sponsa, post ratum matrimonium, & non consummatum, Religionem professa fuerit, & sponsus alteram ducat uxorem, non censetur bigamus, imò nec ille qui plures habuit uxores, & cum nullâ matrimonium consummavit. Veræ bigamiæ semper adjunctam fuisse irregularitatem constat ex Apostolo, qui vetat ne quis Ordinetur Episcopus, Presbyter, vel Diaconus, nisi sit *unius uxoris vir*. (1. *Tim.* 3. *v.* 2 & 12.)

Bigamia *interpretativa* dicitur, cùm aliquis ex fictione, sive interpretatione juris, censetur plures habuisse uxores, licèt reipsâ plures non habuerit: tales sunt 1°. qui viduam duxit, aut puellam ab altero corruptam: ratio est, quod nuptiæ cum vidua vel puella temerata, perfectam non exhibeant matrimonii significationem, id est, non satis referant spiritualem Christi cum Ecclesia conjunctionem; siquidem Christus non aliam habuit sponsam, nec Ecclesia alium sponsum; bigamus ergo reputari debet, sive qui carnem propriam cum multis uxoribus divisit, sive qui duxit uxorem quæ viris pluribus copiam sui fecit; 2°. qui propriam uxorem post adulterium ab ea commissum cognovit: is enim jam incipit esse sponsus illius quæ per adulterium carnem suam divisit pluribus; 3°. qui post mortem primæ uxoris, cum altera matrimonium contrahit, sed nullum & irritum propter impedimentum aliquod dirimens: ratio est quia, *quantùm in ipso fuit, secundam mulierem sibi matrimonialiter conjunxit*, inquit Innocentius III. (*Decretal. pag.* 305. *tit.* 21.)

Bigamiam *similitudinariam* eam vocant Canonistæ quæ iterati matrimonii quamdam Imaginem & similitudinem habet. Hoc modo bigamus censetur, qui post solemne Religionis aut sacri Ordinis votum, matrimonium contraxit & consummavit. Ratio est, quòd duplex veluti matrimonium inierit, aliud spirituale, & aliud carnale & nefandum. Hæc triplex bigamiæ species irregularitatem inducit, & ab omnibus Ordinibus ipsâque primâ tonsurâ excludit.

ARTICULUS IV.

De Irregularitate ex defectu perfectæ lenitatis.

Mansuetos esse debere & ab humani sanguinis effusione, omnique crudelitatis specie alienos Dei Ministros, patet ex iis Christi verbis: *Discite à me quia mitis sum & humilis corde.* (*Matth.* 11. 29.) *Quomodò enim*, ait Yvo Carnutensis, *Ecclesia judicare debet fundendum sanguinem alienum, quæ à primo ortu jussa est fundere sanguinem proprium?* (*Epist.* 247. *part.* 2. *pag.* 107. *Edit. an.* 1647.)

Meritò igitur à Majoribus constitutum est, eos tanquam irregulares habendos, qui voluntariè & proximè, licèt justè, ad necem vel mutilationem alicujus concurrunt, sive *physicè*, ut carnifex; sive *moraliter*, ut mandans, consulens, consentiens. Dixi autem 1°. *voluntariè*: si quis enim nonnisi coactus, ad vitæ suæ defensionem occidat cum moderamine inculpatæ tutelæ, non habetur irregularis. 2°. *Proximè*; namque si remotè duntaxat ad necem aut mutilationem alterius contuleris, irregularitati non subjaces. Hinc armorum

opifex non fit irregularis, licèt quispiam armis ab eo fabricatis alium occidat; secùs verò si arma iis venderet, quos novit duello jamjam conflicturos, quia tunc proximè ad homicidium concurreret. 3°. *Ad necem aut mutilationem alicujus*; tùm quia in jure canonico interficere vel mutilare aliquem, perindè est quoad irregularitatem; tùm quia ad eam contrahendam non satis est occidendi vel mutilandi voluntas, sed necesse est ut occisionis vel mutilationis actus perficiatur. Idcircò qui percutiunt, vulnerant, lacerant, & sanguinem effundunt, non sunt irregulares, nisi inde consequatur mors aut membri alicujus abscissio.

Quæres 1°. quinam in causa criminis censeantur proximè ad mortem vel mutilationem concurrere, ideòque in irregularitatem incidere.

Respondeo circa materiam hanc cum exteris non consentire Gallos. Nam 1°. juxta exteros, irregularitatem contrahunt qui alium criminaliter accusant, si mors vel mutilatio consecuta fuerit; id verò locum non habet in Gallia, ubi nemo reum insequitur, nisi Procurator Regius, vel alius hujusmodi; si tamen ea esset accusatoris intentio, ut malefici morte plecterentur, irregularitatem non effugeret, ait Natalis Alexander.

2°. Juxta Theologos extraneos, irregulares sunt testes in causa capitali, si consequatur mors vel mutilatio illius adversùs quem testimonium ferunt, quia proximè ad nocentis mortem concurrunt. Aliter verò sentiunt Galli; tùm quia bono publico pessimè consultum esset, si ii qui facinorosos cognoscunt, ab iis detegendis irregularitatis metu deterrerentur, tùm quia testes nonnisi remota à Gallis æstimantur mortis inferendæ causa. Hanc tamen doctrinam sic temperant, ut putent irregularitatem à testibus contrahi, sive cùm eos ad testandum inducit non boni publici desiderium, sed mortis alienæ libido;

sive cùm sponte suâ testatur, & priusquàm ad illud fuerint à judice compulsi: ita post Sambovium *Pontos*. (*Cas.* 58.)

3°. Ab exteris Theologis pro irregularibus habentur Procurator, Advocatus & Scriba, (gallicè *le Greffier criminel*) quos putant ad mortem rei proximè concurrere. Aliter autem existimant plerique Autores Galli de Procuratore & Advocato, nisi ambo, vel innocentis causam malè defendendo, ipsi mortem adsciverint; vel reum injustè tuendo in causa fuerint, cur justus accusator necem sonti debitam subierit. Quod verò spectat ad Scribas, non consentiunt Doctores Galli. Quo in dubio docet *Pontas* hujusmodi homines, ut partem eligant tutiorem, debere *dispensationem ad majorem cautelam* obtinere.

In Galliis, sicut & apud exteros, irregularitatem contrahunt 1°. pars, ut vocant, *criminalis*; nempè Procurator Regius, vel alius hujusmodi, qui reum morte damnandum esse concludit; 2°. Judices qui sententiam mortis pronuntiant; 3°. lictores qui reum ad supplicium conducunt; 4°. carnifex qui eum morte afficit: ii enim omnes ad mortem inferendam proximè concurrunt.

Nec quemquam moveat præfata Gallorum à ceteris in hac parte dissensio. Irregularitas enim ex defectu perfectæ lenitatis orta pertinet ad disciplinam, non divino sed humano jure sancitam. Porrò non una omnium eadem est disciplina.

Quæres 2°. an Medici & Chirurgi sint irregulares, cùm membrum aliquod abscindunt, vel abscindi præcipiunt.

Resp. Minimè, modò secundùm artis suæ regulas operentur; quia Chirurgi & Medici, non in vindictam & pœnam, sed ad totius corporis conservationem, membrum incidunt vel amputant. Hæc igitur operatio non crudelitatem sapit, sed humanitatem. Si tamen Chirurgi aut Medici

culpâ vel imperitiâ æger intereat, tunc irregularitatem ex delicto subeunt. In iis enim qui operam suam promittunt, inscitia vertitur in culpam.

Quæres 3°. an milites qui pugnant in bello, irregularitati sint obnoxii.

Resp. Qui in bello justo ex autoritate publicâ contra hostes pugnant, irregulares fiunt, si quem occidant vel mutilent; ceteri autem milites, si neminem interfecerint aut mutilaverint, irregularitati minimè subjacent. Si verò bellum injustum sit & aliquis in eo vel occidatur vel mutiletur, omnes fiunt irregulares, etiam ii qui propriâ manu nec mortem nec mutilationem cuiquam intulêre; quia jus eos omnes punire voluit, qui necis & mutilationis injustæ sunt participes: si quis autem meritò dubitet an quemquam in bello, etiam justo, necaverit aut mutilaverit, tunc dispensationem petere & obtinere debet; tùm ut nemini scandalum afferat; tùm ut partem sequatur tutiorem. Ita *Pontas.* (*Cas.* 69.)

Quæres 4°. utrùm irregulares sint Clerici qui reorum supplicio interfunt.

Resp. eos quidem peccare, cùm sic prohibeat Concilium Lateranense IV an. 1215: *Sententiam sanguinis nullus Clericus dictet aut proferat; sed nec sanguinis vindictam exerceat, aut ubi exercetur, interfit.* (*Can.* 18. *Tom.* 11. *Concil. pag.* 170 & 171.) Grave esse illud peccatum quidam Theologi ex eo concludunt, quòd Synodus Matisconensis II hujusmodi Clericis statûs amissionem comminata fuerit: (*Can.* 19.) ab irregularitate tamen sunt immunes. Qui enim tristibus hisce spectaculis oculos pascit, ad reorum mortem suâ præsentiâ nihil confert.

ARTICULUS VII.

De Irregularitate ex defectu libertatis.

Defectu libertatis ad Ordines requisitæ irregulares sunt, 1°. servi propriè dicti qui etiam mancipia vocantur: ne promoveantur ad Ordines sine dominorum consensu, & nisi ab iis libertatem acceperint, vetant Canones. De iis hæc sufficiant, quia servitus in Gallia nostra locum non habet.

2°. Boni alieni administratores, & quicumque reddendis ratiociniis (gallicè *reddition de comptes*) sunt obnoxii, ut tutores, curatores, procuratores, &c. ii omnes habentur irregulares, donec munia sua abjecerint suasque rationes reddiderint: utraque hæc conditio exigitur. (*Cap.* Magnus, *dist.* 54. *de obligatis ad ratiocinia.*) Qua de re sic habet S. Hieronymus: *Procuratores & dispensatores domorum alienarum atque villarum, quomodò possunt esse Clerici qui proprias jubentur contemnere facultates?* (*Epist.* 34. *ad Nepotian. tom.* 4. *part.* 2. *pag.* 265.) Hujus instituti duplex fuit causa: prima, quia homines sæcularibus functionibus distracti, non sunt satis sui juris, ut divinis vacent ministeriis; secunda, quia in reddendis rationibus alicujus fraudis argui possunt, magnisque litibus vexari: quod in Ecclesiæ dedecus & opprobrium verteretur.

Irregulares tamen non sunt, 1°. bonorum Ecclesiæ, vel cujuslibet alterius causæ piæ administratores; 2°. defensores minorum, pauperum, orphanorum; cùm enim opem suam iis denegare non debeat Ecclesia, ita nec eos qui ipsis operam suam impendunt, ab Ordinibus removere debet; 3°. qui tutorum & curatorum officia in se recipere coguntur à Judicibus.

CAPUT II.

De Irregularitate quæ ex delicto nascitur.

DELICTUM propter quod contrahitur irregularitas, debet esse 1°. *mortale*, quia pœna gravis pro levi culpa non infligenda est: atqui irregularitas quæ propter peccatum decernitur, gravis est pœna, cùm ab Ordinibus vel eorum functionibus excludat: 2°. debet esse *exterius*; culpa enim merè interna non alium habet testem & judicem, quàm Deum & conscientiam. Hinc natum illud effatum: *Ecclesia non judicat de internis.*

Quadruplex est irregularitas à delicto proveniens; prima nascitur ex iteratione Baptismi; secunda, ex hæresi; tertia, ex prava Ordinum receptione, vel malo eorumdem usu; quarta, ex homicidio & mutilatione. De singulis nunc agendum est.

ARTICULUS PRIMUS.

De Irregularitate ex iteratione Baptismi.

Incidere in irregularitatem qui Baptismum denuò vel conferunt, vel recipiunt, ex jure canonico compertum est. Sic enim statuitur: *Neque unquam permittendum ut rebaptizati ad Clericatûs gradum promoveantur.* (*Decr. part.* 1. *pag.* 355.) S. Leo Pontifex Maximus Clericis ab hæresi redeuntibus, Ordinum foris susceptorum exercitium & honorem eâ conditione concedit, *ut iteratâ tinctione nonefuerint maculati.* (*Epist.* 14. *ad Julianum*

lianum Episcopum Aquilensem, *tom.* 1. *pag.* 447. *edit. Quesnel.*) Ab irregularitate tamen immunes censentur 1°. qui in infantia semel & iterùm baptizati sunt; 2°. qui Baptismum erga eum iteravit, quem priùs baptizatum fuisse aut nesciebat, aut legitimè dubitabat; tùm quia *non intelligitur iteratum, quod nescitur & ambigitur esse factum*, ut ait Innocentius III, *Decretal. pag.* 1393, tùm quia in hujusmodi casibus nullum occurrit delictum.

Si verò quæsieris cur irregularitati subjecta fuerit Baptismatis iteratio, non autem Ordinis & Confirmationis, quamvis utrumque illud Sacramentum characterem, sicut & Baptismus, imprimat, duplicem potissimùm hujus discriminis causam afferunt Theologi. Prima fuit necessitas Donatistarum aliorumque *rebaptizantium* hæresim reprimendi, quæ diù turbavit Ecclesiam. Cùm autem non ita ferveret controversia circa Confirmationis & Ordinis Sacramenta, mirum non est quòd ea iterantibus similem pœnam non imposuerint antiqui Canones. Secunda est, quòd Baptismus vera sit regeneratio & mortis Christi, ex Apostolo, imaginem exhibeat; cùm verò res eadem semel duntaxat generetur, & Christus semel tantùm mortuus sit, patet hanc Baptismi notionem ipsius iteratione funditùs subverti: quod in aliis Sacramentis non contingit.

ARTICULUS II.

De irregularitate ex delicto Hæresis.

Hæresis quæcumque, si exteriori quodam signo innotuerit, irregularitatem *jure communi* inducit. *Ex omni hæresi qui ad nos fidelis venerit*, inquit Concilium Eliberitanum, *minimè est ad Clerum promovendus.* (*Can.* 51. *tom.* 1. *Concil. pag.* 976.)

Hanc esse Ecclesiæ Romanæ consuetudinem sic testatur Innocentius I: *Nostræ lex est Ecclesiæ venientibus ab hæreticis, qui tamen illic baptizati sunt, per manûs impositionem laicam tantùm tribuere communionem, nec ex his aliquem in Clericatûs honorem, vel exiguum, subrogare.* (*Tom. 2. Concil. pag.* 1274.) Quin etiam hæreticorum *receptatores, defensores & fautores, ipsorumque filii, ... ad primum & secundum gradum per paternam lineam, ... per maternam verò ad primum duntaxat*, declarantur irregulares. (*In Sexto, pag.* 636. *lib.* 5. *tit.* 2. *part.* 2. *cap.* 15.) Diximus verò, *jure communi*, quia Hæretici in Gallia, Calvinistæ, v. g., non habentur irregulares; ideoque post ejuratam hæresim, receptamque absolutionem, possunt absque dispensatione ad sacros Ordines promoveri.

ARTICULUS III.

De Irregularitate quæ propter Ordines prave susceptos malumque eorum usum contrahitur.

Iis omissis de quibus dissident Theologi, ea tantùm proponemus quæ communi consensu recepta sunt. Irregulares vulgò censentur 1°. qui Ordines furtim recipiunt, id est, qui ab Episcopo nec vocati, nec approbati, per dolum Ordines subripiunt. (*Decretal. pag.* 1778.) 2°. Qui post contractum matrimonium, quamvis non consummatum, invitâ uxore Ordinatur. De hujusmodi enim homine sic pronuntiat Joannes XXII: *Nec in suscepto Ordine ministrare, nec ad superiores Ordines provehi potest.* (*Tit. 6. Extravag. cap. Antiquus, pag.* 68.) Porro verè irregularis est, quisquis ab Ordine superiori excluditur.

3°. Ex communi Doctorum sententia Canonibus fundata, irregularis est qui excommunicatione majori, suspensione vel interdicto constringitur, si majorem Ordinem solemniter, sive ex officio, temerè exerceat. Dixi autem 1°. *majorem Ordinem*; cùm enim minorum Ordinum officia nunc promiscuè à Laicis & Clericis exerceantur, irregularitatem non contrahit suspensus, vel excommunicatus qui iis fungitur. Dixi 2°. *solemniter, sive ex officio.* Tunc autem solemne est alicujus Ordinis exercitium, cùm eâ ratione fit, quæ non competit nisi Clerico qui talem Ordinem suscepit. Subdiaconorum, v. g. solemnis actus est Epistolam cum manipulo cantare; si quis igitur Subdiaconus excommunicatus, vel suspensus, vel interdictus Epistolam sine manipulo cantaverit, in irregularitatem non incurrit, quia non censetur sui Ordinis actum exercere, sed cantoris vel lectoris vices gerere.

4°. Irregularitatem contrahit Clericus qui temerè usurpat, & solemniter exercet officium proprium Ordinis quem non habet, ut colligitur ex illis Hormisdæ Romani Pontificis verbis: *Si quis baptizaverit, aut aliquod divinum Officium exercuerit non Ordinatus, propter temeritatem abjiciatur ab Ecclesia, & nunquam Ordinetur.* (*Lib.* 5. *Decretal. tit.* 28. *pag.* 1776.)

ARTICULUS IV.

De Irregularitate ex homicidio.

Homicidium dividi solet in *voluntarium*, *casuale* & *necessarium*. Homicidium duplici modo potest esse voluntarium, nempè vel in se, cùm scilicèt directè intenditur, ut si quis alium aggrediatur cum rato illius interficiendi proposito; vel in sua causa, ut quando illud agitur ex quo prævidetur, aut prævideri potest & debet alicujus mortem esse consecuturam.

Homicidium *casuale* illud est quod fortuitò contingit, & duplex distinguitur, aliud *purum*, aliud *mixtum*. Putè est *casuale*, cùm accidit præter intentionem agentis, qui illud ex sua actione consecuturum nec prævidit, nec prævidere potuit. Tale est homicidium ab eo factum qui, *cùm pulsaret campanas, ut signo dato conveniret populus fidelium ad divina, cadens tintinnabulum percussit quemdam puerum qui ex eo vulnere decessit.* (*Ibid. tit.* 12. *cap.* 23. *pag.* 1715.)

Homicidium dicitur *casuale mixtum*, cùm illud aliquis nec intendit, nec prævidit quidem; sed vel debitam non adhibuit diligentiam ne mors contingeret, vel opus periculosum & illicitum suscepit; mors inde consecuta, partim fortuita est, quia præter intentionem agentis contigit, partim voluntaria, nempè in sua causa: liberè enim voluit, vel debitam omittere diligentiam, vel opus suscipere à quo erat abstinendum.

Homicidium *necessarium* illud est quod aliquis ex quadam necessitate compulsus, nempè ob propriæ vitæ defensionem, commisit. His præmissis, nunc quærendum est quandonam propter homicidium contrahatur irregularitas.

Quæres igitur 1°. an homicidium quodlibet voluntarium irregularitati subjaceat.

Resp. Affirmat Synodus Tridentina his verbis: *Qui suâ voluntate homicidium perpetraverit, etiamsi crimen id, nec ordine judiciario probatum, nec aliâ ratione publicum, sed occultum fuerit, nullo tempore ad sacros Ordines promoveri possit.* (*Sess.* 14. *de reform. cap.* 7.) Idem de iis sentiendum qui mandato, consilio, hortatione, auxilio ad necem hominis concurrunt. Totidem enim sunt homicidæ voluntarii, juxta illud juris canonici: *Perniciosè se decipiunt, qui existimant eos tantùm homicidas esse, qui manibus hominem occidunt, & non potiùs eos per quorum consilium, & fraudem,*

& exhortationem homines extinguuntur: nam Judæi Dominum nequaquam propriis manibus occiderunt. (*Decret. part.* 2. *caus.* 33. *quæst.* 3. *pag.* 2197.)

Quæres 2°. an irregularitati obnoxium sit homicidium casu & fortuitò commissum.

Resp. 1°. Qui vacat rei licitæ, & debitam ad vitandum homicidium diligentiam adhibet, ab irregularitate immunis est, licèt ex ejus facto fortè sequatur homicidium. Ratio est, quòd in eo casu nihil voluntarii, nihil culpæ occurrat. Non enim reus est qui rem agit licitam, ex qua accidit quod nec præcavere, nec impedire potuit.

Resp. 2°. Si rei licitæ operam daret qui alium inopinatò interfecit, sed non satis diligenter curaverit ne quem læderet, irregularitati subjicitur; quia homicidium quod vitari potuit & debuit, meritò reputatur voluntarium. Hinc Alexander III Sacerdotem qui puerum castigare volens eum percusserat in capite, ab altaris ministerio decernit perpetuò removendum, *si puer ex ipsa percussione interierit, vel aliam infirmitatem incurrerit, de qua noscitur expirasse;* (*Lib.* 5. *Decretal. tit.* 12. *pag.* 1702.) quia, licèt eum graviter lædere non intenderet, in eo tamen corrigendo debitam non adhibuerat prudentiam.

Resp. 3°. Irregularis habendus est qui rei illicitæ simul & periculosæ vacavit, unde præter ipsius intentionem accidit homicidium. Ratio est, quòd hujusmodi homicidium in sua causa voluntarium meritò existimetur: qui enim rem facit prohibitam & periculosam, quæ scilicèt ex se alicui mortem inferre potest, effectus inde consequentes velle judicatur, nec sufficientem adhibere diligentiam censetur, nisi ab illo opere prorsùs abstineat.

Dixi autem *rei illicitæ & periculosæ*, quia contendunt multi Theologi & Canonistæ, aliquem non esse irregularem propter homicidium fortuitum, si res illicita cui operam dabat, non

fuerit periculosa, & ipse debitam adhibuerit diligentiam: homicidium enim istud, inquiunt, ne quidem in suâ causâ, voluntarium est, ut potè ad mortem alicui inferendam ex se minimè accommodatâ.

Inde colliges irregularem fore 1°. Clericum in sacris Ordinibus constitutum, si artem chirurgicam exerceret *per adustionem, vel incisionem*, & indè sequeretur ægroti mors vel mutilatio, quantâcumque diligentiâ usus fuerit; quia hujusmodi operatio periculosa est, & Subdiaconis, Diaconis & Presbyteris per Canones vetita: 2°. Clericum qui clamosæ venationi indulgens, dum feram occidere intendit, hominem ex improviso obvium interficit, quia clamosam venationem quæ nimirùm cum armis & canibus exercetur, Clericis Canones interdicunt, & aliundè non sine periculo est: 3°. qui jussit alterum percuti, quamvis prohibuerit ne lethale vulnus infligeretur, si mors vel mutilatio ex hac percussione consequatur, quia rem illicitam & periculosam imperavit.

Quære: 3°. utrùm pro irregulari habendus sit, qui ob propriæ vitæ defensionem, alium hâc veluti necessitate compulsus occiderit.

Resp. antiquitùs irregulares fuisse, qui aliquem propriæ defensionis causâ interemissent. *Qui in latrones ex adverso feruntur*, inquit S. Basilius, *si fiat quidem Laici, à communione arcentur; si verò Clerici, à gradu dejiciuntur.* (*Ep. can. ad Amphilochium, tom. 3. pag. 326.*) Idem statuit Concilium Triburense an. 895: *Si quis Clericus, quamvis nimium coactus homicidium fecerit, sive sit Presbyter, sive Diaconus, deponatur.* (*Tom. 9. Concil. pag. 445.*) S. Thomas, *Clericus*, inquit, *etiamsi se defendendo interficiat aliquem, irregularis est, quamvis non intendat interficere, sed seipsum defendere.* (*2. 2. q. 64. art. 7. ad 3.*) Sed temporis lapsu obtinuit contraria disciplina. Nam,

ineunte sæculo XIV, Clemens V Pontifex Maximus sic declarat: *Nullam irregularitatem incurrit... qui mortem aliter vitare non valens, suum occidit vel mutilat invasorem.* (*Clementin. lib. 5. tit. 4. pag. 279.*) Ut verò irregularitatem effugiat, servet necesse est inculpatæ tutelæ moderamen; sive debet, quantùm in se est, & suæ, & proximi vitæ consulere. Quapropter si quis invasorem occidat, dum potest fugâ, clamore, vel alio modo vitam in tuto ponere, irregularis est.

Quæres 4°. an irregularis sit qui patris, filii, vel conjugis aggressorem interimit quia eos non potest aliter defendere.

Resp. eum esse irregularem. Is enim tantùm ab irregularitate eximitur qui alium occidit, cùm aliter vitam propriam defendere non potest, *mortem aliter vitare non valens*, inquit Clemens V. Quantò minùs igitur ab irregularitate immunis erit qui homicidium, pro fama, honore, vel bonis defendendis perpetrat! Jam ante Clementem V, Alexander III irregularem declaraverat Monachum quemdam, qui latrones in monasterium nocte ingressos, & funibus strictè colligatos occiderat, dum illi vincula rumpere nitebantur. Eam rationem affert Summus Pontifex: *Quoniam expediebat potiùs post tunicam relinquere pallium, & rerum sustinere jacturam, quàm pro conservandis vilibus rebus & transitoriis tam acriter in alios exardescere.* (*Lib. 5. Decretal. tit. 12. pag. 1704.*)

CAPUT III.

De Irregularitatis effectibus.

TRIPLEX est irregularitatis effectus. 1°. A suscipiendis Ordinibus repellit, & quidem à prima tonsura. Ad eum quippè finem primariò inducta est irregularitas, ut à statu Clericali arceantur, quos in eum admitti non decet; per primam verò tonsuram homini in statum clericalem fit aditus. 2°. Removet ab usu Ordinum jam susceptorum; omnium quidem, si *totalis*; quorumdam verò, si *partialis* tantummodò sit. 3°. Inhabilem facit Clericum, præsertim cùm *totalis* est, ad recipiendum quodlibet beneficium. Quo nomine significantur etiam dignitates ecclesiasticæ. Ratio est, quia ex juris axiomate, *beneficium datur propter officium*: irregularitas autem impedit ne quis Ordinis officio fungatur. Dixi autem, *præsertim si irregularitas totalis sit*; existimant enim multi per irregularitatem *partialem* Clericum inhabilem non fieri ad recipiendum beneficium, cujus munia potest obire.

Controvertitur an collatio beneficii facta Clerico irregulari, non modò illicita sit, sed etiam irrita & nulla. Sunt qui eam validam esse doceant; permulti verò negant. Posteriorem hanc opinionem tutiorem probabilioremque esse colligitur ex variis Canonibus, & maximè ex iis Concilii Tridentini verbis: *Nec aliis in posterum fiat provisio, nisi iis qui jam ætatem & ceteras habilitates integrè habere dignoscantur; aliter irrita sit provisio. (Sess. 22. de reform. cap. 4.)* Porrò inter eos qui ad beneficia ecclesiastica sunt inhabiles, primum locum tenent irregulares; irrita est igitur collatio beneficii ipsis facta. Præterea meritò censetur collator

noluisse beneficium conferre irregulari, quem sacri Canones, tùm ab Ordinibus, tùm à beneficiis repellunt; solus autem ille voluntatis defectus ex parte collatoris satis est, ut irrita judicetur beneficii collatio irregulari facta.

Hinc sequitur irregularem suos non facere fructus beneficii quod ipsi collatum fuit, dum irregularitati subjaceret; eosdem igitur restituere debet, juxta regulas de possessore malæ fidei præscriptas.

Annotandum est 1°. non eam esse irregularitatis vim, quæ beneficiis priùs legitimè obtentis, ante Judicis sententiam spoliet: nullus enim censetur bono quod legitimè possidebat exui, nisi pœnam hanc lex aliqua pronuntiaverit: atqui nullibi in jure canonico decernitur Clericos, etiam propter delictum irregulares, à beneficiis antea ritè acquisitis, ipso facto excidere. *Non sunt ipso jure privati, sed tantùm privandi*, aiunt Canonistæ.

Not. 2°. eos tantùm suis beneficiis privandos esse, qui irregularitatem ex aliquo delicto contrahunt. Qui enim in eam propter aliquem defectum, & citra culpam incurrunt, non solent ab Ecclesia suis beneficiis spoliari; sed iis adjungitur Vicarius qui animarum curam gerat, si beneficium id postulet, & cui ex beneficii fructibus constituitur pensio.

CAPUT IV.

De cessatione Irregularitatis.

1°. IRREGULARITAS ex aliquo defectu proveniens, eo sublato, tollitur absque ulla Superioris dispensatione, quia ex regula juris, *sublatâ causâ, tollitur effectus.* Hinc qui ætatis, scientiæ, libertatis, corporis, animi vel natalium defectu

sunt irregulares, tales esse desinunt, adeptâ ætate, scientiâ, libertate, aut desinente corporis vel animi vitio, vel si per subsequens matrimonium legitimi evaserint. Nam *tanta est vis matrimonii*, inquit Alexander III, *ut qui anteà sunt geniti, post contractum matrimonium legitimi habeantur.* (*Lib.* 4. *Decretal. tit.* 17. *pag.* 1534.) Ii tamen excipiuntur qui ex incestu, vel adulterio nati sunt, & omnes generatim quorum parentes conjunctionis illicitæ tempore, matrimonium contrahere non poterant, propter impedimentum aliquod dirimens. *Si autem*, inquit Alexander III, *vir, vivente uxore suâ, aliam cognoverit, & ex ea prolem susceperit, licèt post mortem uxoris eamdem duxerit, nihilominùs spurius erit filius.* (*Ibid.*)

2°. Per solemnem Religionis professionem irregularitas ex defectu natalium orta tollitur, sed quoad Ordines tantùm, non verò quoad dignitates, sive intra, sive extra Religionem : ad eas enim requiritur specialis dispensatio.

3°. Per dispensationem aufertur irregularitas. Pro quâlibet autem jure canonico inducta, dispensationem à Romano Pontifice concedi posse omnes confitentur, modo tamen id faciendi justa extiterit causa ; supereſt igitur ut quid in ea valeant Episcopi paucis exponamus.

1°. Ex illicita conjunctione nati possunt, dispensante Episcopo, ad minores Ordines & beneficia simplicia promoveri ; ad majores autem Ordines & beneficia quibus subest animarum cura, requiritur Summi Pontificis concessio.

2°. Irregularitas ex defectu corporis oborta, inquit *Drouin*, solâ Pontificis Maximi indulgentiâ tolli demonstrat Ecclesiæ consuetudo ; quod tamen ita observatur, ut Episcopis reservetur autoritas judicandi, an corporis defectus sit hujusmodi, ut qui eo afficitur possit absque scandalo ad Ordines promoveri. Quâ de re Romanæ Cancellariæ clausulam allegat præfatus Theologus.

3°. Hæc olim invaluerat consuetudo, ut irregularitas ex bigamia proveniens, ab Episcopis, saltem quoad minores Ordines, auferri posset. *Papa*, inquit S. Thomas, *potest dispensare totaliter, sed Episcopus quantùm ad minores Ordines.* (*in* 4. *dist.* 27. *q.* 3. *art.* 4. *in corp.*) Verum ex disciplinâ deinceps inductâ, hæc dispensatio ita soli Romano Pontifici reservatur, ut sine ipsius concessione, ne ad primam quidem tonsuram bigamus quisquam admitti possit. Id constat ex Synodo Trident. (*Sess.* 23. *de reform. cap.* 17.) Ita etiam non semel declaratum fuit à sacra Congregatione Concilii Tridentini interprete, ut refert Fagnanus. (*In* 1. *part. lib.* 1. *Decret.*)

4°. Synodus Tridentina statuit licitum esse Episcopis *in irregularitatibus omnibus.... ex delicto occulto provenientibus, exceptâ eâ quæ oritur ex homicidio voluntario, ... dispensare.* (*Sess.* 24. *de reform. cap.* 6.) Occultorum autem criminum nomine, plures Ultramontani, inquit *Habert*, ea intelligunt quæ probari nequeunt. Unde in eorum sententia dispensare non potest Episcopus, cùm agitur de crimine coram duobus testibus commisso, siquidem tunc probari potest ; sed in Gallia, pergit idem Theologus, crimen, *nisi sit notorium notorietate juris, censetur occultum.*

TRACTATUS

DE OFFICIIS

CLERICORUM.

CLERICI nomen derivatur à voce Græcâ κληρος, quæ idem significat ac Latinè *sors*, sive quia quicumque divino ministerio addicti sunt, ad eam dignitatem non seipsos trudere, sed à Domino vocante, & quasi per sortem eligi debent; sive quia Deum, ut præstantissimam sortis, vel hæreditatis suæ, partem amplectuntur: Utramque hanc significationem admittit Hieronymus: *Propterea*, inquit, *vocantur Clerici, vel quia de sorte sunt Domini; vel quia ipse Dominus sors, id est, pars Clericorum est; qui autem vel ipse pars Domini est, vel Dominum partem habet, talem se exhibere debet, ut & ipse possideat Dominum & possideatur à Domino.* (*Epist. 34. ad Nepotian. tom. 4. part. 2. pag. 259.*)

Ex Clericis alii sunt sæculares, alii solemnibus vitæ religiosæ votis adstricti; inter sæculares autem, alii beneficium quoddam Ecclesiasticum habent, alii nullum.

Dicemus 1°. De Clericorum in genere, 2°. de Beneficiariorum, 3°. de Clericorum qui Religiosam vitam professi sunt officiis.

CAPUT PRIMUM.

De Clericorum in genere Officiis.

EX dictis in Tractatu de Ordine, nemini licet in statum clericalem sese intrudere, vel promoveri ad sacros Ordines, nisi à Deo vocatus fuerit; nisi innocentiam vel constanter retinuerit, vel congruè reparaverit; nisi idoneâ scientiâ instructus sit. De ceteris igitur Clericorum in genere officiis agendum superest. Cùm autem singula sigillatim persequi longiores esset operis, ea solùm attingemus quæ Clericis specialiter prohibentur, vel præcipiuntur.

ARTICULUS PRIMUS.

De iis quæ Clericis specialiter prohibita sunt.

Clericis specialiter prohibentur 1°. venatio, 2°. armorum gestatio, 3°. ludi aleæ, 4°. negotiatio, 5°. popinarum ingressus, 6°. luxus quilibet, 7°. spectacula & choreæ.

De Venatione.

Venationem Clericis passim vetant sacri Canones: *Præcipimus*, inquit Concilium Nannetense

an. 1264, *ut Prælati ſolliciti ſint, & intenti in puniendos Clericos venatores, & præcipuè Presbyteros & Religioſos de quibus majus ſcandalum generatur.* (*Tom.* 11. *Concil. pag.* 827.) Aurelianenſe: *Omnibus ſervis Dei*, (id eſt Clericis) *venationes & ſylvaticas vagationes cum canibus, & per accipitres aut falcones interdicimus.* (*L.* 5. *Decretal. tit.* 24. *pag.* 1762. *Edit. Lugd. an.* 1624.) Eadem Synodus, cujus decretum refertur cap. *Epiſcopum*, ſic prohibet: *Presbyterum aut Diaconum, canes aut accipitres, aut hujuſmodi ad venandum habere non licet: quòd ſi quis talium perſonarum in hac voluptate ſæpiùs detentus fuerit; ſi Epiſcopus eſt, tribus menſibus à communione; ſi Presbyter, duobus; ſi Diaconus, ab omni officio ſuſpendatur.* (*Ibid. pag.* 1761.) Concilium Aquenſe an. 1585 vetat *ne Clerici aut canes accipitreſve alant, aut aliud venaticum animal,.. armave ferant.* (*Tom.* 15. *Concil. pag.* 1147.)

Ne tamen exiſtimes quamlibet omninò venationem Clericis illicitam eſſe. Eam tantùm interdictam voluêre Canones, quæ dicitur *clamoſa*, ſive cum avium, canum, vel armorum ſtrepitu exercetur. Id colligitur 1°. ex ipſis verbis quibus enuntiantur præfata Conciliorum decreta; 2°. ex Gloſſa in cap. *Epiſcopum*, quæ ſic habet: *Clamoſa venatio licita eſt Laicis; ſed Clericis... non licet talis venatio, ſed quieta, cauſâ neceſſitatis, vel recreationis;* (*Decretal. ubi ſuprà.*) 3°. ex Synodo Tridentina quæ, dum præcipit ut Canonici *ab illicitis venationibus abſtineant*, (*Seſſ.* 24. *de Reform. cap.* 12.) tacitè innuit quaſdam venationes non eſſe Clericis prohibitas, eas nimirùm quæ dicuntur *quietæ*, & abſque canum, avium armorumque ſtrepitu fiunt. Sic Clericis licita eſt venatio quæ cum retibus, aliiſve ſimilibus inſtrumentis placidè & tranquillè peragitur; modò tamen nimiùm temporis non abſumat, nec orationi, ſtudio, aliiſve officiis noceat.

Cur clamoſam & turbulentam venationem Clericis interdicerent Canones, multiplex cauſa fuit. 1°. Quia ab ea gravitate aliena eſt, ſine quâ in publicum prodire nunquam debet Clericus. *In omnibus teipſum præbe*, inquit Apoſtolus, *exemplum bonorum operum, in doctrinâ, in integritate, in gravitate.* (*Tit.* 2. 7.) 2°. Quia ex ejuſmodi venatione naſcitur maxima mentis diſtractio & quaſi evagatio; animus autem Clerici ad orationem ſemper promptus expedituſque eſſe debet. 3°. Quia inde fieri ſolet, ut animus quemdam crudelitatis & ferocitatis ſenſum paulatim induat, eamque manſuetudinem & humanitatem ſenſim exuat, quæ propria eſſe debet Clerici indoles. 4°. Quia maximum eſt periculum, ne in canibus venaticis nutriendis adhibeantur Eccleſiæ bona, quæ pauperum ſunt patrimonium.

De Armorum geſtatione, & ludis aleæ.

1°. *Arma ne ſuerant Clerici*, ait Concilium Aquenſe, *niſi itineris longioris cauſâ, atque tamen ea breviora, ac facultate ab Ordinario impetratâ.* (*Tom.* 15. *Concil. pag.* 1147.) Sic etiam jure canonico vetitum eſt: *Quicumque ex Clero eſſe videntur, arma militaria non ſumant, nec armati incedant.* (2. *part. Decret. pag.* 1809. *Edit. Rom. an.* 1582.) Ratio eſt, quòd armorum tractatio eos non deceat, *quibus non competit*, inquit S. Thomas, *effundere ſanguinem, ſed magis eſſe paratos ad propriam ſanguinis effuſionem pro Chriſto.* (2. 2. *quæſt.* 40. *art.* 2. *in corp.*)

2°. De ludis aleæ ſic decernit Concilium Lateranenſe IV: *Clerici ad aleas & taxillos non ludant, nec hujuſmodi ludis interſint.* (*Can.* 16.) Interdictionem hanc renovat Concilium Tridentinum his verbis: *Statuit ſancta Synodus, ut quæ aliàs à Summis Pontificibus, & à ſacris Conciliis, de Clericorum vita,... de alcis, luſibus,... ſu-*

lubriter sancita fuerunt, eadem in posterum iisdem pœnis, vel majoribus, arbitrio Ordinarii imponendis, observentur. (*Sess.* 22. *de Reform. cap.* 1.) Concilium Senonense an. 1528: *A ludo alearum*, inquit, *aliisque qui à sorte pendent, abstineant Clerici, neque ludentium fautores, spectatores, aut testes existant.* (*Tom.* 14. *Concil. pag.* 474.) Mediolanense I sic habet: *Nec solùm Clericos ludere vetamus; sed eos ludorum spectatores esse nolumus.* (*Part.* 2.)

De Negotiatione.

Antequàm Ecclesiasticus quis sit, licet ei negotiari, facto jam non licet. (1. *part. Decret. pag.* 562.) *Secundùm instituta prædecessorum nostrorum*, inquit Alexander III, *sub interminatione anathematis prohibemus, ne Clerici vel Monachi causâ lucri negotientur.* (*Lib.* 3. *Decretal. tit.* 50. *pag.* 1413.) *Negotiationem omnis generis*, ait Concilium Mediolanense I, *omninò Clericis prohibemus.* (*Act. Eccl. Mediol. tom.* 1. *pag.* 19. *cap.* 26.) Cur negotiationem Clericis Ecclesia prohibuerit, multiplex ratio est. Prima, quia in ea exercenda, plurimum occurrit peccati periculum, nempè injustitiæ, mendacii, &c. Unde Canon *Ejiciens* sic observat: *Ejiciens Dominus vendentes & ementes de templo, significavit quia homo mercator vix aut nunquam potest Deo placere.* (*Distinct.* 88.) Secunda, quia animum à Deo rerumque spiritualium meditatione avocat & distrahit, ac proindè eos dedecet qui Deo specialiter sese consecrârunt. *Nemo*, inquit Apostolus, *militans Deo, implicat se negotiis sæcularibus.* (2. *Tim.* 2. 4.) Tertia, *quia negotiatio est ordinata ad lucrum terrenum*, ait S. Thomas, *cujus Clerici debent esse contemptores.* (2. 2. *quæst.* 77. *art.* 4. *ad* 3.)

Observandum est autem negotiatores non esse 1°. Clericos qui proprios colunt agros ut fructus

vendant: unicuique enim licitum est fructus ex agro suo provenientes justo pretio vendere, ut inde vitæ necessaria sibi comparet: sed prædia aliena, ut ex iis lucrum percipiatur, conducere vetat Concilium Chalcedonense; (*Can.* 3.) 2°. nec Clericos qui res quaspiam, cùm datur earum copia, vili pretio emunt, ut ipsas, cùm ingruerit penuria, eodem pretio cognatis, amicis, vel pauperibus vendant: tunc enim nec avaritiâ, nec lucri cupiditate ducuntur; 3°. nec Clericos qui artem aliquam honestam, à suaque professione minimè alienam exercent, ut sua opera vendentes, vel sibi, vel proximo necessaria subministrent; sic Paulus Apostolus tentoria propriis manibus factitabat, ut iis non esset oneri quibus Evangelium prædicabat; sic quondam viri solitarii canistra juncis aut viminibus texebant, ut ex horum pretio viverent & pauperes sublevarent.

De Popinarum ingressu & Luxu.

1°. Ne Clerici popinas citra necessitatem ingrediantur, innumeris vetitum est Conciliorum decretis. *Non oportet Clericos, etiam Ostiarios, ... in cauponam ingredi*, ait Concilium Laodicenum an. 320. (*Tom.* 1. *Concil. pag.* 1502.) Idem prohibet Lateranense IV his verbis: *Clerici tabernas prorsùs evitent, nisi fortè causâ necessitatis in itinere constituti.* (*Tom.* 11. *Concil. pag.* 169.) Ita etiam se habet Mediolanense I: *Cauponarum aditu & usu Clericis omninò interdicimus, nisi in itinere necessitatis causâ.* (*Tom.* 1. *part.* 2. *cap.* 26. *pag.* 18. *Edit. Lugd.*) Alia prætermittimus Conciliorum decreta, & innumera Episcoporum statuta quæ pœnam suspensionis denuntiant Clericis, qui citra necessitatem tabernas ingressi fuerint.

2°. Clericis interdictum est quodlibet luxûs genus. Sic enim jubet Concilium Carthaginense IV: *Episcopus* (ac proindè Clerici inferiores) *vilem*

ſupellectilem, & menſam ac victum pauperem habeat. (*Tom.* 2. *Concil. pag.* 1201.) Nicænum II, *Omnis jactantia*, inquit, *& ornatura corporalis aliena eſt à ſacrato Ordine; Epiſcopo ergo vel Clericos qui ſe fulgidis & claris veſtibus exornant, emendari oportet.* (*Tom.* 7. *Concil. pag.* 610.) Meminerint Clerici ſe Chriſti Miniſtros eſſe, qui paupertatem & verbis & exemplis profeſſus eſt. *Propter vos*, ait Apoſtolus, *egenus factus eſt, cùm eſſet dives, ut illius inopiâ vos divites eſſetis.* (2. *Cor.* 8. 9.)

De Spectaculis & Choreis.

Ludos ſcenicos & choreas, quales fieri ſolent, refugere debent Clerici; cùm enim innocentiæ, bonisque moribus maximè periculoſa ſint, ea Canones ab omnibus Chriſtianis vitari jubent ut alibi oſtendimus; ſed ne iis intereſſent, Clericis ſpeciatim vetant innumera Conciliorum decreta. *Clerici*, ait Mediolanenſe I, *choreas privatas aut publicas non agent, nec ſpectabunt; fabulis, comœdiis . . . aliiſve profanis & inanibus ſpectaculis non intererunt, ne aures & oculi ſacris officiis addicti, ludicris & impuris actionibus ſermonibuſque diſtracti polluantur.* (*Tom.* 1. *act. Mediol. part.* 2. *tit.* 15. *pag.* 18.) Burdigalenſe an. 1583, *Clerici*, . . . inquit, *neque comœdias, fabulas, choreas, vel quid aliud ludicrum, ex iis quæ ab hiſtrionibus exhibentur, agant vel ſpectent, ne viſus & obtutus ſacris myſteriis dicati, turpium ſpectaculorum contagione polluantur.* (*Tom.* 15. *Concil. pag.* 966.) Narbonenſe an. 1609 ſtatuit ut Clerici *contra agentes, pœnâ carceris, & aliâ ad arbitrium Ordinarii comprimantur.* (*Ibid. pag.* 1616.)

Articulus II.

De iis quæ Clericis ſpecialiter præcipiuntur.

1°. Jubentur Clerici capillitium breve gerere. *Clericus*, ait Concilium Carthaginenſe IV, *neque comam nutriat, neque barbam.* (*Can.* 44.) *Si quis ex Clericis comam relaxaverit, anathema ſit.* (*Lib.* 3. *Decretal. tit.* 1. *cap.* 4. *pag.* 992.) *Clerici qui comam nutriant, . . . etiam inviti, à ſuis Archidiaconis tondeantur.* (*Ibid.*) Concilium Mediolanenſe I, *Clerici*, inquit, *comam ne ſtudiosè nutriant: capillis ſimplicem cultum adhibeant.* (*Act. Eccleſ. Mediol. tom.* 1. *part.* 2. *cap.* 23. *pag.* 17.) Graviter igitur contra Canones peccant Clerici, qui mulierculis ſimiles, comas oſtentant criſpatas, cincinnatas, odorato pulvere conſperſas, & quos, ait Hieronymus, *ſponſos dicas, non Clericos.*

2°. Clericis, præſertim Ordine ſacro initiatis, præceptum eſt ut tonſuram ferant Ordini ſuo congruentem. *Clerici*, inquit Concilium Lateranenſe IV, *coronam & tonſuram habeant congruentem.* (*Tom.* 11. *Concil. pag.* 169.) Concilium Mediolanenſe I ſic jubet: *Presbyteri, Diaconi, Subdiaconi, ceterique Clerici, clericali tonſurâ ſint inſigniti, ad eam formam quam ratio uniuſcujuſque Ordinis, Epiſcopi arbitrio poſtulabit.* (*Tom.* 1. *act. Eccleſ. Mediol. part.* 2. *cap.* 23. *pag.* 17.)

3°. Clerici, & maximè qui Ordinem ſacrum vel beneficium habent, ſub gravi peccato tenentur habitum clericalem deferre, niſi eos legitima cauſa excuſet. *Clerici*, inquit Concilium Lateranenſe IV, *clauſa deferant deſuper indumenta, nimiâ brevitate, vel longitudine non notanda.* (*Can.* 16. *tom.* 11. *Concil. pag.* 169.) Tridentinum ita conſtituit: *Omnes Eccleſiaſticæ perſonæ . . . quæ aut in ſacris*

fuerint, aut... beneficia qualiacumque Ecclesiastica obtinuerint; si postquàm ab Episcopo suo, etiam per edictum publicum, moniti fuerint, honestum habitum clericalem illorum Ordini & dignitati congruentem, & juxta ipsius Episcopi... mandatum, non detulerint, per suspensionem ab Ordinibus, ac officio & beneficio, ac fructibus... ipsorum beneficiorum; nec-non si semel correpti, denuò in hoc deliquerint, etiam per privationem officiorum & beneficiorum coerceri possint & debeant. (*Sess.* 14. *de reform. cap.* 6.) Porrò tantæ pœnæ nonnisi propter grave peccatum imponuntur.

Sixtus V in Bulla quæ incipit, *Cùm sacro-sanctam*, Clericis qui solâ tonsurâ donati, habent *beneficia qualiacumque, etiam simplicia, aut etiam pensiones*, præcipit *ut habitum clericalem, vestes scilicèt talares,... assumant & jugiter deferant.* (*Tom.* 2. *Bullar. Rom. pag.* 658. *Edit. Lugd. an.* 1655.)

Dixi autem, *nisi legitima causa eos excuset.* Quæ duplex esse potest, nempe 1°. necessitas suum statum celandi, ut iis accidit qui apud Hæreticos fidem catholicam clanculùm infinuant: 2°. iter faciendum: *In itinere*, inquit Concilium Aquense an. 1585, *breviores vestes permittimus.* (*Tom.* 15. *Concil. pag.* 1147.) Eamdem licentiam facit Synodus Mediolanensis II sub S. Carolo, modò tamen Clerici peregrinantes eo utantur habitu, *ex quo eos esse Ecclesiastici Ordinis homines cognosci possit.*

4°. Beneficiarii & Clerici quicumque in sacris Ordinibus constituti, ad officii divini recitationem astringuntur, ut ostendemus in Tractatu de virtute Religionis.

5°. Mulierum familiaritatem vitare debent Clerici, nec apud se suspectas retinere, quocumque in gradu consanguineæ sint; tùm quia maximo sese exponerent periculo castitatem, quæ in Clericis summa esse debet, temerandi; tùm quia pravam de se suspicionem injicerent, & Laicis

grande scandalum præberent. Hinc illud Concilii Nicæni I Decretum: *Plenissimè vetuit magna Synodus, Episcopum... aut ullum Clericorum habere secum subintroductam mulierem, nisi fortè matrem, vel sororem, vel amitam, vel denique eas solas personas quæ omni suspicione carere solent.* (*Tom.* 1. *Concil. pag.* 238.)

Hinc Concilium Moguntinum an. 813 sic declarat: *Inhibendum est ut nullus Sacerdos fœminas de quibus suspicio esse potest, retineat; sed neque illas quas Canones concedunt, matrem, sororem, amitam.* Hinc Synodus Aquensis an. 1585, eas tantùm ancillas habere permittit, *quæ annum quinquagesimum ætatis exegerint, & vitam non suspectam duxerint.* (*Tom.* 15. *Concil. pag.* 1148.) Sibi dictum putet quisque Clericus, quod Nepotiano scribit Hieronymus: *Neque in præterita castitate confidas; nec sanctior Davide, nec Salomone potes esse sapientior.* (*Tom.* 4. *Epist.* 34. *pag.* 260.) Plerisque in diœcesibus Clericis vetitum est, ne ancillas habeant quæ annum quadragesimum non attigerint.

CAPUT II.

De Officiis Beneficiariorum.

TRIA potissimùm sunt Beneficiariorum officia; primùm, ut unum duntaxat beneficium possideant, si ad honestum victum sufficiat; secundum, ut in beneficii loco resideant; tertium, ut ejusdem fructibus legitimè utantur. Quod spectat ad primum, exponemus in Tractatu de Beneficiis: nunc supereſt ut de aliis differamus.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

fuerint, aut... beneficia qualiacumque Ecclesiastica obtinuerint; si postquàm ab Episcopo suo, etiam per edictum publicum, moniti fuerint, honestum habitum clericalem illorum Ordini & dignitati congruentem, & juxta ipsius Episcopi... mandatum, non detulerint, per suspensionem ab Ordinibus, ac officio & beneficio, ac fructibus... ipsorum beneficiorum; nec-non si semel correpti, denuò in hoc deliquerint, etiam per privationem officiorum & beneficiorum coerceri possint & debeant. (*Sess.* 14. *de reform. cap.* 6.) Porrò tantæ pœnæ nonnisi propter grave peccatum imponuntur.

Sixtus V in Bulla quæ incipit, *Cùm sacro-sanctam*, Clericis qui solâ tonsurâ donati, habent *beneficia qualiacumque, etiam simplicia, aut etiam pensiones*, præcipit *ut habitum clericalem, vestes scilicèt talares,... assumant & jugiter deferant.* (*Tom.* 2. *Bullar. Rom. pag.* 658. *Edit. Lugd. an.* 1655.)

Dixi autem, *nisi legitima causa eos excuset.* Quæ duplex esse potest, nempe 1°. necessitas suum statum celandi, ut iis accidit qui apud Hæreticos fidem catholicam clanculùm infinuant: 2°. iter faciendum: *In itinere*, inquit Concilium Aquense an. 1585, *breviores vestes permittimus.* (*Tom.* 15. *Concil. pag.* 1147.) Eamdem licentiam facit Synodus Mediolanensis II sub S. Carolo, modò tamen Clerici peregrinantes eo utantur habitu, *ex quo eos esse Ecclesiastici Ordinis homines cognosci possit.*

4°. Beneficiarii & Clerici quicumque in sacris Ordinibus constituti, ad officii divini recitationem astringuntur, ut ostendemus in Tractatu de virtute Religionis.

5°. Mulierum familiaritatem vitare debent Clerici, nec apud se suspectas retinere, quocumque in gradu consanguineæ sint; tùm quia maximo sese exponerent periculo castitatem, quæ in Clericis summa esse debet, temerandi; tùm quia pravam de se suspicionem injicerent, & Laicis

grande scandalum præberent. Hinc illud Concilii Nicæni I Decretum: *Plenissimè vetuit magna Synodus, Episcopum... aut ullum Clericorum habere secum subintroductam mulierem, nisi fortè matrem, vel sororem, vel amitam, vel denique eas solas personas quæ omni suspicione carere solent.* (*Tom.* 1. *Concil. pag.* 238.)

Hinc Concilium Moguntinum an. 813 sic declarat: *Inhibendum est ut nullus Sacerdos fœminas de quibus suspicio esse potest, retineat; sed neque illas quas Canones concedunt, matrem, sororem, amitam.* Hinc Synodus Aquensis an. 1585, eas tantùm ancillas habere permittit, *quæ annum quinquagesimum ætatis exegerint, & vitam non suspectam duxerint.* (*Tom.* 15. *Concil. pag.* 1148.) Sibi dictum putet quisque Clericus, quod Nepotiano scribit Hieronymus: *Neque in præterita castitate confidas; nec sanctior Davide, nec Salomone potes esse sapientior.* (*Tom.* 4. *Epist.* 34. *pag.* 260.) Plerisque in diœcesibus Clericis vetitum est, ne ancillas habeant quæ annum quadragesimum non attigerint.

CAPUT II.

De Officiis Beneficiariorum.

TRIA potissimùm sunt Beneficiariorum officia; primùm, ut unum duntaxat beneficium possideant, si ad honestum victum sufficiat; secundum, ut in beneficii loco resideant; tertium, ut ejusdem fructibus legitimè utantur. Quod spectat ad primum, exponemus in Tractatu de Beneficiis: nunc supereſt ut de aliis differamus.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

ARTICULUS PRIMUS.

De assidua in loco beneficii Pastoris præsentia.

Residere hic nihil aliud est, quàm in loco ubi situm est beneficium commorari, & muneribus ecclesiasticis quæ beneficio illigantur, defungi: neque enim ibi agitur de præsentia quæ sit iners & otiosa.

PROPOSITIO.

Beneficiarii omnes quibus incumbit animarum cura, tenentur jure tùm naturali, tùm divino, tùm ecclesiastico & civili, suis in beneficiis residere.

Probatur prima pars. Beneficiarii quibus incumbit animarum cura, passim in Scripturis dicuntur *Pastores, Magistri, Doctores & Duces* populorum: atqui præcipit ratio naturalis 1°. ut Pastor gregem suum ex cujus lacte nutritur, pascat, à lupis defendat, ipsiusque morbis & vulneribus occurrat, & medeatur; 2°. ut Doctores iis erudiendis assiduam dent operam, quorum constituti sunt Magistri; 3°. ut Duces suis militibus præeant, eos ducant, suisque hortationibus & exemplis ad strenuè dimicandum excitent: hæc autem varia Pastoris, Doctoris & Ducis officia implere non potest Beneficiarius, nisi inter populos sibi commissos resideat; ergo, &c.

Prætereà inter Beneficiarium & Ecclesiam sibi creditam intercedit matrimonium quoddam spirituale: atqui vetat jus naturale ne conjux à conjuge sua recedat, cum inde in eam plurimùm damni redundaturum noverit. Docet autem frequentior experientia, quàm grave detrimentum à Pastorum absentiâ patiantur Ecclesiæ.

Tandem qui stipendium eâ lege accipit ut, quantum poterit, à proximo mala depellat, id nisi fecerit, justitiæ ac proindè juris naturalis violator est: atqui Clerici fructus beneficiorum, tanquam stipendium, eâ lege percipiunt, ut à populis sibi commissis mala, quantùm possunt, avertant; à gregibus autem suis si abfuerint, innumeris malis dant locum, nedùm ea propulsent; ergo tunc contra justitiam jusque naturale graviter peccant.

Prob. secunda pars. Sic præcipit divina Lex: *Diligenter agnosce vultum pecoris tui, tuosque greges considera.* (*Proverb.* 27. 23.) Malos Pastores sic Deus increpat: *Væ Pastoribus Israël qui pascebant semetipsos! Nonne greges à pastoribus pascuntur? Lac comedebatis & lanis operiebamini,.. gregem autem meum non pascebatis. Quod infirmum fuit non consolidastis, & quod ægrotum non sanastis, quod confractum est non alligastis, . . . & quod perierat non quæsistis .... Ecce ego ipse super pastores requiram gregem meum de manu eorum.* (*Ezech.* 34. *v.* 2. & *seq.*)

Christus verum Pastorem describens, *Bonus Pastor*, inquit, *vitam suam dat pro ovibus suis; mercenarius autem & qui non est pastor, cujus non sunt oves propriæ, videt lupum venientem, & dimittit oves & fugit.* De vero pastore jam dixerat: *Oves vocem ejus audiunt, & proprias oves vocat nominatim, & educit eas;... ante eas vadit, & oves illum sequuntur.* (*Joan.* 10. *v.* 3. & *seq.*)

Itaque ea sunt, teste Deo, veri Pastoris officia, ut gregem suum probè cognoscat; ut eum pascat, verbo scilicèt divino & Sacramentis; ut oves suas à lupis defendat; ut infirmas reficiat, ægrotantes sanet, vulnere confractas curet: atqui hæc omnia ab iis Pastoribus præstari nequeunt, qui greges suos mercenariorum more deserunt; ergo jubet Deus Pastores à populis sibi commissis non abesse, ac proindè apud eos residere jure divino tenentur.

Prob. tertia pars, nempè eamdem legem iis impositam esse jure tùm ecclesiastico, tùm civili,

De jure ecclesiastico compertum est ex toto Titulo *de Clericis non residentibus. (Decretal. lib. 3. tit. 4. pag. 1014.)* Antiquos eâ de re Canones sic renovavit Concilium Tridentinum: *Declarat sancta Synodus omnes, ... etiamsi sacræ Romanæ Ecclesiæ Cardinales sint, obligari ad personalem in suâ Ecclesiâ vel diœcesi residentiam, ubi injuncto sibi officio defungi teneantur, neque abesse posse, nisi ex causis infrà scriptis, &c. (Sess. 23. de Reform. cap. 1.)* Idem jure civili sancitùm esse constat edictis Blesensi & Aurelianensi, in quorum posteriori sic jubet Carolus IX an. 1560: *Résideront tous Archevêques, Evêques, Abbés & Curés, & fera chacun d'eux en personne son devoir en sa charge, à peine de saisie du temporel de leurs bénéfices. (La grande confér. des Ordonn. & Edits Roy. tom. 1. liv. 1. tit. 3. part. 2. pag. 40. Paris, 1678.)*

Notandum quædam etiam esse beneficia quæ residendi officium important, propter nonnullas functiones ipsis alligatas, quamvis animarum curam sibi adjunctam non habeant. Hujusmodi sunt dignitates, Præbendæ Ecclesiarum Cathedralium & Collegiatarum. Qui enim eas obtinent, tenentur in beneficii loco residere, & divinis Officiis interesse; alioquin horum beneficiorum fructus suos facere non possunt.

Quæres 1°. quænam causæ à residendi lege eximant.

Resp. quatuor à Concilio Tridentino assignari causas, propter quas abesse liceat Pastoribus: *modò meminerint discessuri, ita ovibus suis providendum, ut, quantùm fieri poterit, ex ipsorum absentia nullum damnum accipiant. (Ibid.)*

Prima est *caritas* quæ Pastori licitam facit à grege suo ad tempus absentiam, ut aliis Ecclesiis periclitantibus succurrat; ut Magnatum discordias, vel aliquam maximi momenti litem componat; ut familiæ dissidiis agitatæ pacem & concordiam

cordiam restituat; vel ut aliud opus bonorum ex Episcopi licentiâ perficiat.

Secunda est *urgens necessitas*, ut si Beneficiarius residendo in vitæ periculum incurreret, vel propter morbum qui in sui beneficii loco sanari non potest; vel propter privatam tyranni aut alicujus hostis in eum desævientis vexationem; sic enim monet Christus: *Cùm persequentur vos in civitate ista, fugite in aliam; (Matth. 10. 23.)* modò tamen ex Pastoris absentiâ grave aliquod detrimentum propriæ Ecclesiæ non immineat. *In qualibet obligatione*, inquit S. Thomas, *attendi debet obligationis finis. Obligant autem se Episcopi ad exquendum pastorale officium propter subditorum salutem; & ideò, ubi subditorum salus exigit personæ Pastoris præsentiam, non debet Pastor personaliter suum gregem deserere, neque propter aliquod commodum temporale, neque etiam propter aliquod personale periculum imminens, cùm bonus Pastor animam suam ponere teneatur pro ovibus suis. (2. 2. quæst. 185. art. 5. in corp.)*

Tertia est justa obedientia. Quapropter citra culpam à suo grege aberit Pastor, quem Superior ad aliud opus Ecclesiasticum accersivit.

Quarta evidens Ecclesiæ vel Reipublicæ utilitas. Quam ob causam legitimè absunt Episcopi, qui Conciliis generalibus aut provincialibus, vel Cleri Gallicani Comitiis interfunt; vel qui pro tractandis Regis vel Regni negotiis apud exteros Principes legatione sibi commissâ funguntur.

Quæres 2°. quid circa Episcoporum absentiam statuerit Concilium Tridentinum.

Resp. à Sacra Synodo sic esse constitutum: *Quoniam autem qui aliquantisper tantùm absunt, ex veterum Canonum sententiâ non videntur abesse, quia statim reversuri sunt, sacro-sancta Synodus vult illud absentiæ spatium singulis annis, sive continuum, sive interruptum, extra prædictas causas,*

(quas suprà expositimus) *nullo pacto debere duos, aut ad summum tres menses excedere, & haberi rationem ut id æqua ex causa fiat, & absque ullo gregis detrimento; ... eosdem interim admonet & in Domino hortatur ne per illius temporis spatium, Dominici Adventûs, Quadragesimæ, Nativitatis, Resurrectionis Domini, Pentecostes item, & corporis Christi diebus, ... ipsi ab Ecclesia sua Cathedrali ullo pacto absint, nisi Episcopalia munia in sua diœcesi eos aliò vocent.*

Si quis autem .... contra hujus decreti dispositionem abfuerit, statuit sacro-sancta Synodus, præter ..., mortalis peccati reatum quem incurrit, eum pro rata temporis absentia, fructus suos non facere, nec tutâ conscientiâ, aliâ etiam declaratione non secutâ, illos sibi detinere posse; sed teneri ... illos Fabricæ Ecclesiarum aut pauperibus loci erogare. (*Sess.* 23. *de Reform. cap.* 1.)

Quæres 3°. quid eadem Synodus de eorum absentia decreverit, qui beneficium adjunctam habens animarum curam possident.

Resp. sanctam Synodum ibidem decernere, *ut quandocumque eos, causâ prius per Episcopum cognitâ & probatâ, abesse contigerit, Vicarium idoneum ab ipso Ordinario approbandum, cum debitâ mercedis assignatione relinquant; discedendi autem licentiam in scriptis gratisque concedendam ultra bimestre tempus, nisi ex gravi causa, non obtineant. Quòd si per edictum citati .... contumaces fuerint, liberum esse vult Ordinariis, per censuras ecclesiasticas, & sequestrationem, & substractionem fructuum aliaque juris remedia, etiam usque ad privationem, compellere.* (*Ibid.*)

Quæres 4°. quanti temporis absentiam Canonicis concesserit eadem Synodus Tridentina.

Resp. ab ea ita sancitum esse: *Obtinentibus in Cathedralibus aut Collegiatis dignitates, Canonicatus, Præbendas ... non liceat vigore cujuslibet*

statuti aut consuetudinis, ultra tres menses ab iisdem Ecclesiis quolibet anno abesse, salvis nihilominùs earum Ecclesiarum constitutionibus, quæ longius servitii tempus requirunt. Alioquin primo anno privetur unusquisque dimidiâ patre fructuum, quos ratione etiam Præbendæ ac residentiæ fecit suos. Quòd si iterum eâdem usus fuerit negligentiâ, privetur omnibus fructibus quos eodem anno lucratus fuerit; crescente verò contumaciâ, contra eos juxta sacrorum Canonum constitutiones procedatur. (*Sess.* 24. *de Reform. cap.* 12.)

ARTICULUS II.

De legitimo fructuum beneficii usu.

Ex unanimi Patrum ac Theologorum, tùm veterum, tùm recentiorum consensu, certum est beneficiorum fructus honesto victui superfluos, in pios usus esse impendendos; gravissimèque eos peccare, qui bona ecclesiastica in usus profanos dilapidant, aut parentibus suis & amicis affectu carnali distribuunt. Sed controvertitur utrùm Clerici ex caritate solùm teneantur, quidquid sibi superfluum est piis operibus consecrare, an verò ex justitia; ita ut non sint redituum merè ecclesiasticorum domini. Si teneantur ex justitia, restitutioni subjacent, quando bonis ecclesiasticis malè utuntur; secùs verò, si ex caritate tantùm. Hæc quæstio ut dirimatur, sit

PROPOSITIO I.

Beneficiarii redituum merè ecclesiasticorum non sunt domini, ex justitiaque tenentur quidquid ex iis superflui habent, pauperibus erogare, vel pios in usus impendere.

Probatur. Ea doctrina procul dubio tenenda est,

quæ nititur Ecclesiæ decretis, Patrum oraculis, & veterum Canonistarum autoritate: atqui doctrina quam defendimus nititur, &c.

1°. Quidem Ecclesiæ decretis: *Res Ecclesiæ*, inquit antiquus Canon, quem sub Urbani nomine refert Gratianus, *non quasi propriæ, sed ut communes & Deo oblatæ, cum summo timore, non in alios quàm pios usus sunt fideliter dispensandæ.* (2. *part. decret. caus.* 12. *quæst.* 1. *can.* 26. *pag.* 1304.) Id ipsum repetit Concilium Parisiense VI an. 829. (*Tom.* 7. *Concil. pag.* 1613.) Atqui si rerum ecclesiasticarum domini essent Clerici, easque non deberent ex justitia pios in usus impendere, possent illas in alios usus, tanquam res proprias, convertere; ergo earum non sunt domini, sed dispensatores tantùm. Id expressus verbis declarat Jus Canonicum: *Episcopus & Prælatus ecclesiasticarum rerum est procurator, non dominus:* (*Decretal. lib.* 3. *tit.* 24. *cap.* 2. *pag.* 1156.) ergo 1°. &c.

2°. Sententia quam propugnamus Patrum oraculis est consentanea S. Hieronymus hæc habet: *Rapina pauperum in domibus* (Sacerdotum) *quando replent thesauros suos, & Ecclesiæ opibus abuntur in delicias, publicasque stipes quæ ad sustentationem pauperum datæ sunt, vel sibi reservant, vel propinquis distribuunt, & alienam inopiam, suas suorumque faciunt esse divitias.* (*In cap.* 3. *Isa. tom.* 3. *pag.* 40.)

S. Bernardus hæc Evangelii verba: *Ecce nos reliquimus omnia*, exponens: *Res pauperum*, inquit, *non pauperibus dare, par sacrilegio crimen esse dignoscitur: sanè patrimonia pauperum, facultates Ecclesiarum, & sacrilegâ eis crudelitate surripitur quidquid sibi Ministri & Dispensatores, non utique domini, ... ultra victum accipiunt & vestitum.* (*Tom.* 2. *pag.* 293. *edit. BB.*)

S. Thomas: *Principes non dederunt divitias Prælatis propter se, sed propter pauperes; & ideò non dederunt eis, sed pauperibus; Prælatis autem*

dantur, tanquam pauperum Dispensatoribus. (*In cap.* 12. 2. *Ep. ad Cor. lect.* 5.)

Ex iis verò testimoniis sequitur istud argumentum: Illorum bonorum Clerici non sunt domini, eaque ex justitia debent in pios usus conferre, quorum Dispensatores tantummodò sunt, quæ pro sublevando paupere iis committuntur, quæ pauperum sunt patrimonia, & quorum usus ultrà necessarium victum & simplicem vestitum, rapina est & sacrilegium: atqui hujusmodi esse bona Ecclesiæ docent SS. Patres; ergo 2°. sententiæ quam defendimus, &c.

3°. Nititur veterum Canonistarum autoritate. S. Raymundus qui sæculo XIII, Decretales jussu Gregorii IX collegit, de iis qui bona ecclesiastica in locupletandis consanguineis vel in aliâ re illicitâ consumunt, sic pronuntiat: *Tales Prælatos & Clericos, qui talibus conferunt bona ecclesiastica pauperibus debita, dico esse raptores, & per consequens teneri ad restitutionem omnium.* (*Summ. Lib.* 2. *tit.* 5. *sect.* 6. *pag.* 163. *Edit. Paris.* 1720.)

S. Antoninus asserit, *quidquid Clerici habent, pauperum esse;* unde concludit Clericos qui beneficiorum reditus honesto victui superfluos, in alios quàm pios usus impendunt, *teneri ad restitutionem omnium pauperibus, vel in utilitatem Ecclesiæ.* (*Tom.* 3. *tit.* 13. *cap.* 3. *sect.* 6. *pag.* 184. *edit. Venet.* 1682.) Panormitanus ita censet de Clericis qui beneficiorum fructibus malè usi sunt: *Si haberent patrimonium, tenerentur de suo reddere Ecclesiæ quod malè expenderunt.* (*In cap. Cum secundum, Extrav. de Præbendis.*)

Unde conficitur istud argumentum: Qui rei alicujus verus est dominus, restitutioni non est obnoxius, si eam malè dissipaverit: atqui, juxta Canonistas, Clericus qui beneficii sui fructus in malos usus detorquet, restituere tenetur; ergo verus non est eorum dominus.

Solvuntur objecta.

Objicies 1°. Ecclesiæ bona quorum dispensatio per quatuor priora sæcula Episcopis commissa fuerat, ineunte sæculo V, in quatuor partes divisa sunt; scilicèt Episcopis pars propria, Ministris inferioribus pars altera, tertia Fabricis, & quarta pauperibus assignata est: atqui per divisionem hanc in Beneficiarios translatum est bonorum ecclesiasticorum dominium; ergo eorum veri sunt domini.

Resp. 1°. Transeat major. Factum enim aliquando esse prædictam divisionem non constat; imo eam fictitiam esse ex eo suadetur, quòd nihil pauperibus concessum videamus: quòd si publicæ domus (gallicè *Hôpitaux*) pauperibus alicubi fuerint erectæ, non ex reditibus ecclesiasticis, verùm ex pia fidelium liberalitate dotatæ fuerunt, ut patet ex earum fundatione. Insuper omnia Consilia à V sæculo celebrata si revolvas, nullum præter Beneficiarios reperias institutum fuisse œconomum, sive dispensatorem portionis pauperum. Omnia Concilia tùm antiqua, tùm recentiora solis Episcopis & Beneficiariis pauperum curam, tanquàm ipsorum patribus, committunt; his solis vetant ne pauperum patrimoniis diteſcant, ne ea in vanos usus aut consanguineorum non indigentium utilitatem impendant: quod sanè maximo argumento, non aliam pauperibus, quàm bona beneficiariorum, portionem fuisse destinatam.

Resp. 2°. Neg. min. Esto enim facta fuerit præfata bonorum ecclesiasticorum divisio, hæc certè in eorumdem naturam nihil mutationis invexit: atqui ante prædictam divisionem, fructus honesto Clericorum victui superstites, ad eos non pertinebant, sed ad pauperes; ergo nunc idem censendum est, si quidem novum jus in illos reditus à Clericis non acquisitum est. Prætereà partes divisæ retinent naturam totius quod divisum est:

atqui ante divisionem Clerici verum non habebant dominium in totum; ergo nec posteà in partes divisas.

Obj. 2°. Valent testamenta quibus Beneficiarii suis consanguineis, vel aliis, etiam divitibus, ecclesiasticos reditus relinquunt; ergo in eos verum habent dominium.

Resp. Dist. ant. Valent in foro exteriori, conc. in foro interiori, neg.

Eas donationes non rejicit quidem forum exterius, ut scilicèt occurrat innumeris litibus, quibus locum daret difficultas bona quæ ex reditibus ecclesiasticis proveniunt, ab eis discernendi quæ vel industriâ, vel hæreditate, vel aliis modis potuerunt à Clericis comparari; sed hujusmodi donationes divitibus factæ non valent in foro interiori: ea quippè est bonorum ecclesiasticorum natura, ut nonnisi in pauperum subsidia, aliosve pios usus conferri licitè possint. *Ubi primum Ecclesiæ bona esse cœperunt*, inquit Concilium Mediolanense I sub S. Carolo, *eam naturam & conditionem consecuta sunt, ut in alium quàm pium usum converti nefas esset.* (*Tom.* 1. *act. Eccles. Mediol. tit.* 63. *pag.* 34.)

Prætereà, si testamenta de quibus agitur in foro interiori firma essent, quidquid boni ecclesiastici sibi obtigisset, tutâ conscientiâ retinere possent Beneficiariorum hæredes, etiam divites: atqui tamen aliter statuunt sacri Canones. Sic, v. g. pronuntiat præfata Synodus Mediolanensis: *Noverint ii ad quos scientes hujusmodi fructus .... quovis nomine pervenerint, se eâdem restitutionis lege teneri* quâ scilicèt Clerici *qui beneficiorum fructus, vel ad alios transferre aust fuerint, vel in quem debent usum non impenderint.* (*Ibid.*)

Obj. 3°. Concilium Tridentinum apertè declarat, Clericos à suis Ecclesiis absentes, & munus suum non obeuntes, beneficii fructuum *dominium non acquirere*, nec *facere fructus suos*; (*Sess.* 22.

cap. 3. & *seſſ.* 23. *de reform. cap.* 1.) ergo dum reſident, ſuiſque funguntur officiis, tunc *dominium* acquirunt & fructus *ſuos* faciunt.

Reſp. Diſt. conſeq. Dominium acquirunt impropriè dictum, conc. propriè dictum, neg.

Ex præfatis Concilii verbis colligi quidem poteſt, Clericis qui reſident, & munera ſuis illigatæ beneficiis obeunt, competere dominium quoddam impropriè dictum in reditus eccleſiaſticos; id eſt, eos jus obtinere ex ſuorum beneficiorum fructibus vivendi: minimè verò ſignificare voluit ſancta Synodus, hujuſmodi Clericos ſibi poſſe dominium propriè dictum & abſolutum vindicare in bona eccleſiaſtica, ita ut iis pro ſuo arbitrio uti valeant. *Clericus*, inquit Panormitanus, *recipiendo fructus ſui beneficii, dicitur illos facere ſuos, quoad hoc quòd ſibi provideat primò, de ſuperfluis impendat in uſus pios; non autem ut de illis poſſit pro libito voluntatis facere.*

Præterea, ſi Clericis reſidentibus, ſuaque munia diligenter implentibus concederetur verum & propriè dictum in beneficii fructus dominium, eos poſſent ſuis conſanguineis, etiam divitibus, donare: atqui tamen id vetant Patres Tridentini his verbis: *Omninò eis interdicit ſancta Synodus, ne ex reditibus Eccleſiæ conſanguineos, familiares ſive ſuos augere ſtudeant.* (*Seſſ.* 25. *de reform. cap.* 1.) Pugnantia igitur Patribus Tridentinis aſſingeret, qui objecta ipſius verba de dominio propriè dicto interpretaretur.

Propositio II.

Clerici quibus ad honeſtam ſuſtentationem ſatis eſt patrimonii, non poſſunt ex bonis eccleſiaſticis victum percipere.

Prob. 1°. Ex priori propoſitione tenentur Clerici vel pauperibus erogare, vel pios in uſus impendere quidquid ex bonis Eccleſiæ ſibi eſt ſuperfluum: atqui omnes reditus eccleſiaſtici iis Clericis ſunt ſuperflui, quibus ad honeſtam ſuſtentationem ſatis eſt patrimonii; ergo, &c.

Prob. 2°. ex Canonibus Eccleſiæ. Sic Canon (*n.* 41.) inter eos qui Apoſtolici dicuntur, Epiſcopo, ex reditibus Eccleſiæ aliquid ſibi aſſumere, eâ tantùm conditione permittit, ut iis reverâ ad honeſtum victum indigeat: *Præcipimus*, inquit, *ut in poteſtate ſua Epiſcopus Eccleſiæ res habeat; ... ex iis autem quibus indiget, ſi tamen indiget, ad ſuas neceſſitates.... ipſe percipiat.* (*Tom.* 1. *Concil. pag.* 52.) Idem ſtatuit Synodus Antiochena medio IV ſæculo celebrata. *Ipſe autem* (Epiſcopus) *percipere atque uti debet quibus indiget, ſi tamen indiget, ad ſuas neceſſarias expenſas.* (*Tom.* 2. *Concil. pag.* 588.) Porrò Clerici non poſſunt ex bonis Eccleſiæ vivere, niſi eâ conditione quæ à ſacris Canonibus requiritur: atqui per ſacros Canones eâ tantùm lege Clericis licet ex bonis eccleſiaſticis vivere, ut iis verè indigeant: quod ſanè de iis dici non poteſt, quibus ad honeſtè vivendum ſatis eſt patrimonii; ergo, &c.

Prob. 2°. ex Patribus. S. Auguſtinus de bonis eccleſiaſticis ſic loquitur: *Si pauperum compauperes ſumus, & noſtra ſunt, & illorum; ſi autem privatim quæ nobis ſufficiunt poſſidemus, non ſunt illa noſtra, ſed pauperum.* (*Epiſt.* 185. *tom.* 2. *cap.* 9. *n.* 35. *pag.* 657.) Itaque Clericis non licet ad ſuum victum iis bonis uti quæ non ſua ſunt, ſed pauperum: atqui juxta Auguſtinum, Eccleſiæ bona ſunt pauperum duntaxat, non verò Clericorum quibus bonum privatum ſufficit; ergo, &c.

S. Hieronymus hæc habet inſignia: *Qui bonis parentum ſuſtentari poſſunt, ſi quod pauperum eſt accipiunt, ſacrilegium profectò committunt, & judicium ſibi manducant & bibunt.* (*Epiſt. ad Summum Pontificem Damaſum, tom.* 5. *pag.* 351.) Illud profectò illicitum eſt, quod ſine ſacrilegio

fieri non potest: atqui, teste Hieronymo, Clerici ex bonis parentum sat divites, bona Ecclesiæ quæ pauperum sunt accipere nequeunt, quin sacrilegium committant; ergo, &c.

S. Thomas ita docet: *Si Sacerdos non habet alios sumptus, potest aliquid accipere pro celebratione Missæ, ... tanquam sustentamentum vitæ.* (*In 4. dist. 25. art. 2. ad 4.*) Ergo *si habeat alios sumptus*; id est, si alia possideat ex quibus possit vivere, non potest Sacerdos suum in usum Ecclesiæ reditus convertere.

Prob. 3°. ex Theologis clarissimis. Adrianus VI sic affirmat; *Ex natura bonorum ecclesiasticorum deducitur, ex patrimonio divitem non posse ex reditibus ecclesiasticis vivere.* (*Comment. in lib. 4. sent.*) Adriano præiverat Alexander *de Halès*: *Clericus*, inquit, *habens reditum unde possit aliter quàm decimis sustentari secundùm statum personæ, potest recipere decimas ut procurator, in necessitates pauperum, vel utilitatem Ecclesiæ expendendas, non autem in proprios usus convertendas: imò si in usus proprios convertat, committit sacrilegium.* Eamdem doctrinam tuetur Dionysius Carthusianus: *Bona Ecclesiæ*, inquit, *sunt stipendia Ministrorum ejus indigentium hujusmodi bonis; quòd si iis non egeant, non sunt capaces talium bonorum.* (*Contra plural. beneficior. art. 14.*) Pro eadem sententia stant *Thomassin*, Sanbovius doctor, *Juenin*, & alii benè multi.

Hinc sequitur istud ratiocinium. Ille bonorum ecclesiasticorum usus Clero non est licitus, qui eorum naturæ opponitur, qui sacrilegium est, & cujus capax non est Clericus: atqui cum privata suppetunt, bonorum ecclesiasticorum usus quoad proprium victum, horum naturæ opponitur, juxta Adrianum VI, sacrilegium est, teste Alexandro *de Halès*, & illius capax non est Clericus qui non indiget, judice Dionysio Carthusiano; ergo, juxta præfatos Theologos, aliosque benè multos

quos prætermittimus, non licet Clerico ex patrimonio satis diviti, Ecclesiæ bona suos in usus convertere.

Observandum tamen ea quæ statuimus non esse sic intelligenda, quasi Clerico cui ad honestum victum satis est patrimonii, non liceat reditus patrimoniales parentibus non divitibus erogare, ex bonisque ecclesiasticis vivere: ei enim qui bona patrimonialia sic dispensaret, superflui non forent omnes reditus ecclesiastici, & proindè ex ipsis tantùm posset percipere, quantùm ad honestè vivendum opus esset.

Solvuntur objecta.

Objicies 1°. Canones allegati his verbis, *si tamen indiget*, id unum significant, nempè Clericum aliundè divitem, ex bonis Ecclesiæ non plus accipere posse, quàm necesse sit ut decenter vivat; ergo præfati Canones sententiam nostram nihil juvant.

Resp. Neg. ant. Per ista enim verba, *si tamen indiget*, non solum prohibent Canones, ne Clericus patrimonio dives plus accipiat ex bonis Ecclesiæ, quàm opus sit ad honestum victum; sed omninò vetant ne Clericus, *si non indigeat*, quidpiam ex rebus Ecclesiæ suos in usus convertat. Canones enim his verbis: *Episcopus percipere atque uti debet quibus indiget ... ad necessarias suas expensas*, satis definiunt non posse Episcopum ex reditibus Ecclesiæ plus accipere, quàm necesse sit ad honestè vivendum; ergo, cùm adjiciunt hæc verba, *si tamen indiget*, aliud significant, nempè Clericum non posse *ad necessarias suas expensas* uti bonis Ecclesiæ, nisi iis indigeat & aliundè non habeat ex quo vivere honestè possit.

Ut autem magis pateat quàm alienum in sensum hæc verba, *si tamen indiget*, detorqueat Natalis Alexander, sit ista hypothesis: Suppono te

iter fuscepturum esse : amicus suam crumenam tibi porrigens sic te alloquitur : Accipe è mea pecunia quantùm necesse est ad tuum iter conficiendum, *si tamen indiges*. Nonne statim intelligeres amicum illum suâ pecuniâ utendi facultatem non tibi dare, nisi eâ verè indigeas, nec aliter possis iter propositum conficere? Ergo pariter cùm prolati Canones Clerico ut ex bonis Ecclesiæ aliquid assùmat eâ tantùm conditione permittunt, *si tamen indiget*, proprius & obvius illorum verborum sensus est, quòd non possit Clericus Ecclesiæ bona suos in usus conferre, nisi iis verè indigeat : quis autem dixerit Clericum ex patrimonio divitem Ecclesiæ bonis indigere?

Obj. 2°. S. Hieronymum in loco superiùs allegato, vel loqui de solis Clericis qui bonis Ecclesiæ utentes, ipsi servire recusabant; vel consilium significare, non præceptum.

Resp. utramque hanc solutionem merum esse effugium, quod facile est præcludere. 1°. Quidem immeritò dicitur S. Hieronymum de his tantùm sermonem habere Clericis, qui reditus Ecclesiæ percipientes, ipsi operam suam denegabant. Hæc enim S. Doctoris verba : *Qui bonis parentum fustentari possunt, si quod pauperum est accipiunt, sacrilegium profectò committunt*, &c. hæc, inquam, verba generalia sunt, nec proindè ad eos Clericos restringi debent, qui ex bonis Ecclesiæ viventes, ipsi tamen deservire renuebant.

2°. Falsum est Hieronymi verbis merum consilium significari. Qui enim ea quæ consilii tantùm sunt omittit, dici non potest sacrilegium committere, & judicium sibi manducare : atqui tamen S. Doctor pronuntiat eos Clericos *sacrilegii* reos esse, *judiciumque sibi manducare*, qui dum possunt *ex parentum bonis* sustentari, bona Ecclesiæ quæ pauperum sunt accipiunt; ergo, &c.

Obj. 3°. Apostolus Ministris altaris jus vindicat ex oblatis fidelium donis vivendi : *Dominus*, inquit, *ordinavit iis qui Evangelium annuntiant, de Evangelio vivere* : id probat ex antiqua lege : *Nescitis quoniam qui in sacrario operantur, quæ de sacrario sunt edunt; & qui altari deserviunt, cum altari participant?* (1. *Cor.* 9. *v.* 13. & 14.) Ibi docet Apostolus Ministris altaris jus competere ex bonis Ecclesiæ vivendi, & indiscriminatim de Ministro paupere & divite loquitur; ergo utrisque idem jus asserit.

Resp. Dist. ant. Apostolus indiscriminatim de Ministro paupere & divite loquitur, sed distinctionem ex natura bonorum ecclesiasticorum petitam supponit, conc. nec eam supponit, neg. ant.

Qui enim noverat bona Ecclesiæ esse pauperum patrimonium, certè aliquid discriminis Clericum inter pauperem, & divitem admisit, quoad bonorum ecclesiasticorum usum : atqui profectò non ignorabat Apostolus bona Ecclesiæ esse patrimonium pauperum; ergo, &c.

Præterea idem Apostolus sic jubet : *Si quis fidelis habet viduas, subministret illis, & non gravetur Ecclesia, ut iis quæ verè viduæ sunt sufficiat.* (1. *Tim.* 5. 16.) Porrò qui præcipit ut fideles suarum viduarum, cùm possunt, curam habeant easque enutriant, *ne gravetur Ecclesia*, certè non docet Clericos patrimonio divites, posse ex bonis Ecclesiæ vivere.

Obj. 4°. hæc S. Thomæ verba : *Dicendum quòd non omnia bona Ecclesiarum sunt pauperibus largienda, nisi forte in articulo necessitatis, in quo... etiam vasa cultui divino dicata distrahuntur, & in tali necessitate peccaret Clericus, si vellet de rebus Ecclesiæ vivere, dummodò haberet patrimonia... de quibus vivere posset.* (2. 2. *quæst.* 185. *art.* 7. *ad* 3.)

Itaque, juxta S. Thomam, Clerici quibus suppetit patrimonium, nequeunt, urgente quâdam necessitate, ex bonis ecclesiasticis vivere; ergo extra casum illum possunt ex bonis Ecclesiæ vivere.

Resp. 1°. cum *Juenin* ibi S. Thomam ex pro-

fesso non tractare quæstionem de quâ nunc agimus, sed expendendam sibi proponere hanc alteram; nempè *utrùm Episcopi mortaliter peccent, si bona ecclesiastica quæ procurant, pauperibus non largiantur*: atqui ex omnium consensu, autor qui ex professo quæstionem aliquam non pertractat, eamdem non adhibet diligentiam, ac si eam deditâ operâ excutiendam susciperet.

Resp. 2°. cum eodem *Juenin* S. Doctoris verba intelligi posse de speciali officio, quod Clerico incumbit, cùm gravis necessitas populum vexat, ita ut ad eum sensum revocari possint: Clericus qui sufficiens patrimonium habet, nunquam potest Ecclesiæ bona suos in usus conferre; sed multò minùs id valet, quando populum dura premit necessitas.

Quantùm verò S. Doctor alienus sit à sententia quam ipsi tribuunt adversarii, ex variis locis compertum est. Unum duntaxat hic subjiciemus: *Accipere aliquid ad sustentationem eorum qui Sacramenta Christi ministrant, ... non est... peccatum; ... sumitur enim tanquam stipendium necessitatis.* (2. 2. *quæst.* 100. *art.* 2. *in corp.*) Porrò qui *stipendium necessitatis* vocat, quod à Ministris Christi accipi potest, sanè non existimat Clericos divites posse Ecclesiæ bona suos in usus convertere: atqui S. Thomas, &c. ergo, &c.

Quæres 1°. in quo situs sit honestus ille victus, quem ex proventibus ecclesiasticis percipere possunt Clerici pauperes.

Resp. quibus limitibus contineatur decens ille victus, aliter definit avida & inexplebilis cupiditas, aliter christiana moderatio. Certa artem & generalis eâ de re statui non potest regula; sed habenda est ratio, 1°. personæ: plura enim debili & infirmo, quàm robusto sunt necessaria; 2°. loci: quod enim quibusdam in locis, v. g. Parisiis, vix sufficit, in aliis nimium erit: 3°. officii & dignitatis, quia Clerici in dignitatibus constituti, majoribus expensis sunt obnoxii: Ecclesiæ enim expedit ut qui primas in eâ sedes occupant, populis majori sint venerationi; ad eam verò non parùm confert exterior aliquis apparatus, modò tamen clericalem modestiam, non autem humanum fastum sapiat. Hanc enim Concilii Tridentini legem animis infixam habere debent Beneficiarii: *Ita mores suos componant, ut reliqui ab eis frugalitatis, modestiæ, continentiæ, ac sanctæ humilitatis exempla petere possint.* (*Sess.* 25. *de Reform. c.* 1.)

Notandum ex omnium consensu christianæ moderationis limites non excedere Clericos, qui ex bonis Ecclesiæ aliquid insumunt, ut libros sibi necessarios acquirant; ut honestis quibusdam oblectamentis animum recreent, quibus indiget humana infirmitas; ut amicos excipiant hospitalitatemque exerceant, quod non parùm valet ad caritatem, & Clericorum inter se conjunctionem retinendam & fovendam, modò tamen intra clericalis modestiæ & frugalitatis cancellos sese contineant.

Quæres 2°. an Clerico liceat aliquid ex proventibus ecclesiasticis dare suis consanguineis.

Resp. inhærendum esse huic regulæ à Concilio Tridentino constitutæ: *Sancta Synodus Clericis omninò interdicit, ne ex reditibus Ecclesiæ consanguineos familiaresve suos augere studeant, cùm & Apostolorum Canones prohibeant ne res ecclesiasticas quæ Dei sunt, consanguineis donent: sed si pauperes sint, iis, ut pauperibus, distribuant; eas autem nec distrahant, nec dissipent illorum causâ.* (*Sess.* 25. *de Reform. cap.* 1.) Potest igitur Beneficiarius aliquid ex bonis Ecclesiæ consanguineis largiri: *Dummodò*, inquit S. Thomas, *illud faciat moderatè, id est, ut non indigeant, non autem ut ditiores inde fiant.* (2. 2. *quæst.* 185. *art.* 7. *ad* 2.) Graviter ergo peccant Beneficiarii qui reditus ec-

clesiasticos, in alendis & dotandis nepotibus minimè indigentibus consumunt. Præ oculis habeant istos Ludolphi Carthusiani versiculos :

Dum genitor rerum privavit semine Clerum
Ad Satanæ votum succesſit turba nepotum.

CAPUT III.

De Officiis Religiosorum.

STATUS Religionis describi solet *stabile vitæ institutum, approbatum ab Ecclesia, ad perfectionem tendens per solemnia castitatis, paupertatis & obedientiæ vota.* Dicitur 1°. *stabile institutum, quia* per vota in perpetuum Dei obsequium homo sese tradit immutabiliter. 2°. *Ab Ecclesiâ approbatum*, id est, à Sede Apostolica, juxta posteriorum sæculorum consuetudinem. Olim enim ad instituenda monasteria satis erat sola Episcoporum approbatio. Concilium autem generale Lugdunense II an. 1274, statuit ut nullus deinceps Ordo religiosus citra Romani Pontificis consensum admitteretur. 3°. *Ad perfectionem tendens*, eò quippè spectat, ut per religiosæ disciplinæ observationem acquiratur perfectio christiana. Ad eum finem attendant diligenter, qui de suscipienda Religione cogitant, vel qui post eam susceptam, in virtute magis ac magis proficere non curant. Meminerint hæc S. Bernardi verba : *O Monache, non vis proficere? vis ergo deficere.* (*Epist.* 254. *n.* 4. *tom.* 1. *pag.* 255.) 4°. *Per solemnia vota castitatis, &c.* in tribus enim his votis consistit status religiosi essentia ; siquidem per ea homo se suaque omnia Domino devovet. Nimirùm per obedientiæ votum animam suam Deo consecrat, voluntatem suam propter Deum Superiori subjiciens ; per votum castitatis Deo suum corpus mancipat ; tandem per votum paupertatis Deo bona sua temporalia consecrat, propter ipsum iis sese exuens, in quo possidendo suum omne bonum constituit.

Cùm Religiosus quilibet suam regulam, suasque constitutiones speciales præ manibus habeat, hìc ea tantùm expendemus quæ omnibus Religiosis sunt communia ; quod quinque in articulis exequemur : primus erit de ingressu in Religionem ; secundus, de professione religiosâ ; tertius, de obedientiâ ; quartus, de castitate & paupertate ; quintus, de *claustris* (gallicè *clôture.*)

ARTICULUS PRIMUS.

De ingressu in Religionem.

Quæres 1°. quinam invalidè recipiantur in Religionem.

Resp. Invalidè recipiuntur 1°. qui non sunt sui juris ; hujusmodi sunt, tùm servi qui dominis suis se totos debent, verumque furtum committunt, si cuipiam alteri se dedant ; tùm pueri impuberes qui vel parentibus, vel tutoribus quoad vitæ institutum subjiciuntur : ubi verò pubertatis ætatem attigêre, Religionem ingredi possunt, etiam invitis parentibus, quia in his quæ ad statum vitæ pertinent, tunc fiunt sui juris : ita S. Thomas. (2. 2. *quæst.* 191. *art.* 4.)

2°. Conjux post consummatum matrimonium, nisi pars altera consentiat, & vel ipsa Religionem profiteatur, si juvenis sit ; vel castitatis perpetuæ votum emittat, quando ætate provecta est. Ita enim jure canonico statuitur : *Nisi uxor ad Religionem transierit, aut perpetuò castitatem servare promiserit.* (*Lib.* 3. *Decret. tit.* 32. *c.* 1. *p.* 1258.)

3°. Invalidè recipiuntur quos propriæ alicujus Religionis constitutiones excludunt, quæ idcircò consulendæ sunt.

clesiasticos, in alendis & dotandis nepotibus minimè indigentibus consumunt. Præ oculis habeant istos Ludolphi Carthusiani versiculos :

Dum genitor rerum privavit semine Clerum
Ad Satanæ votum succesſit turba nepotum.

CAPUT III.

De Officiis Religiosorum.

STATUS Religionis describi solet *stabile vitæ institutum, approbatum ab Ecclesia, ad perfectionem tendens per solemnia castitatis, paupertatis & obedientiæ vota.* Dicitur 1°. *stabile institutum, quia* per vota in perpetuum Dei obsequium homo sese tradit immutabiliter. 2°. *Ab Ecclesiâ approbatum*, id est, à Sede Apostolica, juxta posteriorum sæculorum consuetudinem. Olim enim ad instituenda monasteria satis erat sola Episcoporum approbatio. Concilium autem generale Lugdunense II an. 1274, statuit ut nullus deinceps Ordo religiosus citra Romani Pontificis consensum admitteretur. 3°. *Ad perfectionem tendens*, eò quippè spectat, ut per religiosæ disciplinæ observationem acquiratur perfectio christiana. Ad eum finem attendant diligenter, qui de suscipienda Religione cogitant, vel qui post eam susceptam, in virtute magis ac magis proficere non curant. Meminerint hæc S. Bernardi verba : *O Monache, non vis proficere? vis ergo deficere.* (*Epist.* 254. *n.* 4. *tom.* 1. *pag.* 255.) 4°. *Per solemnia vota castitatis, &c.* in tribus enim his votis consistit status religiosi essentia ; siquidem per ea homo se suaque omnia Domino devovet. Nimirùm per obedientiæ votum animam suam Deo consecrat, voluntatem suam propter Deum Superiori subjiciens ; per votum castitatis Deo suum corpus mancipat ; tandem per votum paupertatis Deo bona sua temporalia consecrat, propter ipsum iis sese exuens, in quo possidendo suum omne bonum constituit.

Cùm Religiosus quilibet suam regulam, suasque constitutiones speciales præ manibus habeat, hìc ea tantùm expendemus quæ omnibus Religiosis sunt communia ; quod quinque in articulis exequemur : primus erit de ingressu in Religionem ; secundus, de professione religiosâ ; tertius, de obedientiâ ; quartus, de castitate & paupertate ; quintus, de *claustris* (gallicè *clôture.*)

ARTICULUS PRIMUS.

De ingressu in Religionem.

Quæres 1°. quinam invalidè recipiantur in Religionem.

Resp. Invalidè recipiuntur 1°. qui non sunt sui juris ; hujusmodi sunt, tùm servi qui dominis suis se totos debent, verumque furtum committunt, si cuipiam alteri se dedant ; tùm pueri impuberes qui vel parentibus, vel tutoribus quoad vitæ institutum subjiciuntur : ubi verò pubertatis ætatem attigêre, Religionem ingredi possunt, etiam invitis parentibus, quia in his quæ ad statum vitæ pertinent, tunc fiunt sui juris : ita S. Thomas. (2. 2. *quæst.* 191. *art.* 4.)

2°. Conjux post consummatum matrimonium, nisi pars altera consentiat, & vel ipsa Religionem profiteatur, si juvenis sit ; vel castitatis perpetuæ votum emittat, quando ætate provecta est. Ita enim jure canonico statuitur : *Nisi uxor ad Religionem transierit, aut perpetuò castitatem servare promiserit.* (*Lib.* 3. *Decret. tit.* 32. *c.* 1. *p.* 1258.)

3°. Invalidè recipiuntur quos propriæ alicujus Religionis constitutiones excludunt, quæ idcircò consulendæ sunt.

Quæres 2°. quinam illicitè recipiantur.

Resp. illicitè recipiuntur 1°. qui ære alieno gravati sunt, ut declaravit Clemens VIII constitutione datâ an. 1602 : qua in re temperavit Sixti V constitutionem, quæ ære alieno ultra facultates suas oppressos ad professionem fecerat inhabiles.

2°. Filii quorum operâ & subsidio parentes indigent : *Ille qui est in sæculo constitutus*, ait S. Thomas, *si habet parentes qui sine ipso sustentari non possunt, non debet, eis relictis, Religionem intrare, quia transgrederetur præceptum de honoratione parentum.* (2. 2. *quæst.* 101. *art.* 4. *ad* 4.) Pariter *non licet alicui filios habenti*, inquit idem Doctor, *Religionem ingredi, omnino prætermissâ curâ filiorum, id est, non provisо qualiter educari possint.* (2. 2. *quæst.* 189. *art.* 6. *in corp.*)

3°. Qui virginem spe matrimonii deceperunt : huic enim per ingressum in Religionem gravem injuriam inferrent.

4°. Qui reddendis rationibus sunt obnoxii, ut tutores, nisi priùs huic officio satisfecerint.

Quæres 3°. an liceat cuipiam Religionem proponere.

Resp. id ex se licitum esse, siquidem ad eum finem spectat Religionis status, ut acquiratur perfectio christiana : *Dicendum*, inquit S. Thomas, *quòd inducentes alios ad Religionem, non solùm non peccent, sed magnum præmium mereantur.* (2. 2. *quæst.* 189. *art.* 9. *in corp.*) Id tamen, positis quibusdam circumstantiis, illicitum esse potest; 1°. *quidem*, ait S. Doctor, *si violenter aliquis alium ad Religionem cogeret; ... 2°. si quis simoniacè alium ad Religionem trahat muneribus datis; ... 3°. si mendaciis eum alliciat, imminet enim sic inducto periculum ne, cùm se deceptum invenerit, retrocedat.* (*Ibid.*)

Hinc colligendum graviter peccare 1°. parentes qui durè cum suis liberis agunt, eos rebus necessariis defraudant, & molestâ quâdam servitute fatigant, ut ipsos ad Religionem amplectendam compellant; 2°. personas religiosas quæ varias artes & illecebras adhibent; quæ austeriores sui Ordinis regulas perfido silentio premunt, ut alios sua in monasteria alliciant.

ARTICULUS II.

De Professione religiosa.

Quæres 1°. quænam requirantur ut valida sit professio.

Resp. requiri 1°. ætatem sufficientem & annum probationis, ut statuit Concilium Tridentinum his verbis : *In Religione tam virorum quàm mulierum, professio ne fiat ante 16 annum expletum, nec qui minore tempore, quàm per annum, post susceptum habitum in probatione steterit, ad professionem admittatur; professio autem anteà facta sit nulla.* (*Sess.* 25. *de Regularibus, cap.* 15.) In Galliis verò ex constitutione regiâ Ludovici XV, professio validè fieri non potest, nisi post annum 21 pro masculis, & annum 18 pro feminis.

Annus probationis, post susceptum habitum, ita completus & integer esse debet, ut si vel una quidem hora deesset, irrita foret professio : ita Fagnanus. (*Tom.* 3. *part* 2. *pag.* 31. *n.* 14. *Edit. Rom. an.* 1662.) Unde in re tanti momenti locum non habet quod vulgò dicitur, scilicèt *diem inchoatum pro completo reputari.* Continuus etiam minimèque interruptus sit oportet hic annus, ita ut si candidatus per unum diem, imò per duas horas, juxta Fagnanum à Religione discessisset, integrum probationis annum repetere teneretur. Quâ de re sacræ Congregationis responsum sic refert : *Consulta à Procuratore generali Ordinis Minorum, ... an Novitius qui à monasterio, ut*

aliam Religionem ingrederetur, abierat ac duas tantùm horas in alio conventu moram traxerat, ac statim deindè facti pœnitens reversus fuerat, teneretur incipere novum annum probationis ; respondit teneri ob eo die quo rediit. (*Ibid. pag.* 32. *n.* 27.) Si tamen Novitius post susceptum habitum, & aliquod tempus in monasterio transactum, ab eo egrederetur justam ob causam, & cum sui Superioris licentia, necesse non esset ut novum probationis annum inciperet. Ita à sacra Congregatione definitum refert Fagnanus. (*Tom.* 4. *part.* 1. *n.* 39. *pag.* 54.)

2°. Ad validam professionem requiritur ut voventis consensus sit integer, ab omnique metu gravi expeditus. Hinc si puella Religionis votum emiserit propter timorem à patre vel matre incussum, qui malum aliquod respectu puellæ grave comminati fuerint, non valet hujusmodi votum.

Quæres 2°. an puella, tùm ante susceptum habitum, tùm ante professionem, examini subjicienda sit.

Resp. à Concilio Tridentino constitutum esse, *ut puella habitum regularem non antè suscipiat... nec professionem emittat, quàm exploraverit Episcopus, vel eo absente, vel impedito, ejus Vicarius aut aliquis eorum sumptibus ab iis deputatus, virginis voluntatem diligenter.* (*Sess.* 25. *de Regul. cap.* 17.) Ex eadem autem Synodo inquirendum est 1°. *an coacta aut seducta sit ;* 2°. *an sciat quid agat :* quod si non satis cognoverit erudienda est. *Novitiæ*, inquit S. Carolus in Concilio Mediolanensi I, *demonstret quàm gravis ea res sit, quàmve multas res tria Religionis vota requirant ; vinculi vim intelligat quo se obstringi vult ;* (*Act. Eccles. Mediol. tom.* 1. *tit.* 6. *part.* 3. *pag.* 41.) 3°. *an habuerit conditiones requisitas juxta monasterii illius & Ordinis Regulam.*

Quæres 3°. an reclamare possit qui professionem nullam emisit.

Resp. potest ex Concilio Tridentino à quo tria requiruntur : (*Sess.* 25. *de Regul. cap.* 19.) 1°. Ut Religiosus de quo agitur, reclamet intra quinquennium à die professionis computandum. Excipiendus tamen est casus in quo propter gravem metum, vel aliam ob causam justam impeditus fuisset ne reclamaret. (*Decretal. lib.* 1. *tit.* 40. *cap.* 1. *pag* 477.) 2°. *Ut causas quas prætendit, coram Superiore suo, id est, monasterii in quo residet, & Ordinario deducat.* 3°. Ut ante hanc disceptationem *habitum non dimiserit : alioqui nullatenùs ad allegandam quamcumque causam admittatur ; sed ad monasterium redigatur, & tanquam apostata puniatur.* Quod sapienter à sancta Synodo constitutum est. Aliter enim multi quorum firma esset professio, eam nullam esse obtendentes, regularem habitum deponerent & in sæculo, non sine gravi fidelium offensione, viverent.

Quæres 4°. utrùm Religionem aliquam professus, aliam deinceps amplecti possit.

Resp. non potest citra *dispensationem* à Religione strictiori ad laxiorem transire. *Nemo Regularis*, inquit Concilium Tridentinum, *cujuscumque facultatis vigore transferatur ad laxiorem Religionem.* (*Sess.* 25. *de Regul. cap.* 19.) Hæc autem *dispensatio* nonnisi à Sede Apostolica concedi potest : *Ipsimet Superiores Regulares*, ait Fagnanus, *agnoscunt se non habere potestatem super hoc dispensandi, cùm pro ea obtinenda recurrant ad Sedem Apostolicam.* (*Tom.* 2. *pag.* 167. *n.* 29.) Si verò Religio ad quam se transferre vult aliquis, eâ severior sit quam suscepit, non ita necessarius est Superioris consensus, qui tamen postulandus est. *Postquàm à Prælato suo transeundi licentiam postulaverit, ... liberè potest sanctioris vitæ propositum adimplere, non obstante protervâ indiscreti contradictione Prælati, quia privilegium meretur amittere, qui concessâ sibi abutitur potestate.*

(*Lib.* 3. *Decretal. tit.* 31. *cap.* 18. *pag.* 1250.) Ab ea tamen regula excipiendi sunt Ordinum Mendicantium Religiosi, qui sine expressa Romani Pontificis licentia, alii Ordini, etiam austeriori, nisi fuerit Carthusianorum, nomen dare non possunt.

Notandum autem Religiosum qui ab uno Ordine ad alium cujus diversum est institutum transfertur, per annum integrum probationi esse subjiciendum. Priusquàm enim novum hoc vitæ genus profiteatur, utrùm ad illud idoneus sit compertum habeat necesse est. Eamdem ob causam expedit annum probationis ab iis etiam exigere, qui ab uno monasterio ad aliud ejusdem instituti, sed ubi severior est disciplina, sese conferunt.

ARTICULUS III.

De Obedientia religiosa.

Obedientia hæc vinculum est spirituale, quo Religiosus obstringitur ad parendum Superiori, in omnibus quæ legitimè imperari possunt; hæc virtus ad statûs religiosi essentiam pertinet. 1°. *Quia status Religionis*, inquit S. Thomas, *est quædam disciplina, vel exercitium tendendi in perfectionem. Quicumque autem instruuntur vel exercitantur, ut perveniant ad aliquem finem, oportet quòd directionem alicujus sequantur, secundùm cujus arbitrium instruantur, vel exercitentur ad illum finem, quasi discipuli sub Magistro.* (2. 2. *q.* 186. *art.* 5. *in corp.*) 2°. Quia, ut ait S. Doctor, *perfectio Religionis maximè consistit in imitatione Christi, secundùm illud Matthæi*: Si vis perfectus esse, ... sequere me: (19. *v.* 21.) *sed in Christo maximè commendatur obedientia, secundùm illud ad Philippenses*: Factus est obediens usque ad mortem. (2. 8.) 3°. Quia propriæ voluntatis sacrificio, & sibimetipsi, & rebus omnibus

perituris quodam modo moritur Religiosus, in quo maximè sita est sui statûs perfectio.

Quæres 1°. qualis esse debeat Religiosi erga Superiorem obedientia.

Resp. Debet esse 1°. *universalis*, eo nempè sensu quòd inferior nihil sine Superioris consensu vel mandato suscipiat. 2°. *Prompta*, adeò ut inceptum opus, qualecumque sit, deserat Religiosus ad exequendam sine mora Superioris voluntatem. *Obediens non est*, inquit S. Bonaventura, *qui secundum expectat mandatum.* 3°. *Hilaris*, id est, quæ ex animo, non autem ex necessitate prodeat, ita ut sibi gratulentur Religiosi, quòd non suo, sed alieno judicio ducantur. 4°. *Simplex*, quæ scilicèt nec præcepti rationem, nec præcipientis intentionem studiosiùs inquirat, & cui sufficiat ut licitum sit quod imperatur. *Multos videmus*, ait S. Bernardus, *post præcipientis imperium multas facere quæstiones, cur, quare, quamobrem sæpiùs interrogare. Incede simpliciter in mandatis obedientiæ, addens voluntati simplicitatem, intentioni illuminationem.* (*Serm.* 41. *de diversis*, *tom.* 1. *pag.* 1162. *edit. BB.*)

Quæres 2°. utrùm in omnibus omninò parere teneatur Religiosus.

Resp. 1°. Non debet Superiori in iis obtemperare, quæ juri sive naturali, sive divino sunt contraria: *Quid enim*, ait S. Bernardus, *quod jubet homo prohibet Deus, & ego audiam hominem surdus Deo? Non sic Apostoli; clamant quippè dicentes*: melius est obedire Deo quàm hominibus. *Hinc Dominus in Evangelio Pharisæos increpans*, quare & vos, *inquit*, transgredimini mandatum Dei propter traditionem vestram? .... *igitur facere malum, quolibet etiam jubente, constat non esse obedientiam, sed potiùs inobedientiam.* (*Epist.* 7. *tom.* 1. *pag.* 18. *n.* 3.)

2°. Si quod imperat Superior à regula sit præscriptum, semper ei parendum est. Ad regulam enim

observandam ipsâ professione sese obstringit Religiosus. *Qui profitetur*, inquit S. Bernardus, *spondet obedientiam ..... secundùm regulam. (Tract. de dispens. & præcept. cap. 4. tom. 1. pag. 504.)*

3°. Si quid contra regulam præcipiat Superior, tunc ipsi non obtemperandum est, quia autoritate suâ abutitur, nec quidquam valet adversùs regulam. *Neque enim Abbas*, ait S. Bernardus, *supra regulam est, cui & ipse spontaneâ sese professione submisit. (Ibid. cap. 4. pag. 503.)* Ubi verò dubitat inferior, utràm regulæ consentaneum sit, an dissentaneum quod ipsi præcipitur, tunc parere debet, quia in dubiis *præsumendum est*, ut aiunt, in gratiam Superioris penès quem est jus imperandi, & juxta vulgare axioma, *in dubiis potior est conditio possidentis.*

4°. Si quid jubeat Superior, quod sit præter regulam, obedire non tenetur Religiosus. *Qui enim profitetur*, inquit idem Doctor, *spondet quidem obedientiam, sed ..... determinatè secundùm regulam. (Ibid. cap. 4.)* Si, v. g. Ordinis S. Francisci Superior suis Monachis præciperet abstinentiam à carnibus, qualis servatur in aliis quibusdam Ordinibus, ut Benedictinorum, nullus ex subditis præceptum illud exequi teneretur, quia non S. Benedicti, sed S. Francisci regulæ suâ professione sese subjecerunt. *Quænam mihi, quæso*, inquit S. Doctor, *in hac re necessitas imminet obsequendi? Solùm quippè id à me posse exigi arbitror, quod promisi, (Ibid. pag. 504.)*

Quæres 3°. an semper mortaliter peccet Religiosus, qui in iis obedientiam detrectat, quæ præcipiendi jus habet Superior.

Resp. 1°. eum mortaliter non peccare quando res imperata, tùm in se, tùm ratione circumstantiarum levis est. De præcepto enim obedientiæ idem sentiendum ac de multis juris divini præceptis, quorum in materia levi violatio peccatum mortale non

non importat. Præceptorum in re levi violatio *in peccatum reputatur*, ait S. Bernardus, *non tamen in crimen. (Ibid. cap. 8. tom. 1. pag. 507.) Si* tamen mandatum de re etiam levi ex contemptu deliberato infringeretur, id non fieret sine gravi peccato, quia *elatio contemnentis in minimis quoque mandatis culpam facit non minimam. (Ibid. cap. 11. pag. 511.)*

Resp. 2°. graviter peccaturum Religiosum, si iis obedire renueret quæ sub peccati mortalis pœna jubet Superior: *Minora majoraque mandata dixerim secundùm quod magis minùsve velle consiliterit ipsum qui præcipit. (Ibid. cap. 7. n. 14. pag. 506.)* Tunc autem sub peccato mortali velle obligare censetur Superior, cùm suo præcepto gravis pœnæ, v. g. excommunicationis, comminationem adjungit; vel quando istas voces adhibet, *in virtute sanctæ obedientiæ*. Quâ formulâ uti solent Superiores, ut significent se velle, quantùm possunt, id est, sub culpa mortali obligare.

ARTICULUS IV.

De Castitate & Paupertate religiosa.

Per castitatis religiosæ votum Deo spondet aliquis, fore ut perpetuò à delectatione carnali, sive intra, sive extra matrimonium, abstineat. Quæ abstinentia *adeò annexa est regulæ monachali*, inquit inocentius III, *ut contra eam nec Summus Pontifex possit licentiam indulgere*, quia voluptas carnalis *retrahit animum ne totaliter feratur in Dei servitium. (Decretal. lib. 3. tit. 35. pag. 1297.)* Inde sic concludit S. Thomas: *Ideò continentia perpetua requiritur ad perfectionem Religionis. (2. 2. q. 86. art. 4.)* Unde colliges Religiosum qui contra castitatem actu vel exteriori, vel interiori peccat, duplicem culpam committere; 1°. scilicet

contra virtutem castitatis quæ in quolibet vitæ genere obligat, & ipsos etiam conjuges qui continentiam legibus matrimonii præscriptam servare debent; 2°. contra virtutem Religionis quæ præcipit ut observentur vota Deo nuncupata. Idcircò Religiosi qui contra castitatem peccaverint, tenentur suæ professionis circumstantiam in confessione exponere.

Paupertatis votum ad professionis religiosæ essentiam pertinet. Quisquis enim Religionem profitetur, is ad vitæ christianæ perfectionem sectandam sese obstringit: Christus autem ait: *Si vis perfectus esse, vade vende omnia quæ habes, & da pauperibus.* (*Matth.* 19. 21.)

Quæres 1°. an monasterium sive communitas religiosa possit rei cujuspiam temporalis dominium habere.

Resp. id posse ex Concilio Tridentino cujus ea sunt verba: *Concedit sancta Synodus omnibus monasteriis & domibus tam virorum, quàm mulierum & mendicantium, exceptis domibus S. Francisci, ... ut bona immobilia eis possidere liceat.* (*Sess.* 25. *de Regularib. cap.* 3.) Præterea si congregatio religiosa non esset dominii capax, maximè quia paupertatem profitetur: atqui hæc ratio nullius est momenti; siquidem dominium in communi non excludit paupertatis professio; sed prohibet duntaxat ne quis privatus de ulla re statuat tanquam dominus, & citra Superioris consensum.

Quæres 2°. an Religiosus quilibet solemniter professus, bona sive mobilia, sive immobilia possidere queat.

Resp. id à Concilio Tridentino sic prohiberi: *Nemini Regularium tam virorum, quàm mulierum, liceat bona immobilia vel mobilia, cujuscumque qualitatis fuerint, etiam quovis modo ab eis acquisita, tanquàm propria, . . possidere, vel tenere; sed statim*

ea Superiori tradantur, conventuique incorporentur. (*ibid. cap.* 2.) Clemens VIII in Bullâ pro Regularium reformatione datâ, quæ incipit *Nullus omninò*, Concilii Tridentini mentem explicans, vetat ne ullus fratrum quidquid boni vel pecuniæ, quâcumque ratione acquisierit, tanquam proprium possideat; *Sed ea omnia*, inquit, *statim Superiori tradantur & monasterio incorporentur, atque cum ceteris illius bonis, reditibus, pecuniis ac proventibus confundantur, quò communis inde victus & vestitus omnibus suppeditari possit.* Idem jubet Synodus Cameracensis, duobus post Tridentinam annis celebrata: *Omnis illa pecunia, vel res quam Monachus, vel Monialis, acquirere sive labore, sive industriâ, sive amicorum liberalitate, seu denique quâlibet aliâ occasione possit, Superiori mox tradatur, ita ut ad nutum ejus tanquàm res communis expendatur.* (*Tom.* 15. *Conc. Can.* 10. *p.* 175.)

Ex dictis colliges contra paupertatis votum peccare 1°. Religiosos qui rem temporalem & alicujus pretii, sine Superioris licentia retinent, absumunt, permutant, commodant, alienant: hæc enim omnia, quando fiunt proprio arbitratu, sunt actus dominii; 2°. qui rem ad quemdam usum concessam, in alium, licèt honestum, impendunt citra Superioris consensum; 3°. qui earum etiam rerum quas possunt consumere, ut esculentorum, aut pecuniæ ad iter faciendum datæ, partem sibi subtrahunt, ut eam aliis largiantur, aut in alios usus, ludum, v. g. sine Superioris permissu adhibeant: hæc enim singula totidem sunt dominii actus, ac proindè Religioso illiciti.

Quæres 3°. quid sentiendum sit de pensionibus, quæ puellis Religionem profitentibus eâ lege constitutæ sunt, ut in ipsarum tantùm usus impendantur.

Resp. non approbandas esse hujusmodi pensiones; eas quippè non ferunt præfata, tùm Concilii

Tridentini, tùm Clementis VIII, tùm Synodi Cameracensis decreta, quæ præcipiunt ut quidquid pecuniæ acquirunt Monachus & Monialis, cum ceteris Monasterii bonis confundatur, in communemque illius usum conferatur. Qua de re sic habet Eminentissimus Cardinalis *de Noailles*, Archiepiscopus Parisiensis, in Statuto anni 1697 : *Comme les pensions particulières que les parens donnent à leurs filles, les rendent ordinairement propriétaires, & les engagent à violer leur vœu de pauvreté, quelque prétexte qu'elles prennent de ne les posséder & employer, que par la permission des Supérieures. Nous défendons à toutes Supérieures d'en souffrir aucunes, qu'elles ne soient mises dans le dépôt commun du Monastere, pour être employées, comme les autres biens, aux besoins de la Communauté.*

Quæres 4°. an valeat Monialis aut Monachi excusatio, qui pecuniam vel à parentibus acceptam, vel propriâ industriâ acquisitam, non confundunt quidem cum aliis Monasterii bonis communibus ; sed in eam pecuniam se nihil dominii retinere velle dictitant.

Resp. vanam esse hanc excusationem : 1°. enim hæc agendi ratio manifestè Conciliorum, Summorumque Pontificum decretis contraria est ; 2°. seipsum decipit hujusmodi Monachus vel Monialis, cùm asserit se in pecuniam suam omne dominium, omnemque affectum exuisse. Si enim significet Superior velle se pecuniam hanc cum ceteris Monasterii bonis confundere, ut in communes aliorum usus adhibeatur, nonne statim in querelas erumpit ? nonne huic consilio, quantùm potest, obsistit ? numquid omne dominium abjecit qui ita agit ? *Mentita est iniquitas sibi.*

Quæres 5°. quid sentiendum sit de consuetudine quæ nonnullis in Monasteriis invaluit, ut cuique

Religioso vel Moniali quotannis detur certa pecuniæ summa, unde quæ sibi necessaria sint comparent.

Resp. consuetudinem hanc vitio proprietatis locum dare, ad liberumque receptæ pecuniæ usum inducere. Quidquid enim ex ea pecunia supereſt parcis Religiosis, sibi retinent, & pro suo arbitrio impendunt : quod voto paupertatis adversatur. Huic malo ut occurrerent, præfatam consuetudinem non semel reprobârunt Concilia : eam prohibuit Albigense an. 1254 ; Cameracense an. 1565 statuit ut Religiosi quæ sibi necessaria sunt recipiant ; non in pecunia, sed in ipsa rerum substantia. Concilium etiam Mechlinienſe (*de Malines*) septem post Tridentinum annis celebratum, præcipit *ut victus, vestitus, ceteraque vitæ subsidia singulis pro necessitate indigentiæ & Monasterii facultatibus, subministrentur, non in pecuniis, sed in specie rerum.* (*Tom. 15. Concil. c. 1. de Regularib. & Monial. pag.* 814.)

ARTICULUS V.

De Regularium claustris (gallicè clôture.)

Claustris Monialium quantâ curâ consulere debeant Episcopi, patet ex iis Concilii Tridentini verbis : *Sancta Synodus universis Episcopis sub obtestatione divini judicii, & interminatione maledictionis æternæ præcipit, ut in omnibus Monasteriis sibi subjectis .... clausuram sanctimonialem, ubi violata fuerit, diligenter restitui, & ubi inviolata est, observari maximè procurent ; inobedientes atque contradictores per censuras ecclesiasticas, aliasque pœnas .... compescentes ; invocato etiam ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachii sæcularis.* (*Sess. 25. de Regularibus, cap. 5.*)

Quæres 1°. an liceat Monialibus professis, saltem ad breve tempus, è Monasterio exire.

Resp. ea de re à Concilio Tridentino sic esse constitutum : *Nemini sanctimonialium liceat post professionem exire à Monasterio, etiam ad breve tempus, quocumque prætextu, nisi ex legitima aliqua causa, ab Episcopo approbanda, indultis quibuscumque & privilegiis non obstantibus.* (*Ibid.*)

Quæres 2°. an cuiquam licitum sit intra Monialium claustra ingredi.

Resp. id nemini licitum esse, nisi ab Episcopo vel Superiori licentiam scripto datam obtinuerit; *Ingredi autem intra septa Monasterii*, ait Synodus Tridentina, *nemini liceat, cujuscumque generis aut conditionis, sexûs vel ætatis fuerit, sine Episcopi vel Superioris licentia, in scriptis obtenta, sub excommunicationis pœna ipso facto incurrenda : dare autem tantùm Episcopus vel Superior licentiam debet, in casibus necessariis.* (*Ibid.*)

Quæres 3°. utrùm ab ingressu in Monasteria Religiosorum prohibeantur mulieres.

Resp. id plurimis Conciliis vetitum esse. Pauca seligemus Turonense II anni 567, præcipit *ut mulier intra septa Monasterii nullatenùs introire permittatur.* (*Tom.* 5. *Concil. pag.* 856.) Trevirense an. 1549, sic vetat : *Religiosi omnium Ordinum, ut siniſtræ suspicionis etiam tollatur occasio, quascumque mulieres religiosas & servientes Deo, in ambitum Monasterii recipere aut introducere nullatenùs præsumant.* (*Tom.* 14. *Concil. pag.* 715.) Cameracense an. 1565, *Mulieres*, inquit, *si quandoque ad cœnobia venerint, non eis concedatur accessus, etiamsi Religiosæ sint & Moniales.* (*Tom.* 15. *Concil. pag.* 174.) Eamdem disciplinam defenderunt Cleri Gallicani Comitia an. 1625 & 1645, his verbis : *Nuls Religieux ne peuvent... laisser entrer aucune femme dans leurs cloîtres, & leur est défendu de faire aucunes processions, prédications, ou autres actions publiques dans leurs cloîtres, où les femmes sous ce prétexte puissent être introduites.*

Quæres 4°. quas in pœnas incurrant mulieres quæ Regularium claustra subeunt, & Religiosi qui eas introducunt.

Resp. Pii V & Gregorii XIII constitutionibus, quarum altera an. 1566 incipit, *Regularium personarum*, & altera an. 1575 sic orditur, *Ubi gratia*, mulieres quæ Regularium claustra ingrediuntur, in excommunicationem Papæ reservatam ipso facto incurrunt ; Religiosi verò qui eas introducunt, declarantur ipso facto à divinis suspensi, officiis suis privati, ad aliaque obtinenda inhabiles : illæ autem Bullæ in Galliis vim non obtinent, ubi non sunt promulgatæ. Notandum tamen prædictis censuris subjacere Religiosos qui mulieres sua in claustra admittunt, si in suorum Ordinum capitulis promulgatæ, & usu receptæ fuerint præfatæ constitutiones : tunc enim apud eos vim legis habent.

TRACTATUS

DE BENEFICIIS.

QUÆ de beneficiis ecclesiasticis dicturi sumus, ad quinque capita revocantur : in 1°. disseremus de beneficii natura & divisione ; in 2°. de variis illius acquirendi modis ; in 3°. de iis quæ hominem faciunt possidendis beneficiis inhabilem ; in 4°. de lege digniores ad beneficia eligendi ; in 5°. expendemus utrùm liceat plura simul possidere : tandem brevem subnectemus appendicem de pensionibus ecclesiasticis.

CAPUT PRIMUM.

De Beneficii ecclesiastici natura & divisione.

QUÆRES 1°. quomodò definiatur beneficium ecclesiasticum.

Resp. Beneficium ecclesiasticum definiri potest :

Jus perpetuum percipiendi fructus ex bonis ecclesiasticis provenientes, autoritate Ecclesiæ constitutum, Clerico competens propter officium spirituale quod exhibere debet Ecclesiæ, cujus ex bonis sustentatur.

Dicitur 1°. *jus perpetuum*, tùm ex parte beneficii quia, moriente Clerico illius possessore, non extinguitur, sicut pensiones, sed transfertur ad alium ; tùm ex parte Beneficiarii qui beneficio sibi ritè concesso, quandiù vivit potiundi jus habet.

2°. *Percipiendi fructus*, non quidem ut officii spiritualis mercedem, sed tanquam stipendium quo Clericus sustentetur, ut de comparandis rebus sibi necessariis minimè sollicitus, Deo & Ecclesiæ liberiùs deserviat.

3°. *Ex bonis ecclesiasticis*, quæ scilicèt ad Ecclesias particulares pertinent, sive quia ab illis acquisita sunt, sive quia iisdem fuerunt à fidelibus consecrata.

4°. *Ecclesiæ autoritate constitutum*, quia Summi Pontificis aut Episcopi approbatio & confirmatio requiruntur, ut proventus alicui Ecclesiæ propter officium spirituale concessi, beneficiorum rationem habeant.

5°. *Clerico competens*, quia nemini conferri potest beneficium, nisi primâ saltem tonsurâ sit initiatus.

6°. *Propter officium spirituale*, &c. quia ex recepto axiomate *beneficium datur propter officium*. Quo nomine non sola Breviarii recitatio intelligenda est, sed etiam Sacramentorum administratio, Missarum celebratio, Evangelii prædicatio, aliæque functiones sacræ. Quali autem potissimùm officio astringatur, ex beneficii sibi concessi naturâ & fine æstimare debet Clericus. Inde intelligendum est beneficia non desidiæ, sed laboris esse præmium : *Nec bono jure is quis non servit altari, vivit de altari*, ait Concilium Coloniense II an. 1549, *sicut stipendium non debetur nisi militanti.* (*Tit. 3. cap. 9. tom. 14. Conc. pag. 644.*)

Quæres 2°. quænam sit beneficii ecclesiastici divisio.

Resp. Beneficium dividitur 1°. *in sæculare* quod Clericis tantùm Sæcularibus, & *in regulare* quod solis Regularibus conferendum est. Hinc tritum illud effatum : *Sæcularia Sæcularibus*, *Regularia Regularibus*. Qui contendunt aliquod beneficium esse regulare, id probare debent, vel titulo fundationis, vel possessione pacifica 40 annorum, quæ legitimam facit præscriptionem. (*In Sexto*, *lib.* 3. *tit.* 4. *cap.* 5.) Hujusmodi præscriptionis ea vis est, ut beneficii naturam commutet, & sæculare in regulare, ac regulare in sæculare convertat. Beneficium regulare fit sæculare, si per annos 40 pacificè, & sine interruptione possessum fuerit, sive ab uno Clerico Sæculari, sive à pluribus. Pariter beneficium sæculare vertitur in regulare, cùm à Regularibus modo prædicto, & per idem temporis spatium fuit possessum.

2°. Aliud dicitur *simplex*, & aliud *duplex*. *Simplex* juxta notionem nunc magis communem, illud appellatur cui, præter divini officii obligationem, nec animarum cura adjuncta est, nec ulla dignitas vel functio quæ postulet ut in beneficii loco resideatur. *Duplex* verò dicitur illud quod, præter Officii divini obligationem, sibi annexum habet animarum regimen, vel aliud quidpiam ministerium, vi cujus teneatur Clericus in beneficii sui loco residere.

3°. Beneficium dividitur in *commendatum*, & *titulare*. *Commendatum*, si primam illius originem repetas, illud erat quod, licèt regulare, Clerico tamen sæculari tanquam administratori commendabatur, sed non mutatâ ipsius naturâ. Scilicèt quando vacabat beneficium, & nullus reperiebatur exercendis ipsius functionibus satis idoneus, mos erat ejus curam boni nominis Clerico ad tempus aliquod committere : beneficii fructus percipiebat *Commendatarius*, quorum tamen rationem referre tenebatur, quia administrator tantùm erat, non possessor. Sic Clerico sæculari committebatur beneficium regulare, quod nihilominùs suam semper naturam retinebat. Juxta hodiernam verò disciplinam, beneficium *commendatum* est beneficium regulare Clerico sæculari collatum, ut eo semper fruatur, perindè ac si foret sæculare, ita ut *commenda* nunc verus legitimusque sit titulus.

Beneficium *titulare* illud est quod electionis aut nominationis virtute, summo jure & non quasi precariò administratur & regitur.

4°. Beneficia alia dicuntur *compatibilia* quæ simul possideri possunt ; alia verò *incompatibilia* quæ simul retineri nequeunt. Hujus generis ea sunt omnia, quibus illigatur vel animarum cura, vel aliud officium quo fungi non potest Clericus, nisi in iis beneficiis resideat. Si quæ dispensatio in eo casu à Summo Pontifice obtineretur, apud nos nihil valeret.

CAPUT II.

De variis acquirendi Beneficii modis.

QUINQUE potissimùm sunt modi, sive tituli, quibus beneficia licitè acquiri possunt : 1°. præsentatio ; 2°. electio ; 3°. collatio ; 4°. resignatio in favorem, & permutatio approbata : de quibus singulis agendum.

ARTICULUS PRIMUS.

De Præsentatione.

Præsentatio est nominatio personæ idoneæ, à Patrono facta Prælato, ut ipsi beneficium vacans conferat; Patronatus autem est potestas offerendi Clericum, ut ei conferatur beneficium vacans.

Quæres 1°. quomodò Patronatus acquiratur.

Resp. Eum variis modis potest acquirere aliquis: 1°, si fundum concesserit ad Ecclesiam ædificandam; 2°. si propriis sumptibus Ecclesiam construxerit; 3°. si Ecclesiam dotaverit ipsi largiendo reditus Ministris sufficientes; 4°. præscriptione: ad eam verò requirere solent Jurisperiti nostri possessionem annorum 40, & quidem conjunctam cum tribus *præsentationibus successivis* quæ admissæ fuerint; ita ut nec triplex *præsentatio* sine 40 annorum spatio sufficiat, nec 40 anni sine triplici *præsentatione*; 5°. transfertur Patronatus jure hæreditario, donatione, et cum re venditâ: Patronatus autem ipse venditioni non subjacet: cùm enim aliquid spirituale sibi annexum habeat, nempè jus ad beneficia nominandi, citra simoniam vendi non potest.

Quæres 2°. quotuplex sit Patronatus.

Resp. duplex potissimùm distinguitur, *Ecclesiasticus* & *Laicus*. Prior è bonis ecclesiasticis provenit, ex quibus Clericus aliquis Ecclesiam fundavit, extruxit, vel dotavit; posterior ille est quem sive Laicus, sive Clericus constituit, Ecclesiam suis bonis sæcularibus fundando, vel extruendo, vel dotando. Unde Clericus habere potest jus Patronatûs laici, si vel ipse, vel antecessores sui Ecclesiam ex bonis patrimonialibus

fundaverint. At Laico nonnisi Patronatus laicus competit.

Quæres 3°. quænam sint utriusque discrimina.

Resp. Multa sunt. 1°. Patrono Ecclesiastico sex menses jure canonico tribuuntur ad præsentandum; Laicus verò quatuor tantùm habet, exceptâ Normaniâ, ubi sex menses conceduntur Patronis tùm Ecclesiasticis, tùm Laicis. Ii autem menses computari non incipiunt, nisi à die quo Beneficiarii obitus ad Patroni notitiam pervenire potuit. Si intra illud temporis spatium præsentare neglexerit Patronus, Episcopus jure, ut aiunt, *devoluti* beneficium cui libuerit conferre potest.

2°. Si Patronus Laicus duos *successivè* Clericos offerat, alterutrum pro suo arbitrio instituere potest Episcopus; secùs verò, cùm Patronus est Ecclesiasticus; tunc enim prior tempore, potior est jure. (*Lib.* 3. *decretal. tit.* 38. *cap.* 24.)

3°. Patronus Ecclesiasticus variare non potest, sed unicâ *præsentatione* jus suum exhaurit: unde si indignum nominaverit, jure suo pro hac vice excidi; contrà verò Patronus Laicus variare potest: idcircò si indignum obtulerit, potest alterum qui dignus sit offerre.

4°. Beneficium patronatûs Laici nec resignari, nec permutari, nec pensione onerari potest sine Patroni consensu; secùs verò beneficium Patronatûs Ecclesiastici.

5°. Tandem Patronum Ecclesiasticum prævenire potest Romanus Pontifex. Unde si beneficium priùs conferat, quàm præsentaverit iste Patronus, valet collatio Pontificis; erga Patronos autem Laicos locum non habet Romani Pontificis præventio. Hanc enim non patitur Ecclesiæ Gallicanæ consuetudo.

In eo tamen convenit uterque Patronatus, quod nullus Patronus seipsum præsentare possit. Inter dantem enim & accipientem debet esse aliqua

distinctio ; sed potest filium, si idoneus sit, nominare. Quamvis enim jure civili pater & filius unicam quasi personam efficiant, aliter se res habet in jure canonico.

Articulus II.

De Electione.

Electio est alicujus, præ aliis, ad beneficium vacans optio communibus suffragiis facta, servatis conditionibus à jure præscriptis.

In tota Europa locum non habet electio, quoad *Episcopatus*, *Abbatias* & quosdam *Prioratus*. Ad hujusmodi beneficia sine Cleri suffragio nominant Reges, summique Principes ; sive ex pactis, gallicè *Concordats*, cum Romano Pontifice conflatis ; sive ex indultis ab eo concessis. In sola Germania nunc viget electionis usus.

Quæres quotuplex requiratur conditio ut validæ sint electiones, quæ ex majori suffragiorum numero pendent.

Resp. Requiritur 1°. ut omnes qui jus habent eligendi, juxta usus consuetos vocentur : si enim vel unus fuerit omissus, is obtinere potest ut rescindatur electio. (*Lib.* 1. *Decretal. tit.* 6. *cap.* 38. *pag.* 152.) Si tamen prætermissus, servandæ pacis gratiâ, deindè saltem tacitè consentiat, firma erit electio. In eo quippè casu locum non habet istud juris effatum : *Quod ab initio non valet, tractu temporis non convalescit.* Qui legitimè abest, nec interesse valet, potest per procuratorem uni de Capitulo suum demandare suffragium, eâ tamen lege, ut ne procurator quidem eum detegat cui suffragatur.

2°. Electio quæ fit per suffragia debet esse secreta ; alioquin irrita foret juxta Concilium Lateranense à

Tridentino confirmatum. Jubent Tridentini Patres electionem *fieri per vota secreta, ita ut singulorum eligentium nomina nunquam publicentur ; ... si verò contra hujus decreti constitutionem aliquis electus fuerit, electio irrita sit.* (*Sess.* 25. *de Regular. cap.* 6.)

3°. Libera prorsùs esse debet electio ; nam *cessat electio*, inquit Gregorius X, *dum libertas adimitur eligendi.* (*In Sexto*, *lib.* 1. *tit.* 6. *cap* 3. *pag.* 80.) Idcircò prohibitum est ne restringatur eorum numerus qui eligi possunt, idque rationi maximè consentaneum est : si enim irrita sit electio, ubi prætermissus fuit quisquam eorum quibus competit jus suffragandi, quantò magis nulla esse debet, cùm ex iis qui *vocem passivam*, ut aiunt, habent, aliquis excluditur !

Articulus III.

De Collatione.

Collatio est beneficii vacantis concessio, ab eo facta qui potestatem habet. Duplex distinguitur ; *libera*, cùm scilicèt collator ei cui voluerit beneficium confert ; & *necessaria*, quam tenetur collator ei impertire à quo requisita fuerit, quando nullam habet legitimam illius recusandæ causam. Tales sunt collationes quæ propter *resignationem in favorem* à Summo Pontifice admissam, vel propter *præsentationem* à Patrono factam conceduntur.

Quæres cui competat beneficiorum collatio.

Resp. Conferendi beneficii potestas competit 1°. Papæ qui jus habet Ordinarios in conferendis beneficiis præveniendi, ea tamen in Galliis excipiuntur, quæ sunt Patronatûs laici. Si hujusmodi beneficium conferret Papa, nondùm elapso tempore quod Patronis Laicis ad præsentandum fuit concessum, hæc collatio nullius esset roboris ; si verò

Patronus Laicus intra tempus sibi præfixum nominare neglexisset, & res adhuc esset integra, Ordinarium prævenire posset Romanus Pontifex. Item ubi Patronus Laicus & Patronus Ecclesiasticus ad beneficium per alternas vices præsentant, illud jure præventionis conferre potest Papa, cùm recurrunt Patroni Ecclesiastici vices. Potest etiam conferre eorum Clericorum beneficia, qui in Curiâ Romanâ, vel in locis ab ea non distantibus ultra duas leucas moriuntur. (*In sexto, lib.* 3. *tit.* 4. *cap.* 2. *pag.* 431. *& seq.*)

2°. Episcopus beneficiorum quæ in sua diœcesi sita sunt collator est ordinarius, nisi ex fundatione beneficii, aut legitimâ præscriptione id juris alteri competat, v. g. Capitulo, Decano, Abbati, vel alteri Clerico.

3°. A Capitulis, sive sedes vacet, sive non, conferri possunt beneficia quæ ab eorum solâ collatione pendent. Præterea, sede vacante, ea conferre valent quorum conjunctim cum Episcopo collatores erant. In eo quippè casu speciali jus Episcopi defuncti ad Capitulum devolvitur; non potest autem, sede vacante, ea conferre beneficia quorum collatio pertinet ad Episcopum. Hanc enim debet mortui Præsulis successori reservare. Excipiuntur tamen beneficia parochialia, quæ post Episcopi obitum vacant; quia periculum esset ne fideles Pastore destituti, aliquid detrimenti paterentur.

4°. In Galliis Rex collator est omnium beneficiorum quæ vel à se, vel à suis decessoribus fundata sunt. Præterea, sede vacante, omnia, exceptis parochialibus, confert beneficia quæ à collatione Episcopali pendent. Hoc sibi vindicat jure, ut aiunt, *regalium*, gallicè *droit de régale*.

ARTICULUS IV.

De Resignatione & Permutatione.

Resignatio est libera beneficii dimissio facta inter manus Superioris, qui eam excipiendi jus habeat. Dixi autem *libera*; si enim metu injusto & gravi, vel dolis extorqueretur, nulla esset. (*Lib.* 1. *Decretal. tit.* 9. *pag.* 226. *& seq.*)

Duplex distinguitur; alia *simplex* quæ fit sine conditione & pacto; alia *conditionalis* sive *in favorem*, quæ scilicèt adjunctam habet conditionem hanc, ut beneficium Clerico conferatur, qui in supplicatione proponitur.

Quæres 1°. quænam sint utriusque illius resignationis discrimina.

Resp. tria potissimùm esse. 1°. In resignatione simplici & absolutâ potest collator cui libuerit beneficium conferre; in *resignatione verò in favorem*, tenetur Papa beneficium ei dare, in cujus gratiam facta est resignatio, & qui in supplicatione nominatim designatur; alioquin irrita esset *provisio*, quia tunc non vacaret beneficium. (*In Sexto, lib.* 3. *tit.* 10. *pag.* 524. *& 525.*)

2°. Si post admissam resignationem simplicem, beneficium recusat *resignatarius*, illud alteri conferre potest collator. (*In sexto, lib.* 3. *tit.* 4. *cap.* 17. *pag.* 455. *& 456.*) Ubi autem resignatio sit in favorem, si beneficium non accipiat *resignatarius*, illius titulum & possessionem retinet resignans.

3°. Ubi agitur de *resignatione in favorem*, ad ineundam possessionem sex menses habet *resignatarius*; unum verò duntaxat, ubi resignatio est simplex: tempus illud computari incipit à die quo resignationes admissæ fuerunt.

Quæres 2°. an licitæ sint resignationes puræ &

ſimplices beneficiorum, quibus annexa eſt animarum cura.

Reſp. licitas eſſe, modò iis in circumſtantiiis fiant, quas exigit Innocentius III. Prima, ſi commiſſa fuerit gravis culpa quæ, vel etiam peractâ pœnitentiâ, impediat ne quis functiones beneficio illigatas dignè & utiliter exerceat ; ſecunda, *eſt debilitas corporis qua, vel ex infirmitate, vel ex ſenectute procedit ;* tertia, *defectus ſcientiæ competentis, quæ circa adminiſtrationem ſpiritualium eſt potiſſimùm neceſſaria* ; quarta, *malitia plebis, quando plebs adeò duræ cervicis exiſtit, ut Paſtor proficere non poſſit apud ipſam* ; quinta, *cùm retineri nequit beneficium ſine ſcandalo, cui aliter quàm renuntiatione occurri non poſſit* ; ſexta, *perſonæ irregularitas. (Lib. 1. Decretal. tit. 9. cap. 10. pag. 232. & ſeq.)*

Quæres 3°. an peccent qui citra ullam è præfatis cauſis beneficia abdicant, quibus annexa eſt animarum cura.

Reſp. eos vulgò peccare, quia paſtor ſpirituale quoddam cum Eccleſia ſua matrimonium contrahit, cujus vinculum juxta Canones ita firmum eſt, ut ſine graviſſima cauſa diſrumpi nequeat. Hinc maximè redarguendi ſunt Paſtores, qui Parochias ruſticanas abjiciunt ; quia eas non ſatis ſibi honorificas exiſtimant. Non parùm etiam improbandi ſunt, qui ſua beneficia eo conſilio dimittunt, ut labori ſeſe ſubducant, commodiùſque vivant. Longè aliter ſentiebat Apoſtolus qui, licèt mortem ſummoperè exoptaret, ut Chriſto citiùs pleniùſque frueretur, diutiùs tamen cum fratribus ſuis in terris degere non refugiebat, ut eorum ſaluti, quantùm in ſe erat, adlaboraret : *Deſiderium habens diſſolvi & eſſe cum Chriſto, manere autem in carne neceſſarium propter vos. (Philip. 1. 23.)*

Quæres 4°. à quo debeat admitti *reſignatio in favorem*, quâ Clericus beneficio ſuo eâ conditione renuntiat, ut tali perſonæ quam nominatim deſignat conferatur.

Reſp. eam à Summo tantùm Pontifice admitti poſſe : ratio eſt, quòd hujuſmodi reſignationes antiquis Canonibus adverſentur ; alii ſcilicèt vetant ne Beneficiarii ſuos ſucceſſores eligant, ut hæreditariæ beneficiorum eccleſiaſticorum poſſeſſioni omnis aditus intercludatur ; alii quodcumque pacti genus in rebus ſpiritualibus interdicunt : *in ſpiritualibus omnis pactio, omniſque conventio debet omninò ceſſare. (Lib. 1. Decretal. tit. 35. cap. 8. pag. 444.) Pactio circa ſpiritualia, vel connexa ſpiritualibus, labem ſemper continet ſimoniæ. (Ibid. lib. 3. tit. 19. cap. 5. pag. 1135.)* Reſignationes autem in favorem non ſine aliquo pacto fiunt ; ſiquidem conditionem hanc adjunctam habent, ut beneficium tali duntaxat Clerico conferatur ; ſimoniam igitur involvunt, quam jure tantùm eccleſiaſtico introductam aiunt plerique juris canonici tractatores. Ab ea proindè liberare, inquiunt, poteſt Summus Pontifex ; at ſolus id valet.

Quæres 5°. quænam regulæ à Summis Pontificibus conſtituæ fuerint, ut fraudibus occurrerent ad reſignationes pertinentibus.

Reſp. Cùm reſignationes fraudibus locum darent, quæ eò ſpectabant ut hæreditaria in beneficiis ſucceſſio induceretur, & collatores ſuo jure fraudarentur, Summi Pontifices duas ſtatuerunt regulas quibus malum hoc repellerent.

Prima dicitur de *infirmis reſignantibus*. Ita ſe habet : *Voluit* (Papa) *quod ſi quis in infirmitate conſtitutus reſignaverit aliquod beneficium, ſive ſimpliciter, ſive ex cauſa permutationis, & poſteà infra viginti dies, à die per ipſum reſignantem præſtiti conſenſûs computandos, de ipſa infirmitate deceſſerit, ac ipſum beneficium quâvis autoritate conferatur*

per resignationem sic factam, collatio hujusmodi nulla sit, ipsumque beneficium per obitum vacare censeatur. (*d'Héricourt, Loix Eccléſ. édit. de* 1721, *pag.* 344. & 345.)

Notandum 1°. Regula hæc in iis tantùm resignationibus locum habet, quæ fiunt inter manus Summi Pontificis; 2°. viginti dies præfatâ regulâ præscripti non computantur, nisi à die quo resignatio à Papa vel Legato fuit admissa; 3°. dies tùm illius admissionis, tùm obitûs minimè numerandi sunt inter viginti dies qui completi esse debent, juxta articulum 17 edicti regii quod vulgo dicitur, *Edit du contrôle*.

Secunda regula dicitur *de publicandis resignationibus*. In ea statuitur resignationes quascumque publicandas esse in locis ubi sita sunt beneficia. Publicantur autem cùm in possessionem veniunt *resignatarii*, quod fieri debet intra sex menses, à die quo resignatio fuit admissa computandos. Valet tamen possessio ante triennium elapsum inita, si modo in acta publica relata fuerit (gallicè *insinuée*) duobus diebus integris ante obitum resignantis; alioquin nulla erit resignatio, juxta art. 12. edicti 1691, quod gallicè appellatur *Edit des insinuations*. (*d'Héricourt ibid. pag.* 348.) Eo consilio instituta fuit regula *de publicandis resignationibus*, ut fraudi satis communi occurreretur: scilicèt *resignatarii*, postquàm admissæ fuerant resignationes in ipsorum favorem factæ, eas apud se occultè servabant, ad obitum usque resignantis, ita ut iste suo beneficio, quandiù vivebat, frueretur; quo mortuo, resignationem sibi factam ostendebat *resignatarius*: ex ea fraude contingebat ut hæreditaria fieret in beneficiis successio, suoque jure privarentur collatores.

Quæres 6°. quid sit regressus (gallicè *regrès*) & quandonam locum habeat.

Resp. *Regressûs* nomine intelligitur ad beneficium resignatum vel permutatum reversio. A Concilio Tridentino sic generatim prohibetur: *Nemini in posterum .... regressus .... ad beneficium ecclesiasticum cujuscumque qualitatis concedatur; .... hocque decretum in quibuscumque beneficiis ecclesiasticis ac in quibuscumque personis, etiam Cardinalatûs honore fulgentibus, locum habeat.* (*Sess.* 25. *de reform. cap.* 7.) Eumdem reprobat Pius V in Bulla an. 1571, quæ incipit, *Romani Pontificis*. Sed neutrum illud decretum in Galliis receptum est, ubi variis in casibus permittitur *regressus*.

Si quis in gravi infirmitate constitutus beneficium resignaverit, huic post recuperatam valetudinem conceditur facultas regressûs, *sive purè resignaverit, sive in favorem, sive impliciter, sive sub pensionis reservatione*, ait *Cabassut*. (*Theor. & praxis juris canon. lib.* 2. *cap.* 18. *n.* 6. *pag.* 134. *col.* 2. *édit. nov. in-fol. an.* 1738.) Hæc Ecclesiæ Gallicanæ jurisprudentia & consuetudo nititur tùm edicto Ludovici XIII an. 1638, art. 20; tùm istâ ratione, quod non satis liberæ videantur resignationes quæ, imminente mortis periculo, fiunt: tunc enim multa propter metum facere consuevimus, de quibus, cessante periculo, ne quidem cogitaremus. Sæpè Clerici, postquàm convaluissent, in extremam paupertatem conjicerentur, eorumque laboribus fraudaretur Ecclesia, nisi possent sua in beneficia restitui.

Quæres 7°. utrùm liceat unum beneficium cum altero permutare.

Resp. Permutatio hæc adjunctam habet simoniæ labem, si non propter Ecclesiæ utilitatem, sed commodi alicujus temporalis intuitu fiat. *In permutatione*, inquit S. Thomas, *est simonia, si pro aliquo terreno commodo utriusque vel alterius, talis commutatio fiat; si autem pro aliquo spirituali, ut potè quia hic in illo loco melius possit Deo servire, non est simonia.* (*In.* 4. *dist.* 25. *q.* 3. *art.* 3. *ad* 8.)

Potest prælatus, inquit, *ex officio suo permutationes hujusmodi facere pro causa utili vel necessaria.* (2. 2. *q.* 100. *art.* 1. *ad.* 5.) Hic facile esset multos proferre canones, quibus ab uno beneficio ad alterum translatio interdicitur, quando fit citra Ecclesiæ necessitatem vel utilitatem. Graviter igitur peccant Clerici, qui à suis beneficiis ad majora, vel ambitionis dominationisque causâ, vel inexplebili divitiarum cupidine, vel propriæ delectationis intuitu transcurrunt.

CAPUT III.

De iis quæ hominem faciunt possidendis Beneficiis inhabilem.

MULTA sunt, nempè excommunicatio, suspensio, irregularitas, defectus vel ætatis, vel Tonsuræ, vel cælibatûs, vel Ordinis requisiti, vel gradum, vel natalium, vel intentionis necessariæ. Cùm autem de tribus primis impedimentis jam satis dictum fuerit in Tractatibus *de censuris & irregularitatibus*, superest ut de reliquis pauca delibemus.

ARTICULUS PRIMUS.

De ætatis & Tonsuræ defectu.

Quæres 1°. quænam ætas beneficiis suscipiendis idonea sit.

Resp. eam variam esse pro variis beneficiis. Qua in re jus gallicum cum jure communi non semper consentit. 1°. Ad Episcopatum jure communi requiritur ut promovendus *jam trigesimum ætatis annum exegerit; lib.* 1. *decretal. tit.* 6. *cap.* 7: *pag.* 115. jure autem gallico satis est ut annum 27. inchoaverit. *Statuimus & ordinamus, quòd.... Rex Franciæ ....unum gravem Magistrum... in* 27 *suæ ætatis anno ad minùs constitutum..... nominare possit.* Verba sunt *Concordati* inter Leonem X, & Franciscum I. (*Tit.* 3. *Mém. du Clergé*, *tom.* 10. *pag.* 95. *édit. an.* 1722.)

2°. *Ad dignitates quibus animarum cura nulla subest*, inquit concilium Tridentinum, *Clerici alioquin idonei, & viginti duobus annis non minores asciscantur.* (*Sess.* 24. *de reform. cap.* 12.) Quæ verba intelligenda sunt de 22 annis completis. Garcias enim refert declarationem Cardinalium Concilii Tridentini interpretum anni 1591, quæ sic habet: *Congregatio censuit* (ad obtinendam in Cathedrali vel Collegiata dignitatem) *non curatam requiri ætatem annorum* 22 *completam.* (*Part.* 7. *cap.* 4. *n.* 70. *pag.* 62. *col.* 2.) Edicto autem an. 1606, (art. 1.) sancitum est ut qui Cathedralium dignitates obtinent, ad sacerdotium promoveantur intra annum à die pacificæ possessionis. (*Mém. du Clergé tom.* 12. *pag.* 649. *édit. ann.* 1750.) Unde colligere est ad eas dignitates in Gallia requiri diem unum supra annos 23.

3°. Jure communi beneficia & dignitates quæ annexam animarum curam habent, iis tantùm conferri possunt, qui jam vigesimum quintum ætatis suæ annum attigerint. (*Lib.* 1. *Decretal. tit.* 6. *cap.* 7. *pag.* 116.) Declaratio autem regia data Versaliis an. 1742 sic jubet: *Voulons que nul Ecclésiastique ne puisse être pourvu dorénavant d'une Cure ou autre bénéfice à charge d'ames, ... s'il n'est actuellement constitué dans l'ordre de prêtrise, & s'il n'a atteint l'âge de* 25 *ans accomplis.* (*Mém. du Clerg. ubi suprà*, *pag.* 654.)

4°. De Canonicatu *maxima est dissentio inter* Doctores, ait Fagnanus; (*In* 2. *part. primi lib.*

decretal. pag. 41. *col.* 1. *edit. Rom. an.* 1661.) alii septennium duntaxat, alii annos 14 requirunt. In Galliis autem vulgò sequimur regulam 17 Cancellariæ Romanæ, quæ ad Canonicatus Cathedralium exigit annos 14, & decem ad Canonicatus Collegiatarum.) *Vide d'Héricourt. part.* 2. *de benef. cap.* 2. *n.* 8.)

5°. Ad beneficia simplicia requiruntur à Concilio Tridentino anni 14; (*Sess.* 23. *cap.* 6. *de réform.*) ex consuetudine autem gallica sufficit septennium.

Quæres 2°. an prorsùs necesse sit Tonsuram clericalem accepisse, ut beneficium obtineri possit.

Resp. nullum, cujuscumque generis sit, beneficium ei conferri validè posse, qui nondùm primâ Tonsurâ est initiatus. (*Lib.* 1. *decretal. tit.* 36. *pag.* 448 & 449. -- & *ibid. lib.* 3. *tit.* 7. *cap.* 2. *pag.* 1063.)

ARTICULUS II.

De Cœlibatûs & Ordinis requisiti defectu.

Quæres 1°. utrùm cœlibatus ad beneficium validè obtinendum sit omninò necessarius.

Resp. Cœlibatus expressè exigitur. Sic enim hortatur Alexander III: *Provideas attentiùs, ne deinceps Clericus conjugatus ad beneficia ecclesiastica, vel sacros Ordines aut administrationes ecclesiasticas admittatur.* (*Lib.* 3. *decretal. tit.* 3. *cap.* 2. *pag.* 1008.) Per matrimonium subsequens *ipso facto* vacat beneficium. (*Ibid. cap.* 3. *pag.* 1009.) Utrùm verò Clericus per nuptias invalidas suum ipso jure amittat beneficium, controvertitur. Alii negant; 1°. quia Canones, inquiunt, ideo Clericum conjugii vinculis implicatum ejus beneficio exuunt, quia officio simul & uxori vacare non potest: hæc

hæc autem ratio locum non habet, quando irritum est matrimonium; 2°. quia leges pœnales benigniori sensu intelligi debent. Affirmant verò alii, quia *non decet ut stultus*, qualis est Clericus invalidas nuptias tentans, *melioris, quàm peritus, conditionis existat.* (*In Sexto, lib.* 3. *tit.* 4. *cap.* 18. *pag.* 457.) Ita sentiunt & judicant supremæ Galliarum Curiæ.

Quæres 2°. utrùm ad beneficium consequendum, necesse sit ut habeatur Ordo sine quo exerceri non possunt functiones beneficio annexæ.

Resp. 1°. Apud nos usus iste prævaluerat, ut qui intra annum poterat ad sacerdotium promoveri, posset etiam beneficia quibus subest animarum cura recipere & possidere: sed consuetudinem hanc abrogavit Ludovicus XV declaratione anni 1742, ubi ita constitutum est: *Voulons que nul Ecclesiastique ne puisse être pourvu dorénavant d'une Cure ou autre bénéfice à charge d'ames, ... s'il n'est actuellement constitué dans l'Ordre de Prêtrise; .... faute de quoi voulons que sans avoir égard aux provisions obtenues, qui seront regardées comme nulles & de nul effet, ... ladite Cure, ou ledit bénéfice soient censés vacans.* (*Mém. du Clerg. tom.* 12. *pag.* 654.)

Resp. 2°. Ad alia beneficia quibus annexum non est animarum regimen possidenda, satis est ut Clericus intra annum Ordines requisitos suscipere valeat. (*Lib.* 1. *Clementin. tit.* 6. *cap.* 2. *p.* 63.) Annus autem ille ex Galliarum usu, suum habet exordium à die pacificæ possessionis. Ita sancitum est, tùm edicto Blesensi, tùm edicto an. 1606. (*Mém. du Clergé, ubi suprà, pag.* 648 & 649.)

Ubi tamen beneficium ex ipso fundationis titulo aliquem ex sacris Ordinibus requirit *in instanti provisionis*, tunc ei tantùm conferri potest, qui jam Ordines illos susceperit; alioquin in Galliis irrita esset collatio, etiam post impetratam à Papa dispen-

sationem, quia fundationibus derogandi jus non habet. Ita Collator Andegavensis.

ARTICULUS III.

De Graduum defectu.

Graduati, ait Concordatum, ii sunt *qui per tempus competens in universitate famosa*, quæ scilicèt quatuor Facultatibus constet, *studuerint.* (*Tit. 5. de collat. sect. 4. Præterea.*)

Quæres 1°. quænam sint beneficia & dignitates, quæ sine gradibus obtineri nequeunt.

Resp. 1°. Juxta Concordatum, Parochiæ in urbibus, aut villis muro circumdatis sitæ, nulli, nisi saltem Magister artium fuerit, conferri possunt. (*Tit. de collat. sect. 10. Statuimus.*) Ita etiam requiritur edictis, tùm Ludovici XII an. 1499; (*art. 6.*) tùm Henrici II an. 1551. Id pariter ex usu nostro locum habet erga Parochias quæ in suburbiis civitatum mœnibus cinctarum constitutæ sunt. Quæ omnia videas in Commentariis Cleri Gallicani. (*Tom. 10. pag. 103. — 181 & 182. — 197. — 226. & seq.*)

2°. Edicto an. 1606, (*art. 31.*) sancitum est neminem ad Cathedralium, & primarias Collegiatarum dignitates promovendum esse, nisi in Theologia aut in jure canonico gradus fuerit consecutus: alioqui collatio nulla & irrita declaratur. (*Ibid. pag. 206.*)

3°. Ex edictis, tùm Aurelianensi, (*art. 8.*) tùm Blesensi, (*art. 33.*) ut quis Præbendam Theologalem obtineat, Doctor sit in Theologia vel Licenciatus necesse est, nec sufficerent Baccalaurei gradus. (*Ibid. pag. 218.*)

4°. Qui ad Episcopatum evehitur, Doctor aut Licentiatus in Theologia, vel Jure sive civili, sive canonico esse debet, ex Concordato. (*Tit. 3. de regia ad Prælaturas nominatione.*) Quod confirmatum fuit, tùm edicto Blesensi, (*art. 1.*) tùm edicto an. 1606. Ab ea lege excipiuntur in Concordato 1°. Principes, viri *sublimes*, & ii sunt quos nomine *consobrini* Rex honestat; 2°. Religiosi quibus ex Ordinis sui statutis non licet gradus assequi. (*Mém. du Clergé, ibid. pag. 95. & 201.*)

Observatio.

Cùm ab Ecclesia & Principibus constitutum est, eos tantùm ad gravia quædam beneficia esse promovendos, qui gradus adepti essent, ea profectò ipsis mens fuit, ut hujusmodi beneficia vel dignitates à viris scientiæ non mediocris impetrarentur. Maximè enim credibile est, eum qui tantùm temporis in aliqua Academia studiis impendit, satis amplam doctrinæ copiam comparasse. Unde sequitur 1°. graviter illos peccare, qui scientiâ non satis instructi, vi graduum beneficia obtinent; 2°. eos qui, licèt per tempus requisitum in Academia non studuerint, propter gradus sub falsis testimoniis subreptos beneficia consequuntur, teneri ea dimittere; tùm quia patronum aut collatorem suo jure defraudant, tùm quia aliis nocent qui in studiis diligentiorem industriam posuêre; 3°. gravis culpæ conscios esse Rectores aut Professores qui gradus imperitis conferunt; vel qui fraudi juvenum patrocinantur, testando eos ipsorum lectionibus accuratè interfuisse, quamvis frequentiùs abfuerint: fidem enim publicam in re maximi momenti fallunt, & injuriam iis faciunt qui constanti labore gradus adepti sunt.

ARTICULUS IV.

De naturalium defectu.

Quæres 1°. an Clericus non legitimus possit beneficium validè obtinere.

Resp. non posse, nisi dispensationem impetraverit, sive manifestum, sive occultum sit illud impedimentum. (*Lib. 1. decretal. tit. 17. c. 1. p. 283.*) Hanc verò dispensationem, quoad majores Ordines, dignitates & beneficia quibus illigatur animarum cura, solus Papa concedere potest. (*Ibid. cap. 18. pag. 292.*) Ubi autem agitur de Tonsura, de minoribus Ordinibus, de beneficio simplici, dispensare potest Episcopus.

Quæres 2°. utrùm nothus, post acceptam dispensationem pro Tonsura & minoribus Ordinibus suscipiendis, possidendo alicui beneficio, citra specialem aliam dispensationem, sit idoneus.

Resp. non esse. Dispensationes enim, cùm sint quasi totidem vulnera juri communi inflicta, debent intra ea restringi, quæ in iis expressè significantur. Ita Sylvius: *Petes*, inquit, *an illegitimus cum quo est dispensatum, ut possit accipere primam Tonsuram & minores Ordines, eo ipso sit habilis ad beneficia simplicia: respondeo sententiam negativam esse communiorem, eo quòd juris ac legis relaxatio, cùm sit odiosa, strictè sit intelligenda.* (*In 2. 2. quæst. 63. art. 2. tom. 3. pag. 401. col. 1. Edit. Antuerp. an. 1667.*)

Itaque nothi qui à Sede Apostolica dispensationem obtinere volunt, ut possint ad Ordines & beneficia promoveri, eam generalem postulare debent, quâ fiant ad quæcumque beneficia habiles. Debent præterea clarè exponere quodnam sit natalium vitium; an nati fuerint ex soluto & soluta;

ap verò ex soluta & viro matrimonii vinculis obstricto; utrùm ex Sacerdote, an ex Laico: iis enim qui ex graviori crimine nati sunt, difficiliùs conceditur dispensatio.

ARTICULUS V.

De intentionis ad Beneficium ritè possidendum requisitæ defectu.

Cùm ea fuerit in beneficiis instituendis Ecclesiæ mens, ut Clerici à rerum temporalium sollicitudine expediti, in Dei cultum & utilitatem Ecclesiæ suam omnem operam conferrent, sequitur graviter peccare 1°. eos qui superbiæ & ambitioni servientes, beneficia, ut aliis dominentur, arripiunt; 2°. qui bonorum temporalium cupiditate potissimùm ad capessenda beneficia moventur: *Illud quippè est contra ordinem caritatis*, inquit S. Antoninus: ... *est enim de ordine dilectionis, ut diligatur prius salus animarum, quàm corporum; sed hunc ordinem talis pervertit, præferens temporalia quæ ordinantur ad corpus, scilicèt divitias .... saluti animarum;* (*2. part. tit. 3. cap. 5. §. 4.*) 3°. qui obrepunt ad beneficia, ut otiosam, molliorem, deliciis sensuumque voluptatibus affluentem vitam agant. *Optandum est*, ait Synodus Tridentina, *ut qui episcopale ministerium suscipiunt, quæ suæ sint partes agnoscant, ac se non ad propria commoda, non ad divitias aut luxum; sed ad labores & sollicitudines pro Dei gloria vocatos esse intelligant.* (*Sess. 25. de reform. c. 1.*) Quæ ibi de Episcopis dicta sunt, ad omnes etiam Beneficiarios pertinent.

Quæres an graviter peccet qui beneficium accipit, non eâ mente ut Ecclesiæ serviat, verùm ut ex illius fructibus vivat, donec studia absolverit,

vel uxorem opulentam invenerit, vel hæreditatem adierit quam expectat.

Resp. eum mortaliter peccare: Hujusmodi quippè Clerici *fraudant Ecclesiam*, inquit Alexander *de Halès: ad hoc enim dantur beneficia Ecclesiæ, ut serviant Ecclesiis; ergo sunt sacrilegi & raptores.* (*Part. 3. summ. q. 36. membr. 5. art. 2.*) Propositam quæstionem sic expressè dirimit Sylvius: *Qui vel Canonicatus, vel alia beneficia recipiunt aut possident, ut eorum fructibus alantur, donec studia absolverint, aut donec uxorem sibi convenientem invenerint, postea dimissuri, peccant mortaliter & obligati sunt vel ea statim relinquere, vel propositum habere vivendi more Clericorum.* (*In 2. 2. S. Thomæ, quæst. 63. art. 2. ubi suprà, pag. 406. col. 1.*)

CAPUT IV.

De lege digniorem ad Beneficia eligendi.

DIGNIOR censendus, qui ministerio utilior est. Id verò non ex una vel altera dote æstimandum est, verùm ex omnibus eligendorum dotibus diligenter excussis, quæ cum variis officiis beneficio conferendo illigatis comparari debent; ita ut ille dignior habendus sit, quem dotibus ad hoc vel illud beneficium requisitis instructiorem esse, prævio diligentique examine constiterit.

PROPOSITIO I.

Qui, prætermisso digniore, confert minùs digno beneficium adjunctam habens animarum curam, graviter peccat.

Probatur 1°. Acceptio personarum est peccatum ex genere suo mortale, & maximè in distribu-

tione bonorum ecclesiasticorum. *Cùm enim* (spiritualia) inquit S. Thomas, *sint temporalibus potiora, gravius peccatum est accipere personas in dispensatione spiritualium, quàm in dispensatione temporalium:* (*2. 2. q. 63. art. 2. in corp.*) atqui ubi, neglecto digniore, beneficium minùs digno confertur, ibi adest personarum acceptio; in eo quippè sita est, quòd in bonis sive Reipublicæ, sive Ecclesiæ distribuendis, attendatur non ad meritum, verùm ad quamdam personæ conditionem, quæ nihil ad officium, vel beneficium pertinet, quales sunt consanguinitas, amicitia. *Quod consideratur in eo qui minùs est idoneus*, ait S. Thomas, *ad hoc quòd magis idoneo præferatur, est aliqua conditio indebitè movens, vel familiaritas, vel consanguinitas, vel aliquod hujusmodi: non enim potest esse aliqua conditio pertinens ad Prælati idoneitatem; ..... & sic in tali electione erit acceptio personarum, quæ sine peccato non sit.* (*Quodlib. 8. q. 4. art. 6. in corp.*) Ergo, &c.

Prob. 2°. ex Concilio Tridentino: Declarat enim *omnes & singulos qui ad promotionem præficiendorum quodcumque jus ..... habent, aut alioquin operam suam præstant, ... alienis peccatis communicantes mortaliter peccare, nisi quos digniores & Ecclesiæ magis utiles ipsi judicaverint, ... præfici diligenter curaverint.* (*Sess. 24. de reform. cap. 1.*) Quod hic de Episcopis eligendis, idem alibi de Parochis statuit. Jubet enim Episcopum ex Clericis qui examinati fuerint, eum eligere quem digniorem judicaverit, cui committatur parochialis Ecclesiæ vacantis cura; *Episcopus ex dignis eligat digniorem.* (*Ibid. cap. 18.*)

Cùm autem benigniores quidam Casuistæ incommodam hanc vocem *digniorem* adulterarent, eam intelligendo vel de *dignis* simpliciter, vel de casu in quo fieret concursus, falsam hanc interpretationem damnavit Innocentius XI an. 1679, *ut in praxi perniciosam, & scandalosam.* (*Conti-*

nuat. magn. Bullar. Rom. edit. Luxemburg. an. 1739. *tom.* 2. *pag.* 256.) De eadem sic pronuntiavit Clerus Gallicanus in Comitiis ann. 1700 : *Hæc ..... Concilio Tridentino contraria est, Ecclesiæ utilitati, ac saluti animarum quæ à Pastorum delectu præcipuè pendet, adversatur. (Mém. du Clerg. tom.* 1. *pag.* 730. *edit.* 1716.)

Dices 1°. Concilium Tridentinum id unum præcipit, ut scilicèt *inferiora beneficia ecclesiastica, præsertim curam animarum habentia, personis dignis & habilibus ... conferantur. (Sess.* 7. *de reform. c.* 3.) Ergo non jubet eligi digniorem.

Resp. Neg. conseq. Concilium enim eò loci non agit de electione ad quam tenentur Patroni & Collatores, ut in foro conscientiæ à peccato sint liberi ; sed tantummodo exponit quid requiratur ut collatio in foro exteriori valida sit. Suam mentem satis declarat, dum statim subjungit : *Aliter autem facta collatio omninò irritetur.* Cùm autem electio & collatio valeat in foro extreno, nec à Judice rescindi possit, si beneficia *dignis & habilibus* conferantur, non mirum est quòd de *dignioribus* ibi nihil dixerit S. Synodus. Qua de re audiamus S. Thomam : *Quantum ad hoc quòd electio impugnari non possit in foro judiciali, sufficit eligere bonum, nec oportet eligere meliorem, quia sic omnis electio posset habere calumniam ; sed quantùm ad conscientiam eligentis, necesse est eligere meliorem.* (2. 2. *q.* 63. *art.* 2. *ad* 3.)

Dices 2°. Sic jure canonico statuitur : *Dignus qui est de gremio Ecclesiæ, præferendus est extraneo digniori. (Decret. part.* 1. *pag.* 398. & 399.) Ergo non semper anteferendi sunt digniores.

Resp. Neg. conseq. Ex eo quòd enim in conferendo alicujus Ecclesiæ beneficio anteferendus sit Clericus dignus, qui sit ex illius Ecclesiæ gremio, non sequitur digniores non esse semper eligendos ; siquidem Clericus aliundè dignus, Ecclesiæ suæ utilior esse solet, ac proindè dignior

ratione boni communis, quàm extraneus ; quia illius mores & consuetudines magis perspectas habet & exploratas, ipsique est magis devinctus & addictus.

Propositio II.

Generatim peccant graviter qui ad Beneficia, etiam simplicia, minùs dignos eligunt, prætermissis dignioribus.

Probatur. Illa electio generatim ut peccatum mortale habenda est quæ adversatur juri canonico, rectæ rationi, & fini propter quem instituta sunt beneficia : atqui electio minùs digni adversatur, &c. Et 1°. quidem juri canonico : vetat enim ne beneficia, vel simplicia, minùs dignis conferantur. Nam Concilium Basileense œcumenicum generatim decernit, ut electores jurent *Deo & Sancto vel Sanctæ sub cujus vocabulo dedicata est Ecclesia, eum eligere quem credent futurum Ecclesiæ in spiritualibus & temporalibus utiliorem.* (*Tom.* 12. *Concil. pag.* 514.)

2°. Electio minùs digni opponitur rectæ rationi. Hæc quippè vetat ne rei alienæ administrator, domini sui commoda negligat : atqui in Ecclesia vices administratorum gerunt qui beneficia distribuunt. Horum enim *Prælatus non est dominus*, ait S. Thomas, *ut possit ea dare pro libito, sed dispensator.* (2. 2. *q.* 63. *art.* 2. *ad* 1.) Vetat igitur recta ratio ne beneficiorum distributores, in iis conferendis, Dei & Ecclesiæ gloriam & utilitatem negligant ; quod procul dubio faciunt, dum beneficia minùs dignis largiuntur.

3°. Hujusmodi electio adversatur fini propter quem instituta sunt beneficia. Ad cultum enim Dei & Ecclesiæ utilitatem ac gloriam, & quasi præmia virtutis quibus digniores donarentur, instituta sunt : atqui ab iis finibus aberrant qui in con-

ferendis beneficiis, etiam simplicibus, digniores prætermittunt, consanguinitate, privatâ amicitiâ, aut Magnatum commendatione ducti; ergo tùm à jure canonico, tùm à recta ratione, tùm à fine propter quem instituta sunt beneficia pariter recedunt; ergo generatim censendi sunt mortaliter peccare.

Diximus autem *generatim*, quia nonnulli possunt casus occurrere, in quibus sine peccato, etiam veniali, beneficia simplicia minùs dignis conferantur; 1°. si alimenta subministranda sint Pastori infirmo, qui obeundis suis muniis impar, ab animarum cura removeri debeat; 2°. si cui Sacerdoti aut Clerico indigenti non aliter subveniri possit, quàm beneficii alicujus simplicis concessione; 3°. cùm impediri non potest Clerici prorsùs indigni electio, nisi minùs dignum eligendo; tunc enim Ecclesiæ utilitati consulitur.

Quæres utrùm in resignationibus & permutationibus locum habeat digniorem eligendi obligatio.

Resp. cum Sylvio resignantem (idem dixeris de permutante) qui digniorem non eligit, *non excusandum esse quia etsi iste non sit Collator, vel Patronus; est tamen causa cur illud beneficium conferatur minùs idoneo; qui autem causam damni dat, damnum dedisse videtur; neque illi soli peccant, qui ipsum peccati opus faciunt; sed etiam qui vel causa sunt ut fiat, vel consentiunt facientibus: ac proindè sive cognati, sive amici qui talem resignationem procurant, graviter delinquunt.* (*Ubi suprà, pag.* 413. & 414.)

CAPUT V.

Utrùm plura simul Beneficia possidere liceat.

Ex beneficiis alia dicuntur *incompatibilia* quæ scilicèt, vel postulant ut in diversis locis residetur, quales sunt duo Episcopatus, duæ Parochiales Ecclesiæ; vel quæ in eadem Ecclesia adjunctum sibi habent idem ministerium & officium eodem tempore implendum, ut duo Canonicatus *sub eodem*, ut aiunt, *tecto*. Alia dicuntur *compatibilia*, & ea sunt quæ nec residendi in diversis locis obligationem important, nec idem officium eodem tempore persolvendum. Hæc distinctio Majoribus nostris prorsùs erat incognita, & nonnisi exeunte sæculo XII initium habuit, eamque *ex Clericorum malitia usurpatam* scribit Guillelmus Parisiensis. (*Lib. de Collat. beneficior. cap.* 6. *tom.* 2. *Edit. Aurelian. an.* 1674. *pag.* 260. *col.* 2.)

Apud omnes certum est, nequidem in foro exteriori, posse duo beneficia *incompatibilia* retineri. Primum enim beneficium *ipso jure* vacat, statim ac secundi inita est possessio. (*Lib.* 3. *decretal. tit.* 5. *cap.* 28. *pag.* 1049. & 1050.) A Concilio autem Tridentino duo beneficia simul *ipso facto* vacantia declarantur, nisi intra sex menses alterutrum fuerit dimissum, *quibuscumque dispensationibus non obstantibus.* (*Sess.* 24. *de reform. cap.* 17.) In Galliis tamen per unum annum retineri possunt duo beneficia *incompatibilia*, sed alterutrius optionem fieri intra illud tempus necesse est. Tota igitur disputatio est de iis beneficiis quæ dicuntur *compatibilia* & *simplicia*. Quâ de re sit.

ferendis beneficiis, etiam simplicibus, digniores prætermittunt, consanguinitate, privatâ amicitiâ, aut Magnatum commendatione ducti; ergo tùm à jure canonico, tùm à recta ratione, tùm à fine propter quem instituta sunt beneficia pariter recedunt; ergo generatim censendi sunt mortaliter peccare.

Diximus autem *generatim*, quia nonnulli possunt casus occurrere, in quibus sine peccato, etiam veniali, beneficia simplicia minùs dignis conferantur; 1°. si alimenta subministranda sint Pastori infirmo, qui obeundis suis muniis impar, ab animarum cura removeri debeat; 2°. si cui Sacerdoti aut Clerico indigenti non aliter subveniri possit, quàm beneficii alicujus simplicis concessione; 3°. cùm impediri non potest Clerici prorsùs indigni electio, nisi minùs dignum eligendo; tunc enim Ecclesiæ utilitati consulitur.

Quæres utrùm in resignationibus & permutationibus locum habeat digniorem eligendi obligatio.

Resp. cum Sylvio resignantem (idem dixeris de permutante) qui digniorem non eligit, *non excusandum esse quia etsi iste non sit Collator, vel Patronus; est tamen causa cur illud beneficium conferatur minùs idoneo; qui autem causam damni dat, damnum dedisse videtur; neque illi soli peccant, qui ipsum peccati opus faciunt; sed etiam qui vel causa sunt ut fiat, vel consentiunt facientibus: ac proindè sive cognati, sive amici qui talem resignationem procurant, graviter delinquunt.* (*Ubi suprà, pag.* 413. & 414.)

CAPUT V.

Utrùm plura simul Beneficia possidere liceat.

Ex beneficiis alia dicuntur *incompatibilia* quæ scilicèt, vel postulant ut in diversis locis residetur, quales sunt duo Episcopatus, duæ Parochiales Ecclesiæ; vel quæ in eadem Ecclesia adjunctum sibi habent idem ministerium & officium eodem tempore implendum, ut duo Canonicatus *sub eodem*, ut aiunt, *tecto*. Alia dicuntur *compatibilia*, & ea sunt quæ nec residendi in diversis locis obligationem important, nec idem officium eodem tempore persolvendum. Hæc distinctio Majoribus nostris prorsùs erat incognita, & nonnisi exeunte sæculo XII initium habuit, eamque *ex Clericorum malitia usurpatam* scribit Guillelmus Parisiensis. (*Lib. de Collat. beneficior. cap.* 6. *tom.* 2. *Edit. Aurelian. an.* 1674. *pag.* 260. *col.* 2.)

Apud omnes certum est, nequidem in foro exteriori, posse duo beneficia *incompatibilia* retineri. Primum enim beneficium *ipso jure* vacat, statim ac secundi inita est possessio. (*Lib.* 3. *decretal. tit.* 5. *cap.* 28. *pag.* 1049. & 1050.) A Concilio autem Tridentino duo beneficia simul *ipso facto* vacantia declarantur, nisi intra sex menses alterutrum fuerit dimissum, *quibuscumque dispensationibus non obstantibus.* (*Sess.* 24. *de reform. cap.* 17.) In Galliis tamen per unum annum retineri possunt duo beneficia *incompatibilia*, sed alterutrius optionem fieri intra illud tempus necesse est. Tota igitur disputatio est de iis beneficiis quæ dicuntur *compatibilia* & *simplicia*. Quâ de re sit.

PROPOSITIO.

Plura Beneficia, etiam simplicia, simul possidere non licet, si unum ad sustentationem honestam sufficiat, nisi Ecclesiæ necessitas vel grandis utilitas excuset.

Prob. 1°. ex Conciliis: Claromontense an. 1095. statuit *ut nulli Clericorum liceat deinceps in duabus civitatibus duas Præbendas obtinere.* (*Tom.* 10. *Concil. pag.* 507.) Atqui hæc generatim de quibuscumque beneficiis dicta esse patet, ex eo quod hanc rationem afferat Synodus, quòd Clericus *duos titulos habere non possit.*

Concilium Tridentinum sic jubet: *Quoniam multi improbæ cupiditatis affectu seipsos, non Deum, decipientes, ... plura simul beneficia obtinere non erubescunt; sancta Synodus .... præsenti decreto, quod in quibuscumque personis, quocumque titulo, etiamsi Cardinalatûs honore fulgeant, mandat observari; statuit ut in posterum unum tantum beneficium ecclesiasticum singulis conferatur; quod quidem si ad vitam ejus cui confertur, honestè sustentandam non sufficiat, liceat nihilominùs aliud simplex sufficiens, dummodò utrumque personalem residentiam non requirat, eidem conferri.* (*Sess.* 24. *de reform. cap.* 17.) Decretum illud Carolus IX, Rex Christianissimus per suos Oratores à Synodo Tridentina postulaverat. Inter articulos enim reformationis ad Concilium ab ipsis delatos, iste legitur: *Unum tantùm beneficium uni conferatur, sublatâ, quod attinet ad pluralitatem, compatibilium & incompatibilium differentiâ, quæ distinctio, ut est nova, & antiquis decretis incognita, ita Ecclesiæ Catholicæ magnam calamitatem attulit.* (*Mem. pour le Conc. de Trente, édit. in-4°. 1654. pag.* 370.)

Concilium Mediolanense IV ita præcipit: *Beneficium, etiam simplex obtinenti, quod ad vitæ sustentationem satis est, si alterum simplex ..... aliudve ..... cujusvis generis conferatur, ubi is alterius beneficii.... possessionem pacificam adeptus est, ... primum ipso jure vacare censeatur.* (*Tom.* 15. *Concil. pag.* 470.) Eamdem regulam præscribunt varia Concilia post Tridentinum celebrata.

Prob. 2°. ex celeberrimo Facultatis Parisiensis decreto anni 1238, cujus mentionem facit Genebrardus Doctor Parisiensis: *Anno* 1238, inquit, *Theologi Parisienses post longam disputationem, definiunt, neminem posse duo beneficia, si unum sufficeret ad eum alendum, obtinere sine mortali peccato.* (*Lib.* 4. *chronolog. pag.* 642. *edit. Lugd.*)

Prob. 3°. veterum Theologorum autoritate, quorum tantus est numerus, ut si velim singulos appellare, integrum esset volumen describendum. S. Bonaventura qui sæculo XIII floruit, de Canonicis loquens: *Debent*, inquit, *unicum beneficium cum timore Dei habere; .... alioquin verum erit illis quod dicitur: qui pluralis est in beneficiis, pluralis erit in pœnis.* Eamdem doctrinam fusiùs exponit (*lib.* 1. *pharetræ, cap.* 23. *tom.* 6. *pag.* 114. *edit. Lugd. an.* 1668.) Durandus Episcopus Mimatensis (*de Mende*) qui sæculo XIV scripsit, optandum esse dicit ut Ecclesia in Concilio generali statuat, *Ne quis in duabus præbendis intituletur; sed singula beneficia singulis conferantur personis, cujuscumque statûs & conditionis existant;* quod sanctorum Canonum autoritate probat. (*Lib. de modo celebrandi Concilii generalis, part.* 2. *tit.* 21. *edit. Paris. in-8°. an.* 1671. *pag.* 107.) Dionysius Carthusianus qui obiit an. 1471, totum scripsit librum *contra pluralitatem beneficiorum.* Cardinalis Caietanus asserit eum mortaliter peccare, & absolutione indignum esse, qui duo beneficia retinet, quando unum sufficit ad honestam sustentationem; *non esset*, inquit, *absolvendus.* (*In Summula*, ad verb. *Beneficium.*)

S. Thomas: *Plures*, inquit, *Præbendas habere, plurimas in se inordinationes continet; 1°. quia non est possibile aliquem in pluribus Ecclesiis deservire; .... 2°. sequitur etiam diminutio cultûs divini, dum unus loco plurium instituitur; 3°. sequitur etiam in aliquibus defraudatio voluntatum testatorum, qui ad hoc aliqua bona Ecclesiis contulerunt, ut certus numerus Deo servientium ibi esset; 4°. sequitur inæqualitas, dum unus pluribus beneficiis abundat, & alius nec unum habere potest.* (*Quodlib. 9. q. 7. art. 15.*) Hinc S. Doctor istam, veluti S. Bernardi, sententiam profert: *Qui non unus est, sed plures in beneficiis, non unus, sed plures erit in suppliciis.* Hæc audiant, & paveant beneficiorum helluones.

Veterum Theologorum autoritati accedunt plurima recentiorum suffragia, sed ea prætermittere jubet brevitas.

Solvuntur objecta.

Objicitur 1°. ferè ubique invaluisse consuetudinem plura simul beneficia retinendi, quæ nec animarum curam, nec residendi obligationem important.

Resp. Consuetudinem hanc tutos non facere beneficiorum possessores: 1°. quia *ex improbæ cupiditatis affectu*, ut ait Concilium Tridentinum, nata est; 2°. quia eam constanter reprobavit Ecclesia, ut plurimis Conciliorum decretis manifestum est; 3°. quia *veritati*, ait Tertullianus, *nemo præscribere potest, non spatium temporum, non patrocinia personarum, non privilegia regionum... Dominus noster Christus veritatem se, non consuetudinem cognominavit.* (*Lib. de velandis Virginib. cap. 1. pag. 172.*) Idem argumentum ex prava consuetudine deductum sic profligat S. Cyprianus: *Consuetudo impedire non potest quominùs veritas prævaleat & vincat. Nam consuetudo sine veritate, vetustas erroris est; propter quod, relicto errore, sequamur veritatem.* (*Epistol. 74. pag. 141.*)

Objiciuntur 2°. piorum quorumdam Clericorum exempla, qui pluribus potiuntur beneficiis; quod profectò non facerent, si existimarent illicitum.

Resp. iis exemplis non labefactari quam defendimus doctrinam: vel enim pii illi viri legitimas & speciales ita se gerendi causas habent, quæ aliæ esse non possunt, quàm Ecclesiæ necessitas aut grandis utilitas; vel nullam habent hujusmodi causam, & tunc maximè verendum est ne fucatâ & inani pietatis specie sibi & aliis illudant. Quò majorem sibi conciliârunt pietatis famam & existimationem, eò ceteris periculosius est ipsorum exemplum. *Habet beneficiorum hæc pluralitas*, inquit Cardinalis Cajetanus, *scandalum bonorum virorum, qui videns hujusmodi exorbitantes distributiones conservari ab his qui in formam gregis christiani dati sunt: inde enim alii similia audent, & sic in præceps ruit Ecclesia Christi.* (*Summula, ad verbum* Beneficium.)

Insuper observandum est ex piis viris quos Sanctorum albo inscripsit Ecclesia, nullum esse qui in plurium beneficiorum possessione diù vixerit, vel obierit. Sanctus quidem Carolus aliquandiù plura simul habuit beneficia, quia in iis circumstantiis versari se existimabat, in quibus id licitum esse potest; sed ea longè ante mortem suam dimisit, nec aliud, præter Mediolanensem Archiepiscopatum, sibi retinuit.

Obj. 3°. licitam esse plurium beneficiorum possessionem quando eâ mente retinentur, ut eorum reditus in erogandas largiores eleemosynas, aliaque bona opera impendantur.

Resp. futilem esse excusationem hanc, 1°. quia beneficiorum fructus in bona opera conferendi intentio, alia non tollit incommoda quibus obnoxia est multiplicis beneficii possessio; 2°. quia Deus à nemine exigit ut plures & largiores eroget eleemosynas, quàm ferunt ipsius facultates. *Deus*,

inquit Dionyſius Carthuſianus, *non exigit ab aliquo hoſpitalitatem, & eleemoſynarum largitionem ultra vires ipſius, ſive ultra id quod ſibi de uno competenti beneficio ſupereſt.* (*Tract. de pluralit. benef. art.* 12. *pag.* 186. *col.* 1. *edit Colon. Agrip. an.* 1559.)

Prætextus quem refellimus tantùm habet inanitatis, ut benignioribus etiam Caſuiſtis diſpliceat. *Illud moneo*, inquit Laymann, *non eſſe juſtam cauſam accipiendi plura beneficia, ultra neceſſariam vitæ ſuſtentationem, quòd propoſitum habeas reditus ſuperfluos in uſus pios benè erogare; ... ſed neceſſe eſt ut aliæ etiam deformitates tollantur, videlicèt inæqualitas diſtributionis, Eccleſiæ damnum, & cultûs divini diminutio.* (*Tract. de benef. Eccleſ. cap.* 8. *n.* 2. *tom.* 2. *lib.* 4. *tract.* 2. *edit. in-fol. Lugd. an.* 1691. *pag.* 563. *col.* 1.)

Quæres 1°. an licitum ſit plura poſſidere beneficia cum juſta & legitima diſpenſatione.

Reſp. licitum eſſe. Id conſtat 1°. ex iſtis Concilii Lateranenſis ſub Alexandro III verbis: *Circa ſublimes & litteratas perſonas, cùm ratio id poſtulaverit, per Sedem Apoſtolicam diſpenſari poterit.* (*Lib.* 3. *Decretal. tit. cap.* 28. *p.* 1050 & 1051.) 2°. Ex S. Thoma: ut enim quorumdam opinionem refellat, qui contendebant plurium beneficiorum poſſeſſionem eſſe rem ex ſe & natura ſua malam, hanc rationem affert: *Aliàs in nullo caſu diſpenſationem recipere poſſet, quod nullus dicit.* (*Quodlib.* 9. *art.* 15.) 3°. Ex conſuetudine Eccleſiæ quæ hujuſmodi diſpenſationem aliquandò concedit. Ut autem valeat & legitima ſit, nonniſi propter aliquam Eccleſiæ neceſſitatem, vel utilitatem communem impertienda eſt. Cùm enim beneficia, non propter fovendam quorumdam privatorum cupiditatem, ſed propter Eccleſiæ utilitatem fuerint inſtituta, ut multa beneficia poſſideat Clericus permitti non poteſt, niſi cùm illud communi Eccleſiæ bono expedire judicatum fuerit.

Qui ergo diſpenſationem obtinuit, tutum ſe non exiſtimet, niſi propter juſtam hanc cauſam conceſſa fuerit. *Adverte*, inquit Cardinalis Toletus, *ut in foro exteriori poſſit aliquis habere* (plura beneficia), *ſatis eſt diſpenſatio; tamen ut in conſcientia, & coram Deo tutus ſit, neceſſaria etiam eſt cauſa diſpenſationis: hæc autem cauſa debet eſſe in utilitatem Eccleſiæ. Quandò cauſa non eſt in bonum Eccleſiæ, non eſt bona diſpenſatio, nec eſt homo ſecurus coram Deo.* (*Lib.* 5. *de inſtruct. Sacerd. cap.* 81. *pag.* 799. *edit. in-8°. Lugd. an.* 1691.)

Quæres 2°. an liceat beneficium reſignare in favorem Clerici, qui aliud jam habet ad honeſtè vivendum ſufficiens.

Reſp. id licitum non eſſe, niſi ab eo Clerico abjiciendum eſſe primum beneficium moraliter certus ſit reſignans. Ratio eſt, quòd alioquin in ipſius peccati ſocietatem veniret, huic occaſionem præbendo plura ſimul beneficia poſſidendi, quod certè malum eſt. *Nam digni ſunt morte*, inquit Apoſtolus, *non ſolùm qui ea faciunt, ſed etiam qui conſentiunt facientibus.* (*Rom.* 1. 32.) Idem ſentiendum de patronis & de iis qui operam ſuam præſtant, ut conferatur beneficium Clerico qui aliud jam obtinuit, unde poſſit honeſtè vivere.

Hinc S. Ludovicus Galliarum Rex *hanc conſuetudinem obſervabat, quòd nulli, quantumcumque litterato, aliquod beneficium eccleſiaſticum poſſidenti conferret, ... niſi prima beneficia ſimpliciter reſignaret.* Ita referunt Guillelmus *de Nangis*, & Geofridus *de Beauvais*, in illius Principis vitâ. (*Ducheſne, tom.* 5. *pag.* 369 & 455.)

APPENDIX

De Penſionibus.

PENSIO de qua hic agitur, ea eſt quæ alicui ſuper alterius beneficio ab autoritate legitima, & juſtam ob cauſam conceditur.

Quæres 1°. cujus ſit penſiones ſuper beneficiis conſtituere.

Reſp. 1°. ex hujus Regni conſuetudine poſſe Romanum Pontificem quadruplici in caſu penſiones conſtituere; 1°. in permutationibus ad compenſandam beneficiorum inæqualitatem, ut quando beneficium locupletius cum tenui permutatur; 2°. in reſignationibus, ut reſignanti ſubminiſtrentur ad victum neceſſaria; 3°. ut diſſidium inter duos de beneficio litigantes componatur, alterutri penſionem aſſignando; 4°. ut ſubveniatur Sacerdoti quem adminiſtrando diutiùs beneficio inhabilem reddidit infirmitas.

Reſp. 2°. poſſe Epiſcopos triplici in caſu penſiones creare. 1°. Ubi beneficium alteri beneficio vel Seminario jungitur. Tunc enim poteſt Epiſcopus *titulari*, quandiù victurus eſt, juncti beneficii reditus ex parte reſervare; quinimò & integros illius fructus, ſi non aliter velit huic conjunctioni aſſentire, ſiquidem nec beneficio, nec ejus fructibus privari poteſt, niſi conſenſerit. 2°. Pro inſtituendis Seminariis & Scholis: edictum enim Bleſenſe (*art.* 14.) Epiſcopis præcipit ut Seminaria & Scholas ſuis in diœceſibus conſtituant ac dotent, ſive beneficia jungendo, ſive penſiones aſſignando, ſive aliter. 3°. In gratiam Beneficiarii qui, præ ſenectute vel infirmitate, obeundis ſui miniſterii

functionibus impar evaſit. Si enim ejus beneficium alteri conferat Epiſcopus, ipſi penſionem unde vivere queat, decernere poteſt.

Quæres 2°. quænam requirantur conditiones, ut penſio licitè obtineatur.

Reſp. quatuor requiri. Prima eſt, ut *penſionarius*, cùm agitur de beneficio quod reſidendi obligationem importat, ipſi per 15 annos deſervierit, vel eidem ob gravem aliquam infirmitatem nequeat operam ſuam diutiùs præſtare. Ita ſancitum eſt edicto Ludovici XIV, an. 1670. (*d'Héricourt, Loix Eccléſ. édit.* 1721. *pag.* 355. *col.* 2.)

Secunda eſt in Galliis, ut pro beneficiis quibus adjuncta eſt reſidendi neceſſitas, penſio tertiam fructuum partem non excedat: ita præfato edicto conſtitutum eſt. Proviſum eſt etiam ut, perſolutâ penſione & deductis aliis beneficii parochialis oneribus, quingenta quotannis libræ francicæ ſuppetant *reſignatorio*, utque in illius utilitatem cedant emolumenta, quæ dici ſolent *caſualia*. Beneficiis autem ſimplicibus imponere licet penſionem, quæ mediam fructuum partem non ſuperet.

Tertia eſt, ut habeatur patroni laici conſenſus. Quarta denique conditio eſt, ut *penſionarius* ſit indigens, nec aliud habeat unde poſſit honeſtè vivere. Penſio enim quædam eſt bonorum eccleſiaſticorum portio: atqui hæc bona ita eſſe pauperum patrimonia jam oſtendimus, ut ea in proprios uſus convertere non debeat Clericus, niſi iis verè indigeat. Regulam hanc non ignorârunt viri à Paulo III delecti, ut in varios abuſus diligenter inquirerent, qui circa beneficia in Eccleſiam irrepſerant. *Illud animadvertendum eſt*, inquiunt, *nullâ aliâ de cauſâ, nulloque alio jure penſiones conſtitui poſſe, niſi ut quaſdam eleemoſynas quæ in pios uſus & indigentibus concedi debent.* Unde ſic concludunt: *Penſiones dari Clericis divitibus qui honeſtè & commodè vivere queunt, ...*

magnus certè abusus est. (Ad calcem tract. Guillelmi Durand, *de modo Concil. celebr. edit. an.* 1671. *pag.* 110 & 111.)

Hinc colliges ad restitutionem obligari Clericos qui, licèt ex re familiari, vel ex beneficio jam habeant, unde honestè pro sua conditione vivant, ab altero tamen beneficio pensionem percipiunt.

At, inquient avidi pensionum captatores, Apostolicam licentiam & dispensationem quæsivimus & obtinuimus. *Hic cavillus*, respondet Bellarminus, *securos multos reddit, tutum verò neminem, quoniam Papa non est dominus, sed dispensator; ideòque qui iniquam dispensationem petit, iniquitatis causa est; & qui eâ utitur, eâdem semper iniquitate irretitur. (Epist. ad suum nepotem.)*

TRACTATUS

DE

SIMONIA.

IN tractando isto maximi momenti argumento, hunc servabimus ordinem : 1°. de Simoniæ natura & divisionibus agemus ; 2°. expendemus quale peccatum sit, & utrùm ab eo committatur, qui temporale quidpiam tribuit, non tanquam rei spiritualis pretium, sed quasi *motivum* & incitamentum ad eam obtinendam ; 3°. disseremus de pretio seu munere simoniaco ; 4°. de materia Simoniæ ; 5°. de pœnis contra simoniacos constitutis ; 6°. inquiremus utrùm & quibus restitui debeant, quæ simoniacè accepta sunt.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

magnus certè abusus est. (Ad calcem tract. Guillelmi Durand, *de modo Concil. celebr. edit. an.* 1671. *pag.* 110 & 111.)

Hinc colliges ad restitutionem obligari Clericos qui, licèt ex re familiari, vel ex beneficio jam habeant, unde honestè pro sua conditione vivant, ab altero tamen beneficio pensionem percipiunt.

At, inquient avidi pensionum captatores, Apostolicam licentiam & dispensationem quæsivimus & obtinuimus. *Hic cavillus*, respondet Bellarminus, *securos multos reddit, tutum verò neminem, quoniam Papa non est dominus, sed dispensator; ideòque qui iniquam dispensationem petit, iniquitatis causa est; & qui eâ utitur, eâdem semper iniquitate irretitur. (Epist. ad suum nepotem.)*

TRACTATUS

DE

SIMONIA.

IN tractando isto maximi momenti argumento, hunc servabimus ordinem : 1°. de Simoniæ natura & divisionibus agemus ; 2°. expendemus quale peccatum sit, & utrùm ab eo committatur, qui temporale quidpiam tribuit, non tanquam rei spiritualis pretium, sed quasi *motivum* & incitamentum ad eam obtinendam ; 3°. disseremus de pretio seu munere simoniaco ; 4°. de materia Simoniæ ; 5°. de pœnis contra simoniacos constitutis ; 6°. inquiremus utrùm & quibus restitui debeant, quæ simoniacè accepta sunt.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

CAPUT PRIMUM.

De Simoniæ natura, variisque divisionibus.

QUÆRES 1°. quænam sit definitio Simoniæ.

Resp. Simonia suum habet nomen à Simone Mago, qui Apostolis obtulit pecuniam, ut ab iis potestatem acciperet aliis Spiritûs Sancti dona impertiendi. (*Act. Apost. cap.* 8.) Post S. Thomam definiri solet: *Voluntas studiosa emendi aut vendendi aliquid spirituale aut spirituali annexum.* (2. 2. *q.* 100. *art.* 1.)

Dicitur 1°. *Voluntas studiosa*, sive deliberatus voluntatis actus, sine quo non potest esse peccatum. Unde constat non tantùm admitti Simoniam, cùm signis exterioribus declaratur, sed etiam quando in eam aliquis consentit, licèt opus non subsequatur.

2°. *Emendi aut vendendi*; quibus verbis *intelligitur omnis contractus non gratuitus*, inquit S. Thomas. (*Ibid.*)

3°. *Aliquid spirituale*, sive quidquid ad fidelium salutem specialiter institutum est, vel ad Dei cultum pertinens, ut Sacramentorum administratio.

4°. *Aut spirituali annexum*, id est, ea omnia quæ, licèt ex se aliquid merè temporale sint, propter suam tamen cum alia re spirituali conjunctionem, ipsius naturam quasi induunt. Hujusmodi sunt calices, altaria, sacræ vestes, quæ per consecrationem sibi accedentem, formâ quâdam spirituali nobilitantur. Item beneficia ecclesiastica, propter suam cum officiis divinis sacrisque functionibus colligationem.

Quæres 2°. quotuplex sit divisio Simoniæ.

Resp. Simonia ab omnibus Theologis dividitur in *mentalem*, *conventionalem*, *confidentialem*, & *realem*.

Mentalis ea est quæ solo animi consensu perficitur, nullâ interveniente conventione, sive expressâ, sive tacitâ: hujusmodi Simoniæ reus est qui alteri eo consilio beneficium confert, ut ipsum alliciat ad impertiendam sibi pecuniam, aliamve quamcumque rem pretio æstimabilem; vel qui temporale quidpiam dat alteri, ut eum ad conferendum, vel obtinendum sibi beneficium moveat, etiam sine ulla istius voluntatis significatione.

Simonia *conventionalis* est, cùm duo vel plures pactum ineunt, seu conventionem expressam vel tacitam, de re spirituali emendâ aut vendendâ.

Simonia *confidentialis* est conventio expressa vel tacita, ut qui beneficium recipit, illud ipsum posthac in alium quempiam sive designatum, sive designandum transferat, aut ejusdem fructus, saltem ex aliqua parte, ab alio percipi sinat.

Simonia denique *realis* est, cùm datur aut recipitur temporale pro spirituali, sicut conventum fuerat; ita ut alter rem spiritualem, alter verò temporalem verè tradat. Non tamen necesse est ut tota & integra sit rei pactæ traditio; at sufficit ut aliquid utrinque fuerit traditum: si, v. g. datum sit beneficium eâ conditione, ut centum nummi solverentur, & quinquaginta tantùm fuerint persoluti, Simonia nihilominùs erit *realis*.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

CAPUT II.

Quale sit peccatum Simonia, & utrùm ab eo committatur, qui aliquid temporale tribuit, non tanquam pretium rei spiritualis, sed tanquam motivum & incitamentum.

UT Clericos à Simoniæ peccato liberarent Casuistæ nonnulli recentiores, diversas excogitârunt argutias, in quibus si quid esset præsidii, Simoniæ labem à se facilè depellerent, etiam ii qui temporale aliquid pro spirituali largiuntur. In pecunia sive re temporali rationes pretii & *motivi* ita distinguunt, ut à Simoniæ vitio eos eximant, qui pecuniam tribuunt, non tanquam rei spiritualis pretium, sed tanquam *motivum* & veluti irritamentum, quo, v. g. Collator moveatur ad beneficium conferendum.

PROPOSITIO I.

Simonia peccatum est gravissimum.

Prob. 1°. Quia statim ac Simon Magus Spiritûs Sancti donum & miracula, instar Apostolorum, patrandi potestatem oblatâ pecuniâ emere voluit, terribilibus his verbis, quasi totidem fulminibus, eum perculit S. Petrus: *Pecunia tua tecum sit in perditionem, quoniam donum Dei existimasti pecuniâ possideri, ... pœnitentiam itaque age ab hac nequitia tua, & roga Deum si fortè remittatur tibi hæc cogitatio cordis tui.* (*Act.* 8. *v.* 20 & 22.) Atqui tam gravis reprehensio grande peccatum probat; ergo, &c.

Prob. 2°.

Prob. 2°. Peccatum juri, tùm naturali, tùm divino, tùm ecclesiastico, simul & Religioni oppositum, non potest non esse gravissimum: atqui Simonia opponitur juri, tùm, &c. Et 1°. quidem juri naturali: vetat enim jus naturæ ne quis ea vendat, quorum non est dominus, & quæ vendendi nullam à domino suo potestatem accepit; atqui rei spiritualis venditor, nec hujus est dominus, ut constat apud omnes, nec ullam illius vendendæ potestatem accepit à Domino, cùm sic jubeat Christus: *Gratis accepistis, gratis date.* (*Matth.* 10. 8.)

2°. Repugnat Simonia juri divino, ut satis patet ex præfata Christi sententia. 3°. Juri ecclesiastico, siquidem innumeris prohibitur Canonibus tanquam grande nefas. *Omnia crimina ad comparationem simoniacæ hæresis quasi pro nihilo reputantur.* (*Decr. pag.* 611.) *Simoniaca pestis sui magnitudine alios morbos vincit.* (*Decretal. Lib.* 5. *tit.* 3. *p.* 1607.)

4°. Denique Religioni opponitur Simonia, verumque est sacrilegium, cùm per eam sanctissima quæque indignissimis habeantur modis: quæ enim major rebus sacris ignominia & injuria inferri potest, quàm eas vilissimo pecuniæ, aliarumque rerum temporalium pretio æstimari & venundari? *Res spiritualis*, inquit S. Thomas, *non potest aliquo terreno pretio compensari, ut de sapientia dicitur:* (*Proverb.* 3.) Pretiosior est cunctis opibus, & omnia quæ desiderantur huic non valent comparari. (2. 2. *q.* 100. *art.* 1.)

PROPOSITIO II.

Ad Simoniam perindè est, sive tanquam rei spiritualis pretium, sive tanquam illius conferendæ motivum & incitamentum offeratur aliquid temporale.

Prob. 1°. Quia si valeat hæc Casuistarum sub-

tilitas, nullus erit, ne quidem Simon Magus, qui à Simoniæ peccato facilè excusari non possit. Quis enim putet eò delirii Simonem ipsum devenisse, ut crederet pecuniam quam Apostolis offerebat, ejusdem esse pretii ac Spiritûs Sancti donum? Nonne dicere potuisset pecuniam se Apostolis obtulisse, non tanquam pretium, sed veluti *motivum*, & incitamentum, quo eos impelleret ad conferendam sibi potestatem Spiritum Sanctum manûs impositione conferendi? Temerarius igitur Apostolus Petrus, quòd tam vehementer Simonem damnaverit, cùm non appareret pecuniamne tanquam pretium offerret, an tanquam incitamentum.

2°. Quia nullus, nisi plumbeus sit & omninò hebes, Simoniæ reus erit. Ecquis enim eam facilè non effugiet, suam intentionem ita flectendo, ut pecuniam velit dare, non quasi pretium beneficii, sed per modum illecebræ Patronum vel Collatorem ad illud conferendum permoventis?

3°. Quia sibi intentatam Simoniæ accusationem in foro exteriori eludere cuilibet facile & in promptu erit: ab ea scilicèt criminatione sese liberabit, testando se pecuniam non dedisse ut rei sacræ pretium. Quis poterit eum falsi convincere? Certè ne ipsa quidem Ecclesia de interiori & recondita animi intentione judicare potest.

4°. Quia sacri Canones iis verbis enuntiantur, quæ vanas illas Casuistarum argutias penitùs elidant, prohibendo scilicèt ne quis Ecclesiæ dignitates sive pecuniâ, sive quolibet alio præmio consequatur. *Si quis Episcopus, aut Presbyter, aut Diaconus per pecunias hanc obtinuit dignitatem, deponatur*: ita Canon inter Apostolicos 30: *Si quis*, ait Concilium Toletanum VIII, *pro percipienda sacerdotii dignitate, quodlibet præmium detectus fuerit obtulisse, ex eodem tempore, anathematis se noverit opprobrio condemnatum.* (*Tom. 6. Concil.* pag. 404.) Itaque præfati Canones aliique innumeri generatim vetant, ne quis ad dignitates Ecclesiæ vel pecuniâ, vel alio quocumque præmio viam sibi muniat: atqui id ipsum agunt qui pecuniam offerunt, tanquam conferendi beneficii invitamentum; ergo Simoniam, qualis prohibetur à sacris Canonibus, verè committunt.

Meritò igitur Innocentius XI, & Clerus Gallicanus hanc quorumdam Casuistarum propositionem damnârunt: *Dare temporale pro spirituali, non est Simonia, quando temporale non datur tanquam pretium, sed duntaxat tanquam motivum conferendi spirituale.*

CAPUT III.

De pretio sive munere simoniaco.

PRETIUM seu munus simoniacum, est illud quo res spiritualis emitur & venditur. Triplex in jure canonico distinguitur, nempè munus vel *à manu*, vel *à lingua*, vel *ab obsequio*. De iis tribus totidem in articulis disserendum est.

ARTICULUS PRIMUS.

De Munere à manu.

Per munus *à manu* intelligitur pecunia vel bonum aliquod externum, qualecumque sit, quod pretio æstimabile est. Simoniam proindè ii omnes admittunt, qui hujusmodi bona, pro re spirituali comparanda, vel tribuunt, vel promittunt.

Simoniam igitur per munus *à manu* committunt 1°. qui beneficium alteri *resignant*, eâ lege ut

expensas solvat quas in eo acquirendo fecere; 2°. qui instaurandæ domûs pastoralis onus ex pacto in se suscipiunt; 3°. qui dant vel accipiunt beneficium cum promissione remittendi debitum; qui ab ære alieno quo sunt obruti, ut sese expediant, beneficia creditorum filiis sacrilegè conferunt; 4°. qui ex conventione facta, emunt domum vel suppellectilem *resignantis*, ut potè, inquiunt, ei jam inutilem; 5°. qui beneficium eâ conditione obtinent vel conferunt alicui, ut ab eo mutuam accipiant pecuniam, vel contrà qui pecuniam mutuò dant pro consequendo beneficio; 6°. qui beneficia eâ lege *resignant*, ut expensas quas in instaurandis vel amplificandis Presbyterii ædibus posuerunt, compenset *Resignatarius*; 7°. qui statûs Clericalis pertæsi, de ineundisque nuptiis cogitantes, beneficium futuræ conjugis fratri *resignant*, eâ conventione factâ, ut parentes dotem augeant puellæ matrimonio jungendæ; 8°. qui beneficium daret ut ipsius fratri nuberet beneficium accipientis soror.

In iis omnibus casibus, aliisque hoc genus non paucis, per munus *à manu* contrahitur Simoniæ labes, quia datur vel accipitur, exigitur vel promittitur pecunia aut bonum temporale, quod pecuniæ equivalet.

ARTICULUS II.

De Munere à lingua.

Munus *à lingua* complectitur laudes, preces, commendationes, adulationes & alia hujusmodi, quorum adminiculo beneficia obtinentur, vel potiùs usurpantur; cùm hæc omnia linguæ ministerio erga eum adhibeantur, qui beneficium est collaturus, non immeritò dicuntur *munus à lingua*, & inter ea numerantur quibus subest Simonia,

Hinc Simoniam per munus *à lingua*, committunt 1°. qui beneficium alicui confert, postulante viro quodam nobili & potente, quia inde aliquid emolumenti sperat; 2°. qui ad amicorum aut Magnatum preces, beneficium cuipiam largitur, ut eos sibi devinctos habeat; 3°. qui variis assentatiunculis Principum virorum, Procerum, ceterorumque nobilium gratiam aucupantur, ut pinguia ad beneficia adrepant. Id hominum genus sic compellat S. Chrysostomus: *Cogita quid acciderit Simoni; quid enim refert, si non dederis pecuniam, si pecuniæ loco adueris? (Homil. 3. in Act. Apost. tom. 9. p. 31.)* 4°. Duo Monachi qui sibi mutuò sua, & partium suarum pollicentur suffragia, ut alter, v. g. fiat *Provincialis*, alter verò *Prior*: conventionem hanc simoniacam esse propter munus *à lingua*, sive propter mutua suffragia, certum est.

Quæres 1°. an semper Simoniæ reus sit qui vel suas, vel aliorum preces adhibet, ut pro altero beneficium obtineat.

Resp. in ea re semper inesse Simoniam, quando postulantis animus eò spectat, ut favorem humanum captet, vel bonum quidpiam temporale consequatur. Pravam autem hanc intentionem habet quisquis pro eo quem indignum novit, beneficium per se vel per alios sollicitat. Cùm enim tunc non moveatur illius meritis in cujus gratiam beneficium deposcit, satis constat eum vel favore humano duci, vel spe boni alicujus temporalis. Idem sentiendum de eo qui rogatus beneficium indigno conferret. *Videtur*, inquit S. Thomas, *ad hoc, (favorem scilicèt humanum) principaliter intendere, qui preces pro indigno porrectas exaudit. Unde ipsum factum est simoniacum* (2. 2. *q.* 100. *art.* 5. *ad.* 3.)

Nihil verò Simoniæ est, cùm eò spectat postulans, ut illius meritum cognoscatur, in cujus

gratiam suas vel aliorum preces interponit. Tunc preces se habent instar testimonii, quod bonis personæ dotibus perhibetur : *Si preces*, ait S. Thomas, *pro digno porrigantur, ipsum factum non est simoniacum, quia subest debita causa ex qua illi pro quo preces porriguntur, spirituale aliquid conferatur. (Ibid.)*

Quæres 2°. an liceat Clerico indigenti beneficium simplex, per se vel per alios postulare.

Resp. id citra culpam fieri, modò aliundè beneficio dignus sit Clericus. Indigentia enim quâ laborat, legitima est postulandi causa. *Licite potest aliquis*, inquit ibidem S. Thomas, *si sit indigens pro se beneficium ecclesiasticum petere, sine cura animarum.* Maximè verò notandum est S. Doctorem id privilegii non concedere, nisi Clerico pauperi, id est, qui aliud non habeat unde honestè possit vivere : *si*, inquit, *sit indigens.*

Quæres 3°. an licitè possit aliquis vel suas vel aliorum preces adhibere, ut beneficium obtineat cui adjuncta sit animarum cura.

Resp. id non esse licitum : Clericus enim ille eo ipso quòd sese existimaret hujusmodi beneficio dignum, superbiùs de se sentiret, & nimia hæc confidentia eum beneficio planè indignum faceret. *Si verò aliquis*, ait Doctor Angelicus, *pro se rogat ut obtineat curam animarum, ex ipsa præsumptione redditur indignus, & sic preces sunt pro indigno. (Ibid.)* Ad eam S. Doctoris regulam attendant, qui Magnatum preces & commendationem adhibent, & veluti emendicant, ut beneficia extorqueant quibus subest animarum regimen.

ARTICULUS III.

De Munere ab obsequio.

Per *munus ab obsequio* intelliguntur opera quælibet indebita, in commodum & utilitatem alterius, vel jam præstita vel præstanda ; sed eâ lege aut intentione, ut conferatur beneficium, vel alia res spiritualis. Cùm hujusmodi obsequia pretio æstimari possint, Simoniæ labem inducunt : *Idem est*, inquit S. Thomas, *quòd aliquis det rem spiritualem pro aliquo obsequio temporali exhibito vel exhibendo, ac si daret pro pecunia data vel promissa, quâ illud obsequium æstimari posset.* (2. 2. *quæst.* 100. *art.* 5. *in corp.*)

Simoniæ igitur obnoxii sunt, 1°. beneficiorum Collatores qui pro temporali obsequio, vel sibi vel suis exhibito vel exhibendo, nec ad Ecclesiæ utilitatem pertinente, beneficia conferunt aut promittunt. *Si obsequium sit ad carnalia ordinatum*, inquit S. Thomas, *putà quia servivit Prælato ad utilitatem consanguineorum suorum, vel patrimonii sui, vel ad aliquid hujusmodi, erit munus ab obsequio, & est simoniacum. (Ibid. ad* 1.)

Si verò Clericus Prælato impenderet obsequium, quod in Ecclesiæ utilitatem redundaret, Vicarii Generalis, v. g. officium exercendo, tunc beneficio ecclesiastico dignus videretur, & penitùs abesset Simonia : *Dicendum*, ait S. Doctor, *quòd si aliquis Clericus alicui Prælato impenderet obsequium honestum, & ad spiritualia ordinatum, putà ad Ecclesiæ utilitatem, ex ipsa devotione obsequii redditur dignus ecclesiastico beneficio. (Ibid. ad* 1.)

2°. In Simoniam per munus ab obsequio incurrunt, qui regendos edocendosque Principum, Procerum, aut aliorum Magnatum liberos, vel Episcoporum & Abbatum nepotes suscipiunt, ut

per adhibitam in iis erudiendis operam, ad ecclesiastica beneficia quæ in votis habent pervenire valeant. Ejusdem Simoniæ rei sunt ipsi Magnates, aut alii qui domesticos illos præceptores, vel nullo vel tenui tantùm stipendio donandos, ad capessendam liberorum aut nepotum suorum curam, pinguis cujuspiam beneficii spe alliciunt : tunc enim manifestè rem spiritualem pro temporali obsequio pollicentur.

3°. Qui se Principum virorum & Procerum obsequio mancipant, ut tandem optimum vel pro se, vel pro suis beneficium arripere valeant. Pariter Principes viri ceteriique Magnates Simoniæ conscii sunt, cùm præstita sibi obsequia remunerant beneficiis, quæ vel ipsi conferunt, vel eâ quâ pollent autoritate extorquent.

4°. Qui beneficium vel officium quidpiam spirituale alicui eâ lege confert, ut iste vel Collatori, vel alteri obsequium sive opus aliquod aliundè indebitum præstet.

CAPUT IV.

De materia Simoniæ.

SIMONIÆ materia, ut jam diximus, in iis tantùm sita esse potest, quæ spiritualia sunt, vel spiritualibus annexa. Hujusmodi autem innumera sunt, in quibus suam veluti sedem habet Simoniæ labes. Ut brevitati consulamus, præcipuas tantùm horum classes perlustrabimus, & quidem raptim, ne multa jam dicta repetantur. Agemus de Simonia quæ in sacrarum functionum exercitio, in Sacramentorum administratione, in beneficiis ecclesiasticis, in sanctarum Reliquiarùm sacrorumque vasorum venditione, & tandem in admissione ad professionem religiosam committi potest.

ARTICULUS PRIMUS.

De functionibus ecclesiasticis quæ Simoniam admittunt.

Quæres 1°. an. cantorum & musicorum functionibus quæ in Ecclesiis exercentur, subesse queat Simonia.

Respondeo in hujusmodi functionibus, quamvis exerceantur à Laicis, posse delitescere Simoniam. Cùm enim Officii divini partem constituant, & propter cultûs solemnitatem fuerint institutæ, spirituales sunt ; admoneri ergo debent hujusmodi homines, ne honorarium suis muneribus adjunctum accipiant, tanquam sui laboris pretium, aut *motivum* primarium ; sed veluti stipendium unde vivant ab Ecclesia concessum.

Quæres 2°. utrùm in verbi divini prædicatione locus esse queat Simoniæ.

Resp. posse, quia ministerium illud spirituale est, cùm propter salutem eorum quibus verbum divinum annuntiatur, institutum fuerit ad eumque finem ex se referatur. Hinc simoniaci reputandi sunt, qui in sacris concionibus habendis, eò præsertim spectant, ut laudes, plausus, famam sibi concilient, vel ut lucrum inde proveniens percipiant. In hujus autem vitii suspicionem meritò veniunt, qui nihil non moliuntur, ut verbi ministerium iis in Ecclesiis exerceant, ubi pinguius stipendium rependitur ; qui, postquàm quodam in loco concionaturos se polliciti sunt, à suo promisso resiliunt, ut occasionem arripiant aliis in locis concionandi, unde copiosiorem pecuniam ad se redituram norunt : item qui verbum divinum nuntiare detrectant, cùm nonnisi tenuis merceduka ipsis proponitur ; pariter qui suam omnem

per adhibitam in iis erudiendis operam, ad ecclesiastica beneficia quæ in votis habent pervenire valeant. Ejusdem Simoniæ rei sunt ipsi Magnates, aut alii qui domesticos illos præceptores, vel nullo vel tenui tantùm stipendio donandos, ad capessendam liberorum aut nepotum suorum curam, pinguis cujuspiam beneficii spe alliciunt : tunc enim manifestè rem spiritualem pro temporali obsequio pollicentur.

3°. Qui se Principum virorum & Procerum obsequio mancipant, ut tandem optimum vel pro se, vel pro suis beneficium arripere valeant. Pariter Principes viri ceteriique Magnates Simoniæ conscii sunt, cùm præstita sibi obsequia remunerant beneficiis, quæ vel ipsi conferunt, vel eâ quâ pollent autoritate extorquent.

4°. Qui beneficium vel officium quidpiam spirituale alicui eâ lege confert, ut iste vel Collatori, vel alteri obsequium sive opus aliquod aliundè indebitum præstet.

CAPUT IV.

De materia Simoniæ.

SIMONIÆ materia, ut jam diximus, in iis tantùm sita esse potest, quæ spiritualia sunt, vel spiritualibus annexa. Hujusmodi autem innumera sunt, in quibus suam veluti sedem habet Simoniæ labes. Ut brevitati consulamus, præcipuas tantùm horum classes perlustrabimus, & quidem raptim, ne multa jam dicta repetantur. Agemus de Simonia quæ in sacrarum functionum exercitio, in Sacramentorum administratione, in beneficiis ecclesiasticis, in sanctarum Reliquiarùm sacrorumque vasorum venditione, & tandem in admissione ad professionem religiosam committi potest.

ARTICULUS PRIMUS.

De functionibus ecclesiasticis quæ Simoniam admittunt.

Quæres 1°. an. cantorum & musicorum functionibus quæ in Ecclesiis exercentur, subesse queat Simonia.

Respondeo in hujusmodi functionibus, quamvis exerceantur à Laicis, posse delitescere Simoniam. Cùm enim Officii divini partem constituant, & propter cultûs solemnitatem fuerint institutæ, spirituales sunt ; admoneri ergo debent hujusmodi homines, ne honorarium suis muneribus adjunctum accipiant, tanquam sui laboris pretium, aut *motivum* primarium ; sed veluti stipendium unde vivant ab Ecclesia concessum.

Quæres 2°. utrùm in verbi divini prædicatione locus esse queat Simoniæ.

Resp. posse, quia ministerium illud spirituale est, cùm propter salutem eorum quibus verbum divinum annuntiatur, institutum fuerit ad eumque finem ex se referatur. Hinc simoniaci reputandi sunt, qui in sacris concionibus habendis, eò præsertim spectant, ut laudes, plausus, famam sibi concilient, vel ut lucrum inde proveniens percipiant. In hujus autem vitii suspicionem meritò veniunt, qui nihil non moliuntur, ut verbi ministerium iis in Ecclesiis exerceant, ubi pinguius stipendium rependitur ; qui, postquàm quodam in loco concionaturos se polliciti sunt, à suo promisso resiliunt, ut occasionem arripiant aliis in locis concionandi, unde copiosiorem pecuniam ad se redituram norunt : item qui verbum divinum nuntiare detrectant, cùm nonnisi tenuis merceduka ipsis proponitur ; pariter qui suam omnem

vel amicorum suorum operam & industriam adhibent, ut sacram hanc functionem iis in locis obeant, ubi Magnatum gratiam captare possint, eorumque adminiculo dignitates ecclesiasticas assequi.

Quæres 3°. an distributiones Canonicis in choro præsentibus fieri solitæ periculo Simoniæ subjaceant.

Resp. eas, cùm Officio divino sint illigatæ, simoniacas esse posse. Quo vitio inficiuntur, quando Canonicus id sibi tanquam finem primarium proponit, ut distributiones recipiat; *Si hujusmodi distributiones*, ait S. Thomas, *recipit, quasi finem sui operis principaliter intentum, Simoniam committit & ita mortaliter peccat; si autem habet principalem finem Deum in tali actu, ad hujusmodi autem distributiones respicit secundariò, non quasi in finem, sed sicut in id quod est necessarium ad sui sustentationem, ... Simoniam non committit, nec peccat.* (*Quodlib.* 8. *q.* 6. *art.* 1.)

Quæres 4°. utrùm in dispensationes à Superioribus Ecclesiasticis concessas irrepere Simonia possit.

Resp. in iis Simoniæ locum esse. Cùm enim dispensationes sint actus potestatis ecclesiasticæ & spiritualis, si quid pecuniæ tanquam ipsarum pretium exigeretur vel penderetur, tum simoniacâ labe fœdarentur. Quod vitium ut depelleret Synodus Tridentina, dispensationes gratuitò dari jussit, his verbis: *Quòd si urgens justaque ratio, & major quandoque utilitas postulaverint cum aliquibus dispensandum, id, causâ cognitâ, ac summâ maturitate, atque gratis à quibuscumque ad quos dispensatio pertinebit, erit præstandum.* (*Sess.* 25. *de reform. cap.* 18.)

At, inquies, ea est Curiæ Romanæ consuetudo, ut pro dispensationibus matrimonii impedimenta spectantibus, pecuniam exigat, & quidem

eò majorem, quò propinquiores sunt cognationis gradus.

Resp. pecuniam hanc non exigi tanquam concedendæ dispensationis pretium vel *motivum*: sed meram esse commutationem; scilicèt matrimonii intra quosdam consanguinitatis gradus non contrahendi obligatio, quâdam pecuniæ summâ commutatur, quæ pios in usus conferenda est; eodem ferè modo quo sese gerere solent Episcopi erga fideles quos, certam ob causam, à jejunii lege liberant: ab iis nempè exigunt ut jejunio substituant eleemosynas, suis facultatibus accommodatas. Prætereà Curiam Romanam ab omni culpa liberare illud potest, quòd in exigenda pecunia id sibi propositum habeat, ut eo veluti freno licentiam coerceat dispensationes postulandi, quæ totidem sunt vulnera Canonibus inflicta.

ARTICULUS II.

De Simonia quæ in Sacramentorum administratione intervenire potest.

Quæres 1°. an liceat ab iis temporale aliquid exigere, quibus administratur Baptismus, vel ab eorum parentibus aut susceptoribus.

Resp. id fieri non posse, citra Simoniæ, vel saltem turpis quæstûs culpam, & Canonum injuriam qui illud prohibent: *Nihil à prædictis prorsus exigere moliantur*, ait Canon *Baptizandis.* (*Decret. part.* 2. *pag.* 549.) Nec refert utrùm ante, an verò post Baptismum exigatur: utrumque enim vetitum est. *Nec sub obtentu alicujus consuetudinis*, ait Concilium Lateranense sub Innocentio II, *antè, vel post à quoquam aliquid exigatur.* (*Can.* 2. *tom.* 10. *Concil. pag.* 1102.) Licitum tamen est accipere quidquid post collatum Baptismum gratuitò & spontè oblatum fuerit: Si quid *verò nomine*

eleemosynæ, aut devotionis studio, peracto jam Sacramento, à fidelibus spontè offeratur, id licitè pro consuetudine locorum Minister accipere poterit. Ita Rituale Romanum Pauli V.

Quod de Baptismo dictum fuit, de Confirmatitione etiam intelligi debet. Qui enim pro ea conferenda quidpiam exigeret, simoniacè ageret; siquidem rem spiritualem, nempè Sacramentum, pro temporali daret. Hinc Gelasius Papa sic vetat: *Baptizandis consignandisque fidelibus pretia nulla præfigant.* (*Decret. loco jam citato.*)

Quæres 2°. an Simoniæ reus sit qui in Missa celebranda, eum finem præcipuum sibi proponit ut comparet unde vivat, vel qui de pretio paciscitur.

Resp. hujusmodi Sacerdotem detestandæ Simoniæ conscium esse: rem enim spiritualem, omniumque augustissimam vili pretio quasi nundinatur. *Non potest Sacerdos*, inquit S. Thomas, *illâ intentione celebrare, ... ut ex hoc pecuniam consequatur, quia peccaret mortaliter.* (*Opuscul. de officio Sacerdotis, part.* 1.) *Facere pactionem de Missa celebranda, est simoniacum semper*, ait S. Doctor (*in* 4. *dist.* 25. *quæst.* 3. *art.* 2. *ad* 4.) Sic etiam pronunciat Concilium Remense ann. 1585: *Sacerdotes qui de pretio paciscuntur ut Missas celebrent, ... habeantur simoniaci.* (*Tom.* 15. *Concil. pag.* 911.) Quàm horribile sit eorum crimen, qui in Sacro faciendo lucrum præcipuè intendunt, sic exponit Cardinalis Pullus: *Quid Missarum solemnia contuitu temporalis commodi celebrare, nisi cum Juda Christum vendere tantò nequiùs, quantò resurgendo est sublimatus?* (*Part.* 7. *cap.* 17. *pag.* 231.)

Licitè tamen potest Sacerdos, quæ à fidelibus spontè offeruntur, accipere, *non quasi pretium Missæ, sed quasi sustentationem vitæ*, ait S. Thomas. (Ibid.) Si quando nihil, vel nonnisi tenue

stipendium receperit, non conqueratur, nec ullum indignationis signum exhibeat. Quinimò ab omni cogitatione vel desiderio muneris animum semper contineat, ne contra illud Christi mandatum peccet: *Gratis accepistis, gratis date.* Quæ ad Missarum stipendia pertinent, fusiùs in Tractatu de Eucharistia exposuimus.

Quæres 3°. quinam censeri debeant Missas eo præsertim consilio celebrare, ut lucrum inde percipiant.

Resp. huic vitio maximè videri obnoxios 1°. eos qui singulis diebus Sacrum faciunt, quamvis parùm curent eo modo vivere, quem postulat adeò frequens Missarum celebratio. Si enim conscientiam suam tantisper interrogent hujusmodi Sacerdotes, ipsis deprehendere facile erit, se non pietate, sed cupiditate, ad eam Sacrorum frequentiam pertrahi. Quantò magis idem de iis sentiendum, qui gravis culpæ conscii, cujus vel etiam nomen à Christianis ignorari vellet Apostolus, vix interjectis paucis diebus, ad altare ausu temerario conscendunt, cùm juxta Canones à Sacris diù abstinere, tantumque crimen longâ pœnitentiâ expiare deberent!

2°. Ordinum Ecclesiasticorum vel Regularium Superiores, qui de Sacerdotum sibi subditorum vivendi ratione parùm solliciti, eos hortantur, excitant, & quandoque compellunt ad Missam quotidiè celebrandam, ne stipendiis fraudetur communitas: gravi huic incommodo ut occurreret S. Franciscus Assisius, (*d'Assise*) *voluit quòd quocumque in loco fratres contenti essent unâ Missâ, præsciens fratres velle .... Missas ad quæstum reducere, sicut videmus hodiè fieri*; ita narrat Alvarus Pelagius, ut refert Van-Espen. (*Jur. Eccles. tom.* 1. *pag.* 498.)

Quæres 4°. quinam in administrando Pœnitentiæ Sacramento existimari debeant simoniaci.

Resp. Eos omnes qui Sacramentum illud intuitu præsertim boni temporalis administrant. Inter simoniacos igitur meritò numerandi sunt, 1°. qui alicujus honorarii spe illecti, divitum magis quàm pauperum confessiones excipere cupiunt; 2°. qui primo loco eos pœnitentes audiunt, à quibus aliquid pecuniæ vel muneris accipere solent; 3°. qui hujusmodi pœnitentibus absolutionem impertiunt, quam aliis à quibus nihil expectant, in simili casu denegarent; 4°. qui pœnitentibus à quibus nonnihil munusculi vel sperant, vel jam accepêre, satisfactiones non imponunt quas ipsis necessarias judicant; eos, inquam, omnes Simoniæ expertes non crediderim, quia satis apertum est ipsos in administrando Pœnitentiæ Sacramento, propriam suam utilitatem præsertim quærere.

Quæres 5°. an licitè accipere possit Confessarius, quæ ipsi à pœnitentibus post auditas confessiones sponte offeruntur.

Resp. id absolutè quidem posse, si indigeat, hoc tamen in praxi maximè periculosum est, quia *munera excæcant oculos sapientum, & mutant verba justorum.* (*Deut.* 16. 19.) Si experientiâ compertum habuit Confessarius, se hujusmodi muneribus deceptum, Ecclesiæ regulas aliquando violasse, nihil potest deinceps accipere, ne iterùm peccandi periculo, sese temerè exponat.

Omnem avaritiæ suspicionem à Confessario ita vitandam esse docet S. Carolus, ut nolit eum citra necessitatem in se recipere executionem restitutionis quam suis pœnitentibus imposuerit: *Restitutionum agendarum curam Confessores non suscipiant, nisi pœnitens id ab illis, ne detegatur, petierit; tuncque apocham ab eo cui restitutionem fecerit, pœnitenti reddendam accipiant, in eoque ita se gerant, ut vel umbram avaritiæ fugiant.* (*Act. Mediolan. part.* 4. *instruct. Confess. Edit. Lugd. an.* 1687. *pag.* 667.)

Quæres 6°. quinam Simoniæ peccatum committant in Sacramento Ordinis vel conferendo, vel recipiendo,

Resp simoniacum esse qui Ordines, interveniente pecuniâ, confert vel recipit, quia Spiritûs Sancti gratia Ordinationi illigata, nec vendi nec emi potest. Rarò quidem contingit ut in Ordinatione locum habeat munus *à manu*; sed in ea non infrequenter occurrit munus *à lingua* & *obsequio*. Non semel enim propter amicorum preces aut servitium vel præstitum, vel præstandum, Ordines eis conferuntur qui ab ipsis arceri deberent.

Quæres 7°. utrùm Simoniæ expertes sint ii qui ad Ordines vel beneficia promovendos examinant, si quid muneris pro ea functione accipiant.

Resp. id citra Simoniam fieri non posse, ut à Synodo Tridentina sic definitum est: *Caveant ne quidquam prorsùs occasione hujus examinis, nec antè, nec post accipiant; alioqui Simoniæ vitium tam ipsi, quàm alii dantes incurrant, à qua absolvi nequeant, nisi dimissis beneficiis quæ quomodocumque etiam antèà obtinebant, & ad alia in posterum inhabiles reddantur.* (*Sess.* 24. *de reform. cap.* 18.) Quinimò Concilium Mediolanense V prohibet *ne examinis occasione unquam, vel esculenta quidem, poculentave capiant.* (*Part.* 3. *Act. Eccles. Mediol. pag.* 212.)

Quæres 8°. an simoniacum sit aliquid pro Sacramento Matrimonii exigere.

Resp. simoniacum quidem esse aliquid exigere, dare, vel accipere, tanquam hujus Sacramenti pretium; minimè verò quidpiam dare vel recipere, & exigere tanquam stipendium, ex consuetudine quæ vim legis habeat constitutum.

Si aliqua exigantur, ait S. Thomas, *quasi pretium rei spiritualis, ... est manifestè Simonia.*

Si vero exigantur quasi quædam stipendia per consuetudinem approbata, non est Simonia, si tamen desit intentio emendi vel vivendi. (2. 2. *q.* 100. *art.* 2. *ad* 4) Porrò ex consuetudine quam generale Concilium Lateranense IV an. 1215, dicit *pia devotione fidelium introductam*, id juris habent Pastores, ut aliquid stipendii recipiant post administratum Matrimonii Sacramentum. (*Tom.* 11. *Concil. pag.* 220.) Ad rependendum igitur hujusmodi stipendium compelli possunt, qui illud pertinaciter recusaverint. *Innovamus*, ait Concilium Turonense an. 1236, *ut Sacramenta ecclesiastica gratis exhibeantur, inhibentes ut pro eis, antequàm fiant, aliquid petatur. Quibas gratis exhibitis, poterit peti quod de pia consuetudine exigi consuevit, subditos ad hoc per Prælatos censurâ ecclesiasticâ compellendo.* (*Can.* 4.)

At, inquies, aliquid exigere ante vel post Baptismi, Confirmationis, Eucharistiæ & Pœnitentiæ administrationem vetitum est ; cur ergo id licitum erit post collatum Matrimonii Sacramentum ?

Respondent Theologi hanc esse hujus discriminis rationem, quòd pietate fidelium inducta fuerit, ab Ecclesiaque approbata consuetudo, aliquod stipendium pro collato Matrimonii Sacramento Pastoribus impertiendi ; similis autem usus pro aliis Sacramentis non fuerit institutus.

Articulus III.

De Simonia quæ in Beneficiis Ecclesiasticis occurrere potest.

Quæres 1°. an simoniacum sit beneficia ratione temporalis emolumenti spectata vendere, vel emere.

Resp. id esse simoniacum ; quia beneficium,

etiam prout in fructibus temporalibus consistit, pendet à spirituali, *tanquam accessorium à principali:* fructus enim non dantur, nisi propter officium ; vendi ergo non potest beneficium, etiam ratione fructuum qui ex eo percipiuntur spectatum, quin simul vendatur spirituale ; quod absque Simonia fieri non potest. Hinc generatim sic pronuntiatur jure canonico : *Si quis.... ecclesiastica beneficia, quæ Præbendas vocant, sub pecuniæ interventu susceperit, sive dando emerit, sive accipiendo vendiderit, à Simonis non excluditur perditione.* (*Decret.* 2. *part. pag.* 570.) Hinc etiam Canones declarant eos qui turpissimo mercatu venalia habent beneficia, his nummulariis designari quorum mensas evertit Christus in templo Hierosolymitano. *Per nummularios, ecclesiastici beneficii venditores designantur.* (*Ibid. pag.* 576.)

Quæres 2°. an *resignatio* beneficii *in favorem*, citra Papæ consensum facta Simoniam contineat.

Resp. eam esse simoniacam ; nam, juxta Canones, *omnes pactiones super beneficiis, in quibus non intervenit Sedis Apostolicæ approbatio, illicitæ sunt atque simoniacæ.* (*Lib.* 5. *Decretal. tit.* 3. *cap.* 34.) Resignatio autem *in favorem* adjunctum habet pactum, ut scilicèt beneficium tali duntaxat Clerico conferatur : ut ergo purgetur à Simonia jure ecclesiastico inducta, requiritur, aiunt Theologi, Summi Pontificis approbatio.

Inde colliges pariter simoniacam esse resignationem in favorem eâ conditione factam, ut resignanti solvatur annua pensio, nisi pactionem hanc approbaverit Sedes Apostolica. *Si quis*, ait Concilium Remense an. 1583, *de retinenda pensione sibi vel alteri pacisçatur, ... vel aliam quamlibet pactionem à Sede Romana non approbatam fecerit, simoniacus esse censeatur.* (*Cap.* 23. *n.* 7. *tom.* 15. *Concil. pag.* 910.) Propter eamdem causam simoniaca esset permutatio beneficiorum, adjunctam habens ali-

quam pactionem, v. g. solvendæ pensionis, nisi accederet Romani Pontificis consensus.

Quæres 3°. quandonam simoniacum sit dare pecuniam, ut removeantur vexatio & impedimenta, quibus prohibetur aliquis à beneficii consecutione & possessione.

Resp. 1°. Qui jus certum & inconcussum habet in beneficium, potest absque Simonia pecuniam dare, ut injustam vexationem redimat. Tunc enim pecuniam non tribuit pro re spirituali, cùm eam habeat sibi verè acquisitam, sed pro injuria quam injustè patitur repellenda. *Postquàm jus alicui acquisitum est*, inquit S. Thomas, *licet per pecuniam injusta impedimenta removere.* (2. 2. *q.* 100. *art.* 2. *ad* 5.) Si verò jus sit dubium, & vexatio justa; si Petrus, v. g. beneficium obtinuerit, & alter eidem intendat litem, eo quòd ejus vel electio, vel præsentatio, vel institutio controversiæ sit obnoxia, tunc citra Simoniam non potest Petrus pecuniam dare, ut ipsius competitor ab intentata lite desistat. *Dicendum*, ait S. Thomas, *quòd antequàm alicui acquiratur jus in quacumque Præbenda, ... simoniacum esset adversantium obstacula pecuniâ redimere; sic enim per pecuniam pararet sibi viam ad rem spiritualem obtinendam.* (*Ibid.*)

Resp. 2°. simoniam committere qui ad sese liberandum ab injusta vexatione, daret aliquid spirituale, v. g. beneficium, vel officium ecclesiasticum, quia hæc redemptio bonum est temporale, pretioque æstimabile: atqui simoniacum est pro temporali dare spirituale.

Quæres 4°. an simoniaca esset transactio, quâ duo Clerici de beneficio litigantes, inter se pascisserentur alterum beneficio cessurum, & ab altero pensionem recepturum.

Resp. hujusmodi transactionem simoniacam esse, si privatâ transigentium autoritate fiat, quia ex

jure canonico pactum quodlibet de re spirituali aliquam involvit Simoniæ labem. Si verò ad dirimendam litem delecti fuerint sapientes arbitri, iique, causâ diligenter excusâ, pro bono pacis expedire judicaverint, ut alter litigantium possideat beneficium, & pensionem annuam alteri constituat, hoc judicium, si accesserit Romani Pontificis approbatio, ratum erit, & transactio ab omni Simonia purgabitur.

Quæres 5°. si alter contendentium evidenter cognosceret sibi jus certum esse, posseme absque Simonia suo competitori beneficium dimittere, solâ pensione annuâ contentus?

Resp. eum fore Simoniæ reum; spirituale enim, nempè jus certum quod habet in beneficium, daret pro bono temporali, nimirùm pro annuâ pensione.

Quæres 6°. an simoniacè ageret alter litigantium, qui jus dubium habens hoc jure cederet; sed eâ conditione, ut alter ipsi certam pecuniam numeraret, ad compensandos sumptus, tùm in adeundâ beneficii possessione, tùm in prosequendâ lite factos.

Resp. illicitam esse, nec Simoniâ carere hanc transactionem quia, ut suprà diximus, res spiritualis pro temporali, nimirùm pro numerata pecunia, tribueretur.

Alexander III olim rogatus fuit ut conventionem confirmaret, quâ Clericus cum Monachis de beneficio litigans, suo jure cessurum se spondebat eâ lege, ut Monasterium quamdam pecuniæ summam illi solveret, ad compensandos quos fecerat sumptus: quid autem responsi dedit Summus ille Pontifex? *Nos*, inquit, *eam compositionem non duximus admittendam, pro eo quòd videbatur pravam illicitæ pactionis speciem continere.* (*Decretal. Lib.* 1. *tit.* 35. *cap. Cùm pridem, Extrav. de pactis.*)

ARTICULUS IV.

De Simonia quæ erga Sanctorum Reliquias, vasa sacra, & alia ejusmodi committi potest.

Quæres 1°. an simoniacum sit Sanctorum Reliquias vendere.

Resp. simoniacam esse hanc venditionem; siquidem inter res sacras locum sibi meritò vindicant Sanctorum Reliquiæ: 1°. enim sunt veluti instrumenta, quibus Sancti ea bona opera perfecerunt, quæ ipsos cœlesti gloriâ dignos reddidêre; 2°. quia ex eorum numero sunt, quæ ad cultum fidelium pertinent, & quolibet Ecclesiæ sæculo pertinuerunt; 3°. sanctarum Reliquiarum occasione Deus multa & grandia patravit miracula. Capsulæ tamen in quibus asservari solent, vendi possunt, modò propter ipsas quas continent Reliquias nihil exigatur.

Quæres 2°. an vasa sacra vendere liceat.

Resp. ab ea venditione prorsùs abesse Simoniam, modò non vendatur ipsa consecratio quæ aliquid spirituale est, sed materia tantùm ex qua constant, & artificium quo elaborata sunt; hæc enim sunt quidpiam temporale, & pretio æstimabile. Tunc autem venditur consecratio, cùm propter ipsam vasa sacra majori pretio veneunt. *Vasa sacra*, inquit S. Thomas, *nullo modo ratione consecrationis vendenda sunt, ut scilicèt pro consecratione eorum aliquid plus exigatur; tamen in necessitate Ecclesiæ possunt vendi ex parte ejus quod in eis non spirituale, scilicèt materia auri & argenti: & tunc si venduntur ecclesiasticæ personæ, possunt integra vendi; sin autem vendantur aliis, non ad usum Ecclesiæ, debent priùs frangi, præmissâ oratione, ne Sancta ab aliis tractentur quàm à Ministris Ecclesiæ.* (*In 4. dist. 25. q. 3. art. 2. quæstiunc. 3. ad 1.*)

Quæres 3°. quænam sint causæ propter quas liceat vasa sacra vendere.

Resp. ea vendi posse, 1°. pro sublevandis pauperibus, quando iis aliter subveniri non potest; 2°. pro redimendis captivis, cùm eos à dura servitute liberandi non alia suppetit ratio; (*Decret. part. 2. pag. 1012.*) 3°. cùm id exigit communis quædam Reipublicæ necessitas, ut si aliter sustineri non possit grave bellum; 4°. ad dissolvendum quo obruitur aliqua Ecclesia æs alienum, si non habeat quo creditoribus satisfieri possit. Ita statuitur Jure Canonico: *Si Ecclesia*, inquit, *habet superflua vasa, nec aliunde solvere valet, integra vel aliis locis venerabilibus dentur, vel conflata cuilibet alii vendantur.* (*Can. Hoc jus, caus. 12. quæst. 2.*)

ARTICULUS V.

De Simonia quæ in admissione ad professionem religiosam committi potest.

Cùm aliud de divite, & aliud de paupere Monasterio judicium esse debeat, alterum ab altero secernendum est. Quapropter articulum istum duos in paragraphos dividimus.

PARAGRAPHUS PRIMUS.

De Simonia quæ in Monasterium dives irrepere potest.

Divitis Monasterii nomine hìc intelligitur illud, cujus reditus majori quàm continet personarum numero honestè sustentando sufficiunt.

Quæres 1°. utrùm Monasterio diviti liceat aliquid

exigere pro candidatorum, quos ad probationem admittit, victu & vestitu.

Resp. id licitum esse, ut apertè colligitur ex iis Concilii Tridentini verbis: *Neque ante professionem, excepto victu & vestitu, novitii vel novitiæ illius temporis, quo in probatione est, quocumque prætextu, à parentibus vel propinquis, aut curatoribus ejus Monasterio aliquid ex bonis ejusdem tribuatur.* (*Sess.* 25. *de Regular. & Monialib. cap.* 16.) Et sanè æquitati maximè consentaneum est, ut novitii qui in Monasterii bona nihil juris habent, cùm nondùm sint ejus membra, suis sumptibus nutriantur & vestiantur.

Hæc autem de jure communi intelligenda sunt. Quorumdam enim ordinum specialia sunt statuta, quibus prohibentur ne quid à candidatis exigant. Sic, v. g. vetant Carthusianorum Constitutiones: *A novitiis, nec vestis, nec aliud exigatur. Si Prior exegerit, sit extra sedem quadraginta diebus, & totidem faciat abstinentias sine misericordia, infra sex menses; si Procurator vel alius exegerit, sit per quadraginta dies novitius, & totidem in capitulo recipiat disciplinas:* ita refert Dionysius Carthusianus, *Tract. de Simonia, art.* 16. *libri primi, pag.* 435. *edit. an.* 1532.

Caveant Monasteria quæcumque, ne ultra impensas per tempus probationis faciendas, aliquid ex novitii bonis accipiant, etiam spontè oblatum. Id enim vetat Synodus Tridentina, *quocumque prætextu fiat*: quod decretum sapientissimum est. Sic enim consulitur, tùm libertati è Monasterio exeundi, quam integram retinere debent novitii; tùm libertati Monasteriorum, ut candidatos dimittant, cùm eos religiosæ professioni minimè idoneos judicaverint.

Quæres 2°. an citra Simoniam possit Monasterium dives contributionem pecuniariam ab iis exigere, quos ad professionem admittit.

Resp. id illicitum esse & simoniacum. Hæc enim pecunia non exigeretur, nisi vel propter victum & vestitum personæ solemnia vota emissuræ; vel propter ipsammet Religionis professionem: atqui dici non potest hanc pecuniæ exactionem fieri ut personæ victui provideatur; siquidem Monasterium, ut potè locuples, sine incommodo potest victum & vestitum subministrare; superest igitur ut ista contributio pecuniaria, propter ipsam professionem religiosam exigatur, quod profectò veri nominis Simonia est. Quid enim id aliud est, quàm temporale pro spirituali exigere? Nemo quippè negaverit Religionis professionem esse quidpiam spirituale, cùm per eam homo totum sese Deo consecret & devoveat.

Rationi accedit Conciliorum autoritas. *Prohibemus*, inquit Turonense an. 1163, *ne ab iis qui ad Religionem transire volunt, aliqua pecunia requiratur: .... unde quisquis hoc attentare præsumpserit, tam ille qui dederit, quàm ille qui receperit, partem se cum Simone non dubitet habiturum.* (*Can.* 6. *tom.* 10. *Concil. pag.* 1420.) Concilium generale Lateranense III an 1179, sic vetat: *Monachi non pretio recipiantur in monasterio.* (*ibid. pag.* 1514.) Lateranense IV. generale an. 1215, cui præfuit Innocentius III, Pontifex doctissimus, ad comprimendam Simoniæ labem quæ in pleraque Monasteria serpebat, sic constituit: *Quoniam Simoniaca labes adeò pleràsque Moniales infecit, ut vix aliquas sine pretio recipiant in sorores, paupertatis prætextu volentes hujusmodi vitium palliare, ne id de cetero fiat penitùs prohibemus.* (*Can.* 64. *tom.* 11. *Concil. pag.* 217.) Deindè, propositâ pœnâ gravissimâ, sic pergit Concilium: *Hoc etiam circa Monachos & alios Regulares decernimus observandum.* Alia benè multa Conciliorum, Summorumque Pontificum decreta proferre, si brevitas sineret, facile esset.

Objicies eam invaluisse consuetudinem, ut Mo-

nasteria, etiam opulenta, pecuniariam contributionem ab iis exigant, quos ad professionem religiosam admittunt, & proindè à peccato excusari.

Resp. nequicquam hujusmodi Monasteria suum in patrocinium advocare consuetudinem. Hanc enim ratiunculam in anteccessum profligârunt Concilia & Summi Pontifices. Alexander III in Concilio generali Lateranensi III an. 1179, cùm prohibuisset ne quis pro ingressu in Religionem pecunias exigeret, excusationem à consuetudine petitam sic explodit: *Ne sub obtentu cujusdam consuetudinis reatum suum quis tueatur* (*Tom.* 10. *Concil. pag.* 1563. *cap.* 10.) Idem habet Summus ille Pontifex in Concilio Turonensi, an. 1163, & rationem hanc subjungit, *quia diuturnitas temporis non minuit peccatum, sed auget.* (*Ibid. pag.* 1420.) Synodus Senonensis an. 1528, sic vetat: *A quibus* (*Religionem profiteri cupientibus*) *nihil prorsùs prætextu consuetudinis ... exigatur.* (*Cap* 28. *tom.* 14. *Concil. pag.* 475.) Indè colliges diligenter erudiendas, & severè arguendas esse Moniales, quæ consuetudinem à Conciliis & Summis Pontificibus totiès damnatam sequuntur.

Quæres 3°. an peccent Moniales divites, quæ dotem quidem et annuam pensionem non exigunt à puellis vota emissuris; sed quæ requirunt ut, juxta consuetudinem, aliquid muneris, calicem, v. g. Ecclesiæ tribuant, vel quamdam pecuniæ summam in convivia, ipso professionis die celebrari solita, impendendam.

Resp. id esse illicitum, nec à Simoniæ vitio excusari posse Moniales, quæ ex talibus donis puellarum sese Deo consecrare cupientium professionem suspendunt. Hunc morem sic prohibet Urbanus V: *Universis Prioribus, Abbatibus, Abbatissis, Priorissis, ... quamvis sit eis à jure prohibitum, districtiùs inhibemus ne tam à maribus quàm à mulieribus, ingredi eorum Religionem volentibus, in*

in earum personarum receptione, vel ante, vel post illam, quoscumque pastus, seu prandia, seu cœnas, vel jocalia, aut res alias, etiam ad usum ecclesiasticum, seu quemlibet alium pium usum deputatas, vel deputandas, directè vel indirectè petere vel exigere quoquo modo præsumant. (*Lib.* 5. *Extravag. communium, pag.* 321.)

PARAGRAPHUS II.

De Simonia quæ locum habere potest in Monasteriis pauperibus.

Monasterium pauper illud dicimus quod, resecatâ omni superfluitate in ædificiis, in supellectili, in victu, &c. vix habet unde sibi jam aggregatos nutriat, quibus, si eorum numerus augeretur, necessaria essent defutura.

Quæres an Monasterio pauperi liceat aliquid ab iis recipere, & exigere, qui ad professionem religiosam admittuntur.

Resp. id licitum esse, *modò legitima sit intentio*, nec plus exigatur quàm congruæ sustentationi necessarium sit. Concilium enim Senonense an. 1528, expressè declarat puellam ultra numerum constitutum posse in Monasterium admitti, *dummodò congruam secum afferat pensionem, quâ cum ceteris Religiosis numerariis alatur.* (*Tit.* 28. *de Decretis morum, tom.* 14. *Concil. pag.* 475. & 476.) Mediolanense I sub S. Carolo, vetat ne præscriptus Monialium numerus augeatur, *nisi factâ Monasterio annuâ quæ satis sit fructuum accessione.* (*Act. Eccl. Mediol. pag.* 38.) Hoc Mediolanense decretum totidem verbis repetit, suumque facit Concilium Turonense an. 1583. (*Tit. de Monialibus.*) Eadem est S. Thomæ doctrina: *Cùm possessiones alicujus loci religiosi non sufficiant ad sustentandum plures, tunc potest exigi ab eo qui in*

loco illo vult Deo servire, non quasi pretium Religionis; sed ut habeat Monasterium, unde possit ei providere, & ideò non committitur Simonia. (*In 4. dist. 25. q. 3. art. 2. quæstiunc. 2. ad 7.*)

Nec objicias id sapere Simoniam; dos enim vel pensio non datur, vel exigitur pro spirituali, sed pro temporali, nimirùm pro victu & vestitu quibus subministrandis impar est Monasterium indigens.

Dixi autem 1°. *modò legitima sit intentio*, ex parte scilicèt tùm dantis pecuniam, tùm Monasterii eam recipientis: cavendum est enim ne quid detur vel exigatur, tanquam professionis religiosæ pretium; qua in re gravis foret Simonia. Præterea qui recipiunt ita debent esse animo comparati, ut nisi cogeret inopia, nullam exigerent dotem. Quotiès verò contingit ut Monasteria fictitiam obtendant paupertatem, & superfluitatem pro necessitate habeant!

Dixi 2°. *Si non plus exigatur, quàm congruæ sustentationi necessarium sit*: nihil enim ultrà potest absque Simoniâ exigi; siquidem solo Religionis titulo requireretur: quid autem id aliud esset; quàm temporale pro spirituali exigere? De pensionibus quæ à Monasteriis recipi possunt sic à Ludovico XIV constitutum est 28 Aprilis an. 1693: *Lesdites pensions ne pourront, pour quelque cause, & sous quelque prétexte que ce puisse être, excéder la somme de cinq cents livres par chacun an dans notre bonne ville de Paris & autres, dans lesquelles nos Cours de Parlement sont établies; & celle de 350 livres dans toutes les autres villes & lieux de notre Royaume. (Recueil des Edits, &c. imprimé à Besançon en 1747. tom. 1. pag. 280.)*

Dices: Concilium generale Lateranense IV sub Innocentio III celebratum an. 1215, vetat ne quid Monasteria recipiant, etiam *paupertatis prætextu*; non potest igitur Monasterium, quantumvis pauper, ab iis aliquid exigere qui statum religiosum sunt amplexuri.

Resp. Quòd Monasterium pauper nihil exigat, res est meræ disciplinæ, quæ longè ante Synodum Lateranensem IV in usu erat, & quam renovare voluit hoc Concilium; sed in eo capite nec receptum, nec in usu fuit, etiam S. Thomæ temporibus: Sanctus enim ille Doctor Monasteriis pauperibus permittit, ut à Religionem ingressuris aliquid exigant, cùm aliter eos sustentare non possent, quin alii jam recepti necessariis fraudarentur. Ita respondet *Juenin.* (*Theolog. Moral. tom. 6. pag. 36.*)

CAPUT V.

De pœnis contra Simoniacos constitutis.

Nota 1°. licèt grave crimen sit *mentalis* simonia quæ scilicèt in mente sistit, nec foràs per aliquod pactum exteriùs erumpit, nulli tamen pœnæ canonicæ subjacet; at sufficit *per solam pœnitentiam suo satisfacere Creatori*, ut ait Gregorius IX. (*Lib. 5. decretal. tit. 3. cap. 46.*)

Nota 2°. nullam pœnam à jure latam esse, nisi pro Simonia quæ in professione religiosa, in Ordinibus sive conferendis, sive recipiendis, & in beneficiis committitur. *Beneficii* autem nomine hic intelligitur quodlibet munus, cui spiritualis quædam jurisdictio vel administratio conjuncta est, qualia sunt in Ordinibus Monasticis officia *Priorum, Guardianorum, Correctorum, Provincialium*, &c. & alia id genus quæ ad regimen spirituale pertinent. Hanc triplicem duntaxat Simoniam pœnis multari voluit Ecclesia, eò quod inde graviora mala profluere, & majus canonicæ disciplinæ periculum imminere prospiceret.

Quæres igitur 1°, quas in pœnas incurrant,

qui Simoniam in professione religiosa commisêre.

Resp. jure canonico sancitum esse, *ut tam dantes quàm accipientes, si sint singulares personæ, excommunicationis; si verò sit Capitulum vel Conventus, suspensionis sententiis eo ipso subjaceant; à quibus præterquàm in mortis articulo, absolvi nequeant absque Sedis Apostolicæ licentiâ speciali.* (*Lib.* 5. *Extravagant. commun. pag.* 322.) Prætereà si quis ad professionem simoniacè admissus fuerit, licèt valida sit professio, recipiens tamen & receptus, cùm per sententiam convicti fuerint, in arctius Monasterium sunt retrudendi, & perpetuæ pœnitentiæ subjiciendi. (*Lib.* 5. *decretal. tit.* 3. *cap.* 25.)

Quæres 2°. quænam sint pœnæ iis impositæ qui Ordines simoniacè vel contulerint, vel receperint.

Resp. Qui Ordines simoniacè conferunt vel recipiunt 1°. in excommunicationem Papæ reservatam ipso facto incurrunt: (*Lib.* 5. *Extravag. cap.* 2.) inter Ordines autem quorum simoniaca receptio vel collatio pœnam excommunicationis inducit, annumerari solet prima Tonsura quæ dicitur *Clericalis Ordo*; (*Lib.* 1. *decretal. tit.* 14. *cap. Cùm contingat.*) quia per eam homo in Clericorum numerum admittitur. 2°. Ordinans & Ordinatus sunt ipso facto suspensi, alter scilicèt à collatione omnium Ordinum, etiam primæ Tonsuræ, saltem per tres annos; (*Lib.* 5. *decretal. tit.* 3. *cap.* 45.) alter verò non ab Ordine tantùm quem simoniacè recepit; sed ab aliis etiam quos ante susceperat legitimè. (*Extravag. Cùm detestabile, de Simon.*)

Quæres 3°. utrùm à suis Ordinibus sit suspensus qui simoniacè quidem Ordinatus est, sed hujus Simoniæ nullo modo fuit particeps, quia eo prorsùs inscio, commissa est.

Resp. Affirmat S. Thomas his verbis: *Si eo nec volente, nec sciente, per alios alicujus promotio simoniacè procuratur, caret Ordinis executione;* (2. 2. *q.* 100. *art.* 6. *ad* 3.) hancque rationem affert: *Quia nullus potest licitè retinere id quod contra domini voluntatem acquisivit, ... Dominus autem cujus Ecclesiarum Prælati sunt dispensatores & ministri, ordinavit ut spiritualia gratis darentur.* (*In corp.*) Prætereà generatim & sine ullo discrimine suspensi pronuntiantur, *qui simoniacè Ordinati fuerint.* (*Extravag. Cùm detestabile.*) Ita sentiunt Natalis Alexander, *Pontas*, & alii.

Negant autem alii, inter quos *Cabassut*; 1°. quia non sat gravis est ratio quâ nititur opposita sententia: si enim Episcopi Simonia esset mentalis duntaxat, Ordo contra Domini voluntatem conferretur, &. tamen qui eum susciperet minimè suspensus esset; 2°. quia juxta regulam ab omnibus receptam, leges odiosæ potiùs restringi debent, quàm extendi. Posterior hæc sententia videtur magis probabilis.

Quæres 4°. quibus pœnis plectatur Simonia in beneficiis commissa.

Resp. 1°. Excommunicatione Papæ reservatâ ipso facto constringuntur, qui beneficium simoniacè receperunt, contulerunt, aut quovis modo huic rei operam dederunt. (*Extravag. Cum detestabile.*) 2°. Irrita est ac nulla electio, præsentatio, resignatio, vel collatio simoniaca, nullumque jus tribuit; ita ut simoniacus, etiam occultus, ante omnem Judcis sententiam teneatur beneficium dimittere, & omnes ejusdem fructus restituere, cùm in illud nihil juris acquisierit. (*Ibid.*) Qui beneficium obtinuit, interveniente Simoniâ, cujus nullo modo fuit particeps, & quæ, eo prorsùs nesciente, ab aliis commissa est, tenetur illud abjicere, statim atque facti notitiam habuerit. Ita pronuntiavit Clemens III erga Clericum in cujus gratiam pater suus, eo inscio, beneficium simoniacè obtinuerat. (*Cap. Ex insinuatione, de Simon.*) Cùm enim prorsùs irrita sit collatio, nullus supereſt titulus

legitimus ad possidendum hujusmodi beneficium. Non tenetur tamen fructus in bona fide consumptos restituere, sed eos tantùm quos percepit, ex quo Simoniæ commissæ notitiam habuit: ita S. Thomas. (2. 2. q. 100. art. 6. ad. 3.) 3°. Qui beneficium per Simoniam rapuit, ad illud denuò impetrandum sit inhabilis. (*Cap. 27. de Simon.*) *Dispensare autem cum eo qui est beneficiatus simoniacus scienter, solus Papa potest*, inquit S. Thomas. (*Ibid. art. 6. ad. 7.*)

Quæres 5°. an trium annorum possessio faveat Clerico, qui per Simoniam ab aliis commissam ignorans & bonâ fide beneficium tribus annis habuit.

Resp. ea de re dissidere Theologos & Canonistas. Alii, inter quos *Pontas*, contendunt Clericum de quo agitur, etiamsi pacificâ trium annorum possessione, bonâ fide & nescius Simoniæ in suî gratiam commissæ, beneficium retinuisset, eodem privari debere; quia scilicèt, inquiunt, regula de trium annorum possessione iis tantùm favet, qui absque Simonia beneficium ingressi sunt. Statuit enim *ut si quis beneficia, qualitacumque sint, absque simoniaco ingressu, per triennium pacificè possederit, ... super iis beneficiis sic possessis molestari nequeat.*

Alii verò existimant regulam de trium annorum possessione iis patrocinari, qui toto triennio nullam habuerint cognitionem Simoniæ in ipsorum gratiam commissæ; quia præfata regula, inquiunt, eos tantùm à præscriptione videtur excludere, qui beneficia simoniacè ingressi sunt; id est, qui per Simoniam à se adhibitam, ad beneficia pervenêre; quod de eo dici non potest, qui Simoniam pro se ab aliis adhibitam nec cognovit, nec ratam habuit: ita cum multis *Cabassutius*: *Si quis bonâ fide*, inquit, *beneficium obtinuit alieno interventu, ignorans Simoniam pro hac re ab altero commissam,*

juvabitur beneficio triennalis possessionis pacificæ, si integro triennio hujus Simoniæ notitiam non habuerit. (*Theor. & prax. juris canonici, lib. 3. c. 8. n. 3. pag. 370. edit. Pictavienf. an.* 1738.)

Quæres 6°. an per Simoniam amittat aliquis beneficia quæ anteà legitimè obtinuerat.

Resp. beneficia priùs legitimè impetrata, non vacare per Simoniam subsequentem; tùm quia hujus pœnæ nulla sit in jure mentio, *& odia sunt restringenda*; tùm quia satis est ut in eo puniatur aliquis, in quo peccavit, nisi aliud sit jure expressum.

Quæres 7°. quænam sint pœnæ adversùs Simoniam *confidentialem* constitutæ.

Resp. simoniæ *confidentialis* reos 1°. omnibus pœnis subjacere, quæ contra eos latæ sunt, qui beneficia simoniacè obtinent; 2°. omnibus beneficiis & pensionibus ab iis legitimè priùs acquisitis privari, non tamen ante Judicis sententiam, quæ eos *confidentiæ* simoniacæ convictos declaret, quia justo titulo possidentur.

CAPUT VI.

De obligatione restituendi quæ simoniacè accepta sunt, & cui fieri debeat hæc restitutio.

QUÆRES 1°. utrùm restitui debeat vel pecunia, vel quidlibet aliud pretio æstimabile, quod simoniacè fuit acceptum.

Resp. id restituendum esse: cùm enim homines rerum spiritualium non sint domini, quidquid pretii ex nefandâ earum nundinatione percipiunt, ad

ipsos non pertinet: *Dicendum*, inquit S. Thomas, *quòd pecunia, vel possessio, vel fructus simoniacè recepti debent restitui.* (2. 2. *quæst.* 100. *art.* 6. *ad.* 4.) Pariter jure canonico præcipitur, ut qui pro dando assensu electioni simoniacæ quædam receperint, *sine diminutione restituant, cùm ea sine gravi suæ salutis periculo retinere non possint.* (*Lib.* 5. *Decretal. tit.* 3. *cap.* 11.)

Quæres 2°. an teneatur elector pecuniam restituere quam accepit, ut cuipiam Clerico suum daret suffragium, qui beneficio dignior est quàm alius competitor.

Resp. restitutioni obnoxius esse electores, qui pecuniam receperunt, etiam ut digniorem minùs digno anteferrent; quia in restituendi obligationem incurrit, quisquis pretium accepit pro re spirituali, in quam nullum habet dominium; tunc enim nullus ei suppetit titulus legitimus, propter quem pretium acceptum retinere licitè valeat: hujusmodi autem est elector de quo agitur.

Quæres 3°. an restituere debeant qui pecuniam accepêre, ut in committenda pro beneficio Simonia, sese alterius adjutores præberent.

Resp. ab iis restituendum esse quidquid pro turpi illo ministerio ipsis datum fuit, quia nullum habent titulum, quo id legitimè retinere possint. Quinimò tenentur in solidum ad restitutionem fructuum quos percepit Beneficiarius, si iis restituendis impar sit; cùm enim injusti alicujus facinoris causa principalis restituere non potest, obligationem hanc subeunt qui criminis participes sese præbuerunt.

Quæres 4°. cui fieri debeat restitutio pecuniæ pro beneficio acceptæ.

Resp. eam fieri debere Ecclesiæ quæ per Simoniam hanc præcipuè læsa fuit. *Dicendum*, inquit

S. Thomas, *quòd pecunia, vel possessio, vel fructus simoniacè accepti, debent restitui Ecclesiæ, in cujus injuriam data fuerunt, non obstante quòd Prælatus, vel aliquis de Collegio illius Ecclesiæ fuit in culpa; quia eorum peccatum non debet aliis nocere; ita tamen quòd, quantùm fieri potest, ipsi qui peccaverunt, inde commodum non consequantur; si verò Prælatus & totum Collegium sunt in culpa, tunc debet cum autoritate Superioris, vel pauperibus, vel alteri Ecclesiæ erogari.* (2. 2. *quæst.* 100. *art.* 6. *ad* 4.)

Quæres 5°. cui restituere debeat Parochus quæ simoniacè accepit pro quibusdam functionibus exercendis.

Resp. Si quidpiam temporale Parocho datum fuerit, ut ea faceret quæ ipsi prohibita sunt, ut, v. g. interesset Matrimonio cui ne interfit vetant Canones, tunc pauperibus erogandum esset Simoniæ pretium: cùm enim turpiter datum fuerit, eo privari debet qui dedit; sed danti restituendum foret, si eo tantùm consilio tribuisset, ut ab injusta Parochi vexatione sese redimeret: ratio est, quòd personæ quæ injustè læsa fuit, fieri debeat restitutio.



TRACTATUS
DE
MATRIMONIO.

CUM Matrimonium priùs sit contractus naturalis & civilis, quàm Sacramenti gratiâ perficiatur, huncce Tractatum duas in partes dividimus. In priori de Matrimonio, prout est contractus civilis, in quo tota contractûs naturalis ratio solet occurrere, dicturi sumus; in posteriori verò de Matrimonii Sacramento.

PARS PRIOR.

De Matrimonio prout est contractus civilis.

PRIUSQUAM partem hanc auspicemur, de Matrimonii nominibus & definitione aliquid præmittendum est.

Dicitur 1°. *Matrimonium*, quasi *matris munium* sive officium, vel quòd, ut loquitur Augustinus, *non ob aliud debeat femina nubere, quàm ut mater fiat;* (*Lib.* 19. *contra Faustum, cap.* 6. *tom.* 8. *pag.* 329.) vel quia mater in prole suscipienda & educanda majorem operam impendit, quàm pater. *Matri enim*, ait Gregorius IX, Summus Pontifex, *infans... ante partum onerosus, dolorosus in partu, post partum laboriosus esse agnoscitur.* (*Lib.* 3. *tit.* 33. *cap.* 2. *ex Litteris Decretal. pag.* 1277.)

2°. Apellatur *cannubium* & *nuptiæ*, à *nubendo*, hoc est, *velando:* apud Veteres enim, quando sponsæ viris tradebantur, velamine tanquam nube, caput suum obvolvebant in signum pudoris, modestiæ, & verecundiæ. Quam consuetudinem apud Judæos antiquissimam esse probant hæc Genesis verba de Rebeccâ, cùm Isaacum conspexit: *Tollens citò pallium suum operuit se.* (*Cap.* 24. 65.)

3°. *Conjugium* nuncupatur à communi jugo cui vir & mulier sese subjiciunt; mutua siquidem ac reciproca est virum inter & uxorem obligatio. *Mulier enim*, ait Apostolus, *sui corporis potestatem non habet, sed vir: similiter autem & vir sui corporis potestatem non habet, sed mulier.* (1. *Cor.* 7. 4.)

Matrimonium, prout est contractus civilis, definiri solet *viri & mulieris maritalis conjunctio inter legitimas personas, individuam vitæ consuetudinem retinens.* 1°. Dicitur *conjunctio maritalis*, ut ab aliis distinguatur conjunctionibus, quæ possunt feminam inter & virum intercedere, qualis est fratrem inter & sororem; 2°. *viri & mulieris*, ut designetur Matrimonii subjectum, quod ab initio fuit vir unus & mulier una; 3°. *inter personas legitimas*, eas nimirùm quæ ab ineundo Matrimonii fœdere nullis legibus sive divinis, sive humanis, prohibentur; 4°. *individuam vitæ consuetudinem retinens*, ut exprimatur vinculi matrimonialis firmitas, quòd dissolvere non potest solus partium consensus, sicut alii contractus solvuntur.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

Quidquid in prima hac Tractatûs noſtri parte dicturi ſumus, ſeptem diſſertationibus continebitur: prima erit de conſenſu ad Matrimonium requiſito; ſecunda, de inſtitutione & fine; tertia, de ſanctitate; quarta, de proprietatibus; quinta, de impedimentis; ſexta, de ſolemnitatibus Matrimonii; ſeptima, de Matrimonii uſu licito vel illicito.

DISSERTATIO I.

De conſenſu ad Matrimonium requiſito.

QUANTA ſit ad Matrimonium contrahendum mutui conſenſûs neceſſitas ex eo patet, quòd per illud mulier ſui ipſius poteſtatem in virum, & viciſſim vir ſui ipſius poteſtatem in mulierem transferat: bona autem alicujus non poſſunt in alterius poteſtatem venire, niſi vel accedente ipſius domini voluntate, vel cogente lege: atqui certum eſt, nullâ lege cogente, mutuam à conjugibus ſibi invicem fieri ſuum in corpus poteſtatem; ergo conſtat reciprocam hanc traditionem nonniſi per mutuum utriuſque conjugis conſenſum perfici poſſe. Inſuper primarius ille eſt Matrimonii finis, ut proles ſuſcipiatur & diligenter ſummoque ſtudio educetur: atqui illud fieri non poteſt ſine mutuo conjugum conſenſu: quis enim putet eos de prole enutrienda, & probè educanda ſore ſollicitos, quam inviti & compellente lege tyrannicâ, procreaſſent?

Ad Matrimonium verò non ſufficit conſenſus quilibet, ſed nonnullis conditionibus veſtiatur neceſſe eſt, quas variis in capitibus expoſituri ſumus; in 1°. de veritate conſenſûs; in 2°. de externa

hujus declaratione; in 3°. de parentum in matrimonialem conſenſum autoritate; in 4°. de illius libertate agendum eſt.

CAPUT PRIMUM.

De veritate conſenſûs utriuſque conjugis.

GRAVIS hic exagitari ſolet quæſtio, utrùm ſcilicèt validum ſit illius Matrimonium, qui liberè & ſeriò verba quidem profert, quæ conſenſum exprimunt, ceteraque omnia exteriùs tranſigit, quibus ex communi omnium æſtimatione Matrimonium contrahi ſolet; ſed qui conſenſum quem ore declarat, retrahit voluntate, & cohibet intùs dicendo: *Nolo Matrimonium contrahere, nolo me obligare.* Ea de re oppoſita ſunt Theologorum placita: volunt alii contractum hunc ratum firmumque eſſe, nec poſſe hominis interiùs renitentis fraude irritum fieri: ita Magiſter ſententiarum: *Si verbis*, inquit, *explicant* (ſponſi) *quod tamen corde non volunt, ſi non ſit coactio ibi vel dolus, obligatio illa verborum quibus conſentiunt dicentes: accipio te in virum, & ego te in uxorem, Matrimonium facit.* (*Lib. 4. ſentent. diſt. 27.*) Ita etiam inter Veteres ſentiunt, *Robertus Pullus*, (*part. 5. ſentent. cap. 15.*) *Petrus Pictavienſis*, (*part. 5. cap. 16.*) & alii; inter Recentiores verò Contenſonius. (*Lib. 11. part. 1. append. ad diſſert. 2. §. 2.*); Juenin (*Réſol. des cas de conſc. tom. 1. pag. 168*); Collationes Bellovacæ, (*de Beauvais*) ſub D. *de Buzenval*, quas citat Collator Pariſienſis. (*Tom. 1. lib. 5. Collat. 1. §. 4.*) &c.

Alii contrà eumdem contractum, propter interioris verique conſenſûs defectum, invalidum prorsùs & irritum pronuntiant. Qua de controverſia ſi

PROPOSITIO.

Verum validumque est illius Matrimonium, qui liberè & seriò profert verba, quibus Matrimonium firmari ex communi hominum existimatione solet, & quibus illud contrahi non ignorat, quamvis intra se dicat, vel potiùs cogitet se nolle contrahere, nec sese obligare.

Probatur 1°. Ibi verum est Matrimonium, ubi vera est illius contrahendi voluntas: atqui vera contrahendi Matrimonii voluntas in eo est, qui liberè & seriò profert verba quibus firmari solet Matrimonium, & quibus illud contrahi non ignorat, quamvis interiùs videatur dicere: *nolo contrahere*; quemadmodùm ex omnium consensu, in mercatore naufragii metu merces suas in mare projiciente, vera est eas dejiciendi voluntas, quamvis interiùs reluctetur, & intra se dicere videatur: *nolo merces in fluctus projicere*; ratio est, quòd *velleitas* contraria cum vera & *actuali* voluntate non ita pugnet, ut simul stare non possint; quod satis patet exemplo mercatoris, qui magni pretii merces summisque laboribus comparatas in mare demittit.

Prob. 2°. Idem ferendum est judicium de contractu Matrimonii, ac de ceteris: atqui ut valeant alii contractus, non requiritur interior sese obligandi voluntas, at sufficiunt externa contractuum signa seriò & liberè data. Si enim eo ipso nulla & irrita esset venditio, quòd venditor interiorem non habuerit sese obligandi voluntatem, posset occultè rem suam subripere, & ipsius pretium emptori restituere sine ullo contra justitiam peccato; siquidem rei dominium non transtulisset, cùm nulla & invalida esset venditio ob interioris sese obligandi voluntatis defectum: atqui illud absurdum est ac maximè periculosum, innumerisque fraudibus & diffidiis aditum aperiret, contractuumque firmitatem omninò tolleret; ergo ut validi sint alii contractus, non requiritur interior sese obligandi voluntas, at sufficiunt externa contractuum signa seriò liberèque exhibita; idem igitur de Matrimonii contractu sentiendum est.

Prob. 3°. Tam vero jungitur Matrimonio, qui ea liberè & seriò profert verba quibus contrahi solet, quamvis interiùs dicat: *nolo contrahere Matrimonium*, quàm Sacerdos qui seriò externum Sacramenti ritum adhibet, quem Christus instituit & usurpat Ecclesia, verè conficit Sacramentum, licèt tacitus dicat: *nolo facere rem sacram*: atqui fatentur omnes ferè adversarii, hujusmodi Sacerdotem verum conficere Sacramentum; ergo fateantur etiam necesse est, verum contrahi Matrimonium in ea de quâ agitur hypothesi.

Negant quidem adversarii paritatem, quia generalis, inquiunt, intentio Ministri qui intendit exteriùs facere quod agere consuevit Ecclesia, sufficit ut Sacramentum perficiatur; at verò non satis est ad Matrimonium ea proferre verba quibus contrahi solet: præterea enim requiritur animorum conjunctio & amor mutuus, qui in nostra hypothesi deest.

Sed responsum illud nullius videtur momenti: non ideò enim irritum fit Matrimonium, quòd desit *actualis* animorum conjunctio & amor mutuus: nemo quippè dixerit vana & invalida esse connubia, quæ toties vel sola divitiarum fames, vel honorum ambitio, vel paternæ potestatis jugum paulò durius faciunt: atqui tamen fiunt sine *actuali* animorum conjunctione, & sine amore mutuo; ad veritatem igitur Matrimonii non requiritur hæc animorum conjunctio, & mutuus ille amor; at sufficit ut aliquis sciens, volens & nemine cogente, ea pronuntiet verba quibus contrahi solet Matrimonium: sincerè enim velle effectum dicitur, qui sincerè vult causam ex quâ non ignorat effectum oriri.

Prætereà si amor *actualis* ad Matrimonium validè contrahendum sit omninò necessarius, dubia & incerta erunt Matrimonia: quot enim viros reperire est, qui verbis ad fallaciam compositis miseras puellas decipiant, fictumque amorem testentur, quem interiùs in corde negant? Cùm autem neuter conjux *actualem* alterius amorem certum & exploratum habeat, toto vitæ suæ tempore conjuges de nuptiis suis, validæ, an invalidæ sint, solliciti dubitabunt. Incerti erunt de prole susceptâ, sitne legitima, an nefario concubitu procreata. Ancipites erunt de officio conjugali, an reddere illud licitè possint ac petere; sicque immensa erit scrupulorum & anxietatum seges: quæ incommoda profectò sunt gravissima; tutius est igitur affirmare ad veritatem Matrimonii sufficere, ut aliquis sciens & volens liberè & seriò verba proferat, quibus contrahi solet Matrimonium.

Annotandum est autem hujusmodi hominem graviter peccare; 1°. contra veritatem, quia nempè aliud verbis expressit, quàm quod animo sentiebat in re gravis momenti; 2°. contra justitiam sponsæ debitam, quam dolo & fraude decepit: ea quippè dum sui corporis dominium in suum conjugem transfert, ut in conjugis corpus eamdem habeat potestatem, ipse fingit dare se quod, quantùm potest, denegat; graviter igitur peccat, nec ante absolvendus erit, quàm privatim probaverit quod publicè fecit.

CAPUT II.

De externa consensûs declaratione.

Hic tria quæruntur; primum, an consensus ad contrahendum Matrimonium necessarius, exteriori aliquo signo declarari debeat; secundum, utrùm consensus quem sibi mutuò clam & sine testibus declarant conjuges, sufficiat, sive, quod idem est, an Matrimonium clandestinum prohibitum sit & irritum; tertium, an satis sit consensum per procuratorem declarare, utroque vel alterutro conjuge absente: quibus postulatis ut satisfiat, sit

Propositio I.

Consensus ad contrahendum Matrimonium necessarius, signo aliquo exteriori declarandus est.

Probatur. Consensus ad Matrimonium requisitus, talis esse debet, ut contrahendi utrique voluntas alterius innotescat. Quomodò enim cognoscent conjuges, se mutuò sibi obligatos esse, nisi reciprocam suam voluntatem vicissim manifestent? Atqui non possunt voluntatem hanc sibi invicem aperire, nisi verbis aut aliis exterioribus signis, quia non alia homini via data est, quâ possit alteri intimos sensus exponere; ergo, &c.

Propositio II.

Conjugia clandestina semper fuerunt ab Ecclesia prohibita.

Not. Clandestini Matrimonii nomine illud hic propriè intelligi quod, absente Parocho, vel remotis testibus, contractum fuit.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ®
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

Probatur 1°. ex Concilio Tridentino sic affirmante : *Tametsi dubitandum non est, clandestina Matrimonia, libero contrahentium consensu facta, rata & vera esse Matrimonia, quandiù Ecclesia ea irrita non fecit, ... nihilominùs sancta Dei Ecclesiæ ex justissimis causis illa semper detestata est atque prohibuit. (Sess. 24. de reform. cap. 1.)*

Prob. 2°. Ex aliis Conciliis quæ Tridentino præiverunt : Lateranense IV an. 1215 sic præscribit : *Prædecessorum nostrorum vestigiis insistendo, conjugia clandestina penitùs inhibemus. (Cap. 51.)* Concilium Parisiense an. 1528, non clanculùm contrahentes duntaxat, sed etiam consulentes & adjuvantes, excommunicationi ipso facto subjacere pronuntiavit. Colonienſe II an. 1549, *Sæpiùs experti*, inquit, *quanta mala ex clandestinis conjugiis oriantur, ... decrevimus & statuimus ut clandestinè contrahentibus Sacramenta negentur, donec ab excommunicatione... absolvantur, atque in facie Ecclesiæ Sacramenti solemnia celebrent.* (*Cap. 31. tom. 14. Concil. pag. 664.*) Denique, ut alta taceam Concilia varioſque Scriptores, Tertullianus primorum sæculorum disciplinam his verbis exhibet : *Penès nos occultæ conjunctiones, id est, non priùs apud Ecclesiam professæ, juxta mœchiam & fornicationem judicari periclitantur.* (*Lib. de pudicitia, cap. 4. pag. 557.*)

Matrimonia clandestina etiam *capitulario* 127 Caroli Magni sic prohibentur : *Sancitum est ut publicè nuptiæ ab his qui nubere cupiunt fiant, quia sæpè in nuptiis clam factis gravia peccata accumulantur, ... publicè & non occultè ducenda est uxor. (Apud Baluz. tom. 1. pag. 1062.)*

Legem hanc constituendi graves fuerunt causæ. 1°. Enim cùm Matrimonia clandestina, neque in ecclesiastico, neque in civili foro probari possent, non semel contingebat ut homines leves & flagitiosi, ruptâ prioris conjugii fide, ad novas nuptias impunè convolarent, sicque in perpetuo adul-

terio miserè viverent; 2°. evenire poterat ut, post Matrimonia clanculùm & fraudulenter inita, perversi conjuges sacros Ordines susciperent, & cum uxoribus ecclesiastica beneficia possiderent; 3°. nullum sive in Ecclesia, sive in Republica conjunctionibus incestis præsens extitisset remedium, si unicuique licuisset furtiva, semotisque testibus Matrimonia contrahere ; meritò igitur fuerunt antiquis legibus interdicta.

PROPOSITIO III.

Matrimonia clandestina sunt etiam irrita.

Prob. 1°. ex Consilio Tridentino sic definiente : *Qui aliter quàm, præsente Parocho, vel alio Sacerdote de ipsius Parochi seu Ordinarii licentiâ, & duobus vel tribus testibus, Matrimonium contrahere attentabunt, eos Sancta Synodus ad sic contrahendum omninò inhabiles reddit, & hujusmodi contractus irritos & nullos esse decernit. (Sess. 24. de reform. matrim. cap. 1.)*

Prob. 2°. Ex Principum nostrorum edictis qui Concilii Tridentini decretum in eo capite approbârunt. Blesense anni 1579. art. 40. ita jubet : *Pour obvier aux abus & inconvéniens des mariages clandestins, ordonnons que nos sujets.... ne pourront valablement contracter mariage sans proclamation de Bans, ... après lesquels seront épousés publiquement.* Articulum istum confirmârunt edicta tùm 26. Novemb. 1639, tùm 15. Junii 1697.

Quæres 1°. quid sentiendum sit de Matrimoniis quæ facta dicuntur gallicè *à la gomine ;* id est, quando contrahentes, Parocho nuptialem benedictionem recusante, coram eo declarant sese invicem in conjuges accipere.

Resp. Apud nos hujusmodi contractus nullius esse momenti reputantur. Possunt ergo contrahentes in foro tùm externo, tùm interno novas ad nuptias

transire. In Tractatu enim de contractibus, (*sect.* 1. *cap.* 3.) ostendemus quemlibet contractum, qui formulis caret ab autoritate legitima constitutis, tanquam necessariis, nullum, etiam in foro conscientiæ, esse : atqui ex constanti supremorum Senatuum jurisprudentiâ certum est benedictionem nuptialem esse necessariam; ergo, eâ prætermissâ, non valet ille contractûs, ac proindè conscientiam non tenet obstrictam, quando irritus à Judice fuit declaratus.

Quæres 2°. quo numero & quales esse debeant testes.

Resp. 1°. totam veterum edictorum mentem circa testium numerum & dotes complectitur his verbis declaratio 9 April. an. 1736 : *Assisteront auxdits actes (de célébration de mariage) quatre témoins, dignes de foi & sachant signer, s'il peut aisément s'en trouver dans le lieu qui sachent signer; leurs noms, qualités & domiciles seront pareillement mentionnés dans lesdits actes, & lorsqu'ils seront parens ou alliés des contractans, ils déclareront de quel côté & en quel degré, & l'acte sera signé sur les deux registres, tant par celui qui célébrera le mariage, que par les contractans, ensemble par lesdits quatre témoins au moins; & à l'égard de ceux des contractans ou desdits témoins qui ne pourront ou ne sauront signer, il sera fait mention de la déclaration qu'ils en feront. (Art. 7.)*

Resp. 2°. Cùm nihil rati de testium sexu edicta statuant, variæ sunt Jurisperitorum opiniones. Asserit *Duperray* in advocatorum collatione (*Conférence*) die 3 Jun. 1711. judicatum fuisse feminam non posse in Matrimonio testem esse. Cujus in sententiæ gratiam allegat decretum Senatûs Parisiensis 26. Aug. 1710. (*Traité des dispenses de Mariage, chap.* 41. *pag.* 394.) Et verò mulieres obeundis publicis functionibus non sunt idoneæ, neque à jure & consuetudinibus tanquàm

testes admittuntur in præcipuis societatis actibus, qualia sunt testamenta, in quibus tamen non agitur, nisi de bonis temporalibus; congruere ergo videtur, ut tanquam testes non adhibeantur in publicis maximi momenti actibus, quales ii sunt quibus probatur Matrimoniorum celebratio, & duo conjuges suas personas pro toto vitæ spatio datâ fide obstringunt. Qua de re sequentia videas opera : *Plaidoyer de M. Joly de Fleury lors de l'Arrêt du* 13 *Août* 1709 (*Journal des Audiences*); *Traité de la Jurisdiction Ecclésiastique & contentieuse.* (*Tom.* 2. *part.* 4. *sect.* 2. *art.* 1.)

Eos qui oppositam defendunt sententiam non parùm juvat edictum anni 1697. Dum enim pœnas denuntiat adversùs mulieres quarum falsa essent testimonia, supponit eas in Matrimonio idoneos esse testes. Ex eo sententiarum conflictu sequitur Parochis curandum esse, ut in iis occasionibus homines tantùm advocent.

Contendit *Gibert* (*Consult. Canonic. Tom.* 1. *consult.* 46.) hominem qui in carcerem conjectus fuit, aut damnatus, aut à Judice reprehensus, non posse ut testem adhiberi in celebratione Matrimonii. Edicta enim postulant *testes fide dignos*, & jure canonico præcipitur ut *testes absque ulla infamia vel suspicione, vel manifesta macula, in ferendo testimonio requirantur.* (*Lib.* 1. *Decretal. tit.* 25. *cap.* 1.)

Resp. 3°. Edictum anni 1697 jubet à Parochis testes ante Matrimonii celebrationem præmoneri de pœnis adversùs eos constitutis, qui de contrahentium ætate, qualitate & domicilio aliquid falsi testati fuerint. Homines damnantur ad mulctam honorariam, ad triremes pro tempore quod Judicibus æquum videbitur, vel ad exilium (*bannissement*) si ferendæ triremium pœnæ non sint pares. Feminis verò denuntiantur pariter mulcta honoraria (*amende honorable*) & exilium quod novem annis brevius esse non poterit.

Propositio IV.

Ad consensum Matrimonialem satis est ut per procuratorem declaretur.

Probatur 1°. Quia contractus, non inter præsentes tantùm, sed etiam inter absentes validè fiunt; 2°. quia eo modo sæpè facta sunt Matrimonia, de quorum tamen veritate nunquam dubitatum fuit: hujusmodi est conjugium de quo loquitur Scriptura Rebeccam inter & Isaacum, agente Eliezer procuratore domûs Abrahami: (*Genes.* 24.) sic etiam Henricus IV Galliarum Rex, Mariam *de Medicis* per Dominum *de Bellegarde*, Magnum Regis Armigerum, uxorem duxit; quod posteà in Principum Matrimoniis frequentatum fuit: 3°. quia Concilium Tridentinum in decreto suprà laudato, ea tantùm connubia facit irrita, quæ clanculùm & sine testibus fiunt: atqui Matrimonium, licèt per procuratorem contractum, potest coram testibus & ipso Parocho, ut Ecclesia postulat, celebrari; ergo, &c.

Nonnullæ tamen servandæ sunt conditiones, ut ratum sit hujusmodi Matrimonium. Prima est, ut procurator mandatum speciale habeat, ad contrahendum cum certa quadam persona mandantis nomine; nec enim satis est mandatum generale, quia nemo in re tanti momenti, quanti est Matrimonium, consentire censetur, nisi ipse procuratori eam designaverit personam, quam sibi vult Matrimonio jungere. Secunda est, ut antequàm res gesta sit, non revocatum fuerit mandatum; alioquin invalidè procurator contrahet, quamvis & ipse & persona cum quâ contraxit, revocationem hanc penitùs ignoraverint. Ratio est, quòd in eo casu deesset alterius partis consensus, sine quo nuptiæ fieri non possunt. Quo in capite dispar est ratio contractûs matrimonialis & aliorum contractuum qui validè fiunt, & obligationem important, si antequàm celebrentur, mandati revocatio procuratori, aut alteri parti contrahenti non innotuerit. Tertia conditio est, ut procurator matrimonialem contractum per verba de *præsenti* celebret coram Parocho & testibus, cùm generatim & sine ullâ exceptione dixerit Tridentina Synodus: *Qui aliter quàm præsente Parocho, & duobus, vel tribus testibus Matrimonium contrahere attentabunt*, &c. In Galliis ubi Concilium non fuit promulgatum, hæc conditio per Edictum Blesense requiritur.

CAPUT III.

De parentum in Matrimonialem consensum potestate.

Circa Matrimonialem consensum, prout à parentibus pendet, duo sunt expendenda; primum, an filii sine parentum consensu licitè contrahant; secundum, utrùm eorum Matrimonia, invitis parentibus contracta, jure gallico rata sint & valida.

Articulus primus.

An filii sine parentum consensu Matrimonium licite contrahant.

Prænotandum est 1°. parentum nomine, non patrem solùm & matrem intelligi, sed omnes utriusque sexûs in linea recta ascendentes, avum scilicèt, proavum, aviam, proaviam, qui superstites sunt, cùm filii Matrimonium contrahere

Propositio IV.

Ad consensum Matrimonialem satis est ut per procuratorem declaretur.

Probatur 1°. Quia contractus, non inter præsentes tantùm, sed etiam inter absentes validè fiunt; 2°. quia eo modo sæpè facta sunt Matrimonia, de quorum tamen veritate nunquam dubitatum fuit: hujusmodi est conjugium de quo loquitur Scriptura Rebeccam inter & Isaacum, agente Eliezer procuratore domûs Abrahami: (*Genes.* 24.) sic etiam Henricus IV Galliarum Rex, Mariam *de Medicis* per Dominum *de Bellegarde*, Magnum Regis Armigerum, uxorem duxit; quod posteà in Principum Matrimoniis frequentatum fuit: 3°. quia Concilium Tridentinum in decreto suprà laudato, ea tantùm connubia facit irrita, quæ clanculùm & sine testibus fiunt: atqui Matrimonium, licèt per procuratorem contractum, potest coram testibus & ipso Parocho, ut Ecclesia postulat, celebrari; ergo, &c.

Nonnullæ tamen servandæ sunt conditiones, ut ratum sit hujusmodi Matrimonium. Prima est, ut procurator mandatum speciale habeat, ad contrahendum cum certa quadam persona mandantis nomine; nec enim satis est mandatum generale, quia nemo in re tanti momenti, quanti est Matrimonium, consentire censetur, nisi ipse procuratori eam designaverit personam, quam sibi vult Matrimonio jungere. Secunda est, ut antequàm res gesta sit, non revocatum fuerit mandatum; alioquin invalidè procurator contrahet, quamvis & ipse & persona cum quâ contraxit, revocationem hanc penitùs ignoraverint. Ratio est, quòd in eo casu deesset alterius partis consensus, sine quo nuptiæ fieri non possunt. Quo in capite dispar est ratio contractûs matrimonialis & aliorum contractuum qui validè fiunt, & obligationem important, si antequàm celebrentur, mandati revocatio procuratori, aut alteri parti contrahenti non innotuerit. Tertia conditio est, ut procurator matrimonialem contractum per verba de *præsenti* celebret coram Parocho & testibus, cùm generatim & sine ullâ exceptione dixerit Tridentina Synodus: *Qui aliter quàm præsente Parocho, & duobus, vel tribus testibus Matrimonium contrahere attentabunt*, &c. In Galliis ubi Concilium non fuit promulgatum, hæc conditio per Edictum Blesense requiritur.

CAPUT III.

De parentum in Matrimonialem consensum potestate.

Circa Matrimonialem consensum, prout à parentibus pendet, duo sunt expendenda; primum, an filii sine parentum consensu licitè contrahant; secundum, utrùm eorum Matrimonia, invitis parentibus contracta, jure gallico rata sint & valida.

Articulus primus.

An filii sine parentum consensu Matrimonium licite contrahant.

Prænotandum est 1°. parentum nomine, non patrem solùm & matrem intelligi, sed omnes utriusque sexûs in linea recta ascendentes, avum scilicèt, proavum, aviam, proaviam, qui superstites sunt, cùm filii Matrimonium contrahere

meditantur ; 2°. aliud esse consensum petere, aliud obtinere ; 3°. consensum justè & injustè negari posse : his prænotatis, sit

Propositio I.

Filii, inconsultis parentibus, Matrimonium licitè contrahere non possunt ; sed eorum consensum semper petere debent.

Probatur 1°. ex Scripturis in quibus observare est, divina de filiorum Matrimonio præcepta magis parentibus, quàm filiis dari, ut inde appareat quantam in ea re partem habere debeant. Hæc enim ad patres diriguntur Dei mandata de Matrimonio cum alienigenis non ineundo : *Ne ineas pactum cum hominibus regionum illarum, ... nec uxorem de filiabus eorum accipies filiis tuis.* (*Exod.* 34. *v.* 15 *&* 16.) *Filiam tuam non dabis filio ejus* (Chananæi nimirùm & Gentilis), *nec filiam illius accipies filio tuo.* (*Deut.* 7. 3.) *Date filiis vestris uxores*, ait Deus, *& filias vestras date viris.* (*Jerem.* 29. 6.)

Prob. 2°. legibus ecclesiasticis quibus passim declaratur legitimum non posse fieri conjugium, nisi parentum consensus accedat. Quam disciplinam jam ab Ecclesiæ incunabulis obtinuisse patet ex his Tertulliani verbis : *Nec in terris filii sine consensu patrum rectè & jure nubunt.* (*Lib. ad uxorem, cap.* 8. *pag.* 172.) *Sponsus & sponsa*, inquit Concilium Carthaginense an. 398, *cùm benedicendi sunt à Sacerdote, à parentibus offerantur.* (*Tom.* 2. *Conc. pag.* 1201.) Synodus Aurelianensis IV an. 541. declarat, *conjugium contra voluntatem parentum impiè copulari.* (*Can.* 22.) Sexcenta sunt hoc genus testimonia quibus referendis supersedemus, cùm Tridentina Synodus sic affirmaverit : *Sancta Dei Ecclesia ex justissimis causis illa semper detestata est, atque prohibuit.* (*Sess.* 24. *de reform. cap.* 1.)

Prob. 3°.

Prob. 3°. legum civilium autoritate : cautum est enim Regum nostrorum Edictis, ne filiifamilias ante annum ætatis suæ trigesimum complerum, filiæ verò vigesimum quintum, Matrimonia sine parentum consensu contrahant, propositâ etiam, ni faciant, exheredationis pœnâ. Sic enim statuit Henricus II Edicto an. 1556 : *Ordonnons que les enfans de famille ayant contracté, & qui contracteront .... Mariages clandestins, contre le gré, vouloir, & consentement .... de leurs pères & mères, puissent pour telle irrévérence & ingratitude .... être par leursdits pères & mères, & chacun d'eux, exhérédés & exclus de leur succession, sans espérance de pouvoir quereller l'exhérédation qui ainsi aura été faite.* (*Ordonnances de Fontanon, tom.* 1. *liv.* 4. *tit.* 7. *pag.* 749.)

Idem jubet Henricus III Edicto Blesensi an. 1579 : *Nous voulons que les Ordonnances ci-devant faites contre les enfans contractant Mariage sans le consentement de leurs pères & mères, tuteurs & curateurs, soient gardées, même celles qui permettent en ce cas les exhérédations.* (*Art.* 41. *ibid. pag.* 750.)

Idem statuitur Edicto an. 1697 erga viduas etiam majores : *Ajoutant à l'Ordonnance de* 1556, *& à l'article* 2 *de celle de l'an* 1639, *permettons aux pères & mères d'exhéréder leurs filles veuves, même majeures de* 25 *ans, lesquelles se marient sans avoir requis par écrit leurs avis & conseils.*

Prob. 4°. ratione : si quando postulent reverentia gratique animi sensus, ut filii voluntati parentum obsequantur, maximè in re gravissimi momenti, unde pendet familiarum pax, optima Regnorum constitutio, felix in præsenti & in altera vita conjugiorum exitus : atqui ex Matrimoniis sapienter institutis hæc omnia pendere certum est ; ergo, &c.

PROPOSITIO I.

Filii ante annum ætatis suæ trigesimum, & filiæ ante vigesimum quintum completum, non solùm petere, sed etiam obtinere debent parentum consensum, ut licitè apud nos Matrimonium contrahant; nec propter injustam eorum repugnantiam ab ea lege eximuntur.

Probatur Regum nostrorum Edictis, Henrici II, Henrici III, Ludovici XIII, ann. 1639, & supremarum Curiarum quarum in hac parte una eademque est definitio. Quin autem leges illæ in conscientia obligent, nullum esse debet dubium: leges enim illæ in foro conscientiæ vim habent obligandi, quæ ad bonum commune spectant: atqui præfatæ leges, &c. Inde enim pendent tota vitæ ratio, familiarum concordia, Regnorum decus & tranquillitas, pietas & reverentia in parentes; ergo hujusmodi leges conscientiam obstrictam tenent, etiamsi parentum obsistentium voluntas aliquando sit injusta; siquidem dominis *parendum esse, etiam discolis, non solùm propter iram, sed etiam propter conscientiam*, Apostoli Petrus & Paulus pronuntiant. Cùm ergo legibus nostris constitutum sit, ut in contrahendo Matrimonio filii ad annum trigesimum completum, & filiæ ad vigesimum quintum integrum, non suâ tantùm, sed & paternâ voluntate regantur, ad hanc usque ætatem necesse est ut parentum consensum obtineant, & proindè tandiù à contrahendo Matrimonio abstineant, quandiù illi fuerint in recusando pertinaces.

Objic. Multa & gravia ex necessitate consensum à parentibus obtinendi sequuntur incommoda: inde enim contingere potest, ut concupiscentiæ motibus exagitentur crudeliùs filii; ut Matrimonio quod contrahere meditantur, non alia de causa

pater obsistat, quàm ne cogatur dotem numerare, vel ut eos iniquis procrastinationibus adducat ad Matrimonium cum puellis non placentibus ineundum.

Resp. hæc incommoda abundè compensari clandestinorum conjugiorum exstirpatione, familiarum pace, Reipublicæ tranquillitate, necessariâ filiorum erga parentes reverentiâ: cùm enim legum humanarum illa sit conditio, ut omnibus & singulis incommodis occurrere non possint, iis inhærendum est quæ in bonum commune cedunt, licèt quibusdam malis occasionem præbeant.

Si ergo Matrimonio filii qui trigesimum ætatis suæ annum nondùm attigit, injustè pater obstiterit, precibus & obsecrationibus apud illum agat, faciatque ne paternâ autoritate abuti velit; quod si obtinere non potuerit, rem totam Deo permittat qui *fidelis cùm sit, non patietur eum tentari supra id quod potest; sed faciet etiam cum tentatione proventum ut possit sustinere;* (1. Cor. 10. 13.) concupiscentiæ motibus opponat jejunia, carnis castigationem, muliebris societatis fugam, piorum librorum crebram meditationem, preces assiduas, & tandem ad annum trigesimum perveniet; tumque satis erit parentibus sine causa reluctantibus obsequiosam contrahendi significationem, gallicè *sommation respectueuse*, oppe-tuisse.

Quæres quomodò fieri & quotuplex esse debeat hujusmodi interpellatio *(sommation.)*

Resp. 1°. eas interpellationes olim frequentiùs significabat simplex Apparitor, quod multis incommodis erat obnoxium, & reverentiæ patribus debitæ non satis congruere videbatur. Quam ob causam Senatus Parisiensis decreto an. 1691, earum formam sic præscribit: *Les fils & filles, même les veuves qui voudront faire sommer leurs pères & mères, aux termes de l'Ordonnance, de consentir*

à leurs Mariages, seront tenus à l'avenir d'en demander permission aux Juges Royaux des lieux des domiciles des pères & mères, qui seront tenus de la leur accorder sur requête, & les sommations seront faites en cette ville de Paris par deux Notaires, & par-tout ailleurs par deux Notaires Royaux, ou un Notaire Royal & deux témoins domiciliés qui signeront avec le Notaire, le tout à peine de nullité. (Journ. des audiences.)

Attamen propter illius consensûs earumque interpellationum defectum, inquit *Rousseau de la Combe*, irritum non declararetur Matrimonium; sed parentibus tantùm facultatem daret filios majores hereditate excludendi. (*Ad verbum* Rapt, *sect.* 3.) Die 7 Maii 1782, Curiæ Parisiensis judicium jubet testamenti executionem, quo filiam suam pater quidam exheredaverat, quia sine ipsius consensu nupserat, nec præmissâ reverenti interpellatione, qualis in decreto suprà memorato præcipitur. (*Gazette des Tribunaux, an.* 1782, *n.* 20. *art.* 2. *pag.* 310.)

Resp. 2°. Consultum 1692 non statuit quotuplex esse debeat obsequiosa hæc admonitio. Putat D. *Pothier* duas saltem esse necessarias. (*Traité du Contrat de mariage. part.* 4. *chap.* 1. *sect.* 2. *art.* 1. §. 3.) Juxta D. *Gibert* usus invaluit ut tres fierent. (*Tom.* 1. *consult.* 60.) Senatus Tolosanus decreto 26 Jun. 1723, vetat ne filiifamilias majores Matrimonium contrahant *sine patrum & matrum approbatione & consensu, aut nisi eum tribus iteratis actibus requisierint, & quidem sub pœnis quæ Principum Edictis constitutæ fuerunt.* (*Rec. Judiciaire de Toulouse, tom.* 1. *pag.* 242, *tom.* 2. *pag.* 247.) Sapienter admodùm institutæ fuerunt tres illæ interpellationes. Sic enim filiisfamilias tempus datur seriò & maturiùs considerandi, quàm gravis momenti sit Matrimonium, ad quod cupiditatis impetu, potiùs quàm rationis moderamine sese ferrent.

PROPOSITIO III.

Eadem ferè est Tutorum & Curatorum in Pupillos autoritas.

Probatur 1°. quia Reges nostri, & maximè Ludovicus XIII, in Declaratione an. 1639, Tutorum Curatorumque consensum priùs obtineri volunt, quàm pupilli Matrimonia conficiant; 2°. quia cùm Tutores & Curatores parentum vices agant, æquum est eumdem illis honorem exhiberi, ac parentibus, nihilque sine eorum consilio & licentia fieri, quod gravioris sit momenti: atqui nihil est in pupillorum vita, quod majoris sit momenti, quàm Matrimonium, ut satis patet; ergo illud sine Tutorum consensu inire non debent.

Aliquid tamen est discriminis inter Tutorum & parentum autoritatem: 1°. enim jure communi, Tutorum & Curatorum potestas desinit anno ætatis pupillorum vigesimo quinto: neque enim occurrit aliqua lex quæ Tutorum autoritatem ad annum usque trigesimum protendi jubeat; post elapsum igitur annum vigesimum quintum, quo majores fiunt pupilli, illis opus non est Tutorum Curatorumve consensu, ut licitè Matrimonium ineant.

2°. Suâ oppositione faciliùs excidunt Tutores quàm parentes, quibus satis est filiorum ante annum vigesimum quintum aut trigesimum contrahere meditantium, Matrimonia nolle. Tutores autem gravissimas suæ intercessionis rationes tenentur afferre, nisi causâ cadere velint: refert enim doctissimus Henricus *Basnage* in annum 1659, nullam habitam esse rationem repugnantiæ & provocationis Tutorum ad superius tribunal, quia nullâ causâ satis gravi nitebatur; anno autem 1671 declaratum esse jure ac meritò intercessisse Tutorem, propter inæqualem pupilli viginti annos

nati, & puellæ cujus amore deperibat, conditionem.

3°. Parentibus minimè neceſſe eſt cognatorum conſilia adhibere, ut filios ſuos Matrimonio jungant : hanc verò legem Tutoribus ſic imponit articulus 40 Edicti Bleſenſis : *Défendons à tous Tuteurs d'accorder ou conſentir le Mariage de leurs mineurs, ſinon avec l'avis & conſentement des plus proches parens d'iceux, tant paternels que maternels, ſous peine de punition exemplaire.* Ubi autem diſcordant propinquorum conſilia, tunc Judices parentum vices gerunt, & ſecundùm eam ſententiam decernunt, quam minori utiliorem exiſtimant. Ita pronuntiat decretum 26 Novemb. 1701. (*Journ. des audiences.*)

Propositio IV.

Si manifeſtè injuſta ſit parentum Matrimonio filiorum obſiſtentium voluntas, poſſunt, filii petito, quamvis non obtento parentum conſenſu, maſculi quidem poſt annum trigeſimum, feminæ autem poſt vigeſimum quintum expletum, Matrimonia contrahere.

Probatur. Illud enim poſſunt filii, quod per Edicta Henrici II, Henrici III & Ludovici XIII ipſis licitum eſt : atqui per iſtorum Principum Edicta filiis conceditur facultas, poſtulato, nec obtento parentum obſiſtentium conſenſu, Matrimonia contrahendi poſt annum trigeſimum expletum, ſed priùs factâ parentibus obſequioſâ & reverenti denuntiatione. Sic enim ſtatuit Ludovicus XIII Edicto an. 1639 : *Enjoignons aux fils qui excèdent l'âge de trente ans, & aux filles qui excèdent celui de vingt-cinq, de requérir par écrit, (c'eſt-à-dire, par voies de Juſtice) l'avis & conſeil de leurs pères & mères pour ſe marier, ſous peine d'être exhérédés par eux, ſuivant l'Edit de*

l'an 1556. (*Art.* 2. *Conférence des Ordonnances, par* Guénois, *liv.* 5. *tit.* 2. *tom.* 1. *pag.* 707.) Satis eſt igitur filiis qui annum trigeſimum, & puellis quæ annum vigeſimum quintum exceſſerunt, ut parentum conſenſum requiſierint. Cùm autem ſupponatur manifeſtè injuſta repugnantium parentum voluntas, poſſunt filii in hac hypotheſi Matrimonium tutâ conſcientiâ celebrare.

Propositio V.

Si juſtam ob cauſam Matrimonio filiorum parentes obſiſtant, filii à peccato non ſunt liberi, ſi contrahant, quamvis non prohibeantur lege poſitivâ poſt annum trigeſimum elapſum, modò parentum conſenſum ſcripto rogaverint.

Probatur. Illi non ſunt à peccato liberi, qui debitam parentibus reverentiam lædunt : atqui filii in hypotheſi de qua agitur, debitam, &c. ſiquidem patrem juſtè prohibentem parvipendunt & reſpuunt, quod nunquam poteſt filius, etiamſi fuerit centum annos natus : non videmus enim ullos ſive à natura, ſive à Deo reverentiæ parentibus debitæ poſitos fuiſſe limites ; ſi quos poſuerit lex civilis, ad eos propriè caſus pertinent, in quibus filii ſunt parentibus prudentiores ; non autem ad eos caſus in quibus juſta de cauſa filiis obſiſtunt parentes.

Suum verò conſenſum juſtè denegant parentes, 1°. ubi Matrimonium familiæ tranquillitatem perturbaret, vel ipſi dedecus afferret ; 2°. cùm exiſtimant liberorum fortunæ aut ſaluti nociturum eſſe conjugium, cujus funeſta conſectaria non prævident liberi ſuâ cupiditate obcæcati ; 3°. ubi agitur de conjugio cum perſona hæretica ineundo : hujuſmodi enim nuptias non Eccleſia tantùm prohibet, verùm etiam Edictum menſis novembris anni 1680 ; 4°. cùm volunt liberi Matrimonium in extera

regione contrahere, nisi expressum Principis consensum obtinuerint parentes: hæc quippè conjugia vetat Declaratio 16 Jun. 1685.

Ceterùm quantumvis frivolæ sint parentum obsistentium rationes, ultrà procedere non debent Parochi, nisi sublata fuerit hæc oppositio. Ad eos quippè non pertinet judicium de altercationibus circa rem conjugalem motis.

PROPOSITIO VI.

Si pater filii Matrimonio consentiat, mater verò dissentiat, non potest filius ad annum usque trigesimum contrahere ob debitam matri reverentiam.

Probatur. Illud non potest filius, quod legum nostrarum autoritate prohibetur: atqui vetant leges nostræ ne filius Matrimonium contrahat, dissentiente matre, licèt consentiente patre, ante annum trigesimum. Ad hoc enim satis est ut leges nostræ, non patris tantùm, sed etiam matris consensum à filio expectandum esse definiant: atqui ita jure gallico sancitum est, & quidem expressis verbis; sic quippè jubet Henricus II Edicto an. 1556: *Ordonnons que les enfans de famille, qui contracteront mariage contre ..... le consentement de leurs pères & mères, ... puissent être par eux exhérédés.* (Guénois, *ubi suprà. pag.* 703 *& suiv.*) Ita etiam statuunt Henricus III & Ludovicus XIII; ergo, &c.

Quæres 1°. utrùm quæ hactenùs dicta sunt de necessitate consensûs parentum obtinendi, ut Matrimonium licitè contrahant filiifamilias, ad viduos & viduas etiam pertineant.

Resp. Pertinent; tùm quia viduitatis status filios non liberat à debita parentibus reverentia & pietate; tùm quia sic à Ludovico XIII statutum est

in Declaratione an. 1639: *Déclarons que les veuves, fils & filles moindres de vingt-cinq ans, qui auront contracté Mariage contre lesdites Ordonnances* (sans le consentement des pères & mères), *privés & déchus par le seul fait, ensemble les enfans qui en naîtront, indignes & incapables à jamais des successions de leurs pères, mères, aïeux, &c.* (*Art.* 2. Guénois. *Ibid. pag.* 707.)

Quæres 2°. an justa sit exheredationis pœna, quâ in Gallia plecti posse creduntur filii, inconsultis parentibus, Matrimonium contrahentes.

Resp. justam esse, siquidem justis de causis ab eo lata est, qui legitimam habet autoritatem, scilicèt à Principe, & propter commune bonum. Si enim auferatur exheredationis pœna, ac proindè illius subeundæ metus, nullum supereset frenum quo filii à deturpandis parentum familiis deterreantur, ignobiles & paternâ conditione inferiores ducendo uxores.

ARTICULUS II.

An contracta, invitis aut inconsultis parentibus, Matrimonia jure gallico rata sint & valida.

Juxta receptam in supremis Galliæ Senatibus jurisprudentiam, Matrimonia quæ contra parentum voluntatem ineunt filii 25 annis minores, declarantur *invalidè contracta*; quis autem esse debeat illorum verborum sensus disputatur. Alii cum doctissimo *Gibert*, (*Lib. de Doctrina Canonum corpore juris inclusorum.*) volunt hujusmodi conjugia declarari invalida, etiam quoad contractûs civilis substantiam; alii verò cum Sanbovio, Natali Alexandro, &c. contendunt ea conjugia non pronuntiari irrita, nisi quoad civiles conjugalis con-

tractûs effectus, nempè dotem uxoris, jus ad hæreditatem, donationem inter conjuges, &c.

Propositio.

Matrimonia, invitis parentibus, contracta à filiis qui 25 annis minores sunt, non solùm quoad effectus civiles, sed etiam quoad contractûs substantiam, jure gallico irrita declarantur.

Probatio I.

Ex Principum nostrorum Edictis.

Henricus III in articulo 40 Edicti Blesensis ita jubet: *Enjoignons aux Curés, Vicaires & autres, de s'enquérir soigneusement de la qualité de ceux qui voudront se marier, & s'ils sont enfans de famille, ou étant en la puissance d'autrui; nous leur défendons très-étroitement de passer outre à la célébration des Mariages, s'il ne leur apparoît du consentement de leurs pères, mères, tuteurs ou curateurs, sous peine d'être punis comme fauteurs de crime de rapt.*

Henricus IV in articulo 12 Edicti an. 1606 præcipit Judicibus ut ejusmodi Matrimonia declarent *nuls & non valablement contractés, comme cette peine indicte par les Conciles.*

Denique Ludovicus XIII in articulo I Declarationis an. 1639. ita præscribit: *Nous voulons que l'article 40 de l'Ordonnance de Blois, touchant les Mariages clandestins, soit exactement gardé, & interprétant icelui, Ordonnons que la proclamation des Bans sera faite par le Curé de chacune des parties contractantes, avec le consentement des pères, mères, tuteurs ou curateurs, s'ils sont enfans de famille, ou en la puissance d'autrui.* Ex iis autem legibus multiplex deducitur argumentum.

Arg. I. Articulo 40 Edicti Blesensis prohibetur sub pœnâ in raptûs fautores constitutâ, ne quis Parochus aut Vicarius ante Matrimonio jungat filiosfamilias, quàm de parentum consensu prævio constiterit. Rex proindè conjugia sine parentum approbatione à filiisfamilias contracta, iis assimilat quæ raptûs crimine inficiuntur: atqui Matrimonia in quibus occurrit raptus, irrita sunt quoad substantiam, ita ut posteà liceat unicuique contrahenti nova inire conjugia; ergo, &c.

Hinc celeberrimus d'Agueſſeau: *La loi ne confirme point un Mariage qui a été contracté au mépris de la puissance paternelle. Ce qui fait aujourd'hui la matière d'une question, étoit autrefois si constant, que personne n'osoit le révoquer en doute..... l'Eglise de France .... non seulment a toujours détesté, condamné, défendu les Mariages contractés sans le consentement des pères, mais elle les a même déclarés nuls. Elle a suivi les constitutions de nos Rois .... qui prononcent la peine de nullité contre ces engagemens criminels, & ne font point de différence entre le rapt de séduction & le défaut du consentement des pères.* (*Œuvres* d'Agueſſeau, *tom.* 1. *pag.* 161. & 162.)

Arg. II. In articulo 12 Edicti an. 1606, eadem Matrimonia dicuntur *nuls & non valablement contractés, comme cette peine indicte par les Conciles;* atqui, fatentibus ipsismet adversariis, antiqui Canones Matrimonia filiorumfamilias sine parentum consensu facta non tantùm prohibent, verùm etiam prorsùs nulla & irrita declarant; ergo, &c.

Arg. III. Dubitari non potest quin Legislator novis istis legibus voluerit pœnam infligere eâ majorem, quam constituerat Henricus II in Edicto an. 1556: atqui Edictum illud jam exhæredationis pœnam denuntiaverat; jam illicita declaraverat Matrimonia sine parentum consensu à filiisfamilias contracta; jam ea civilibus spoliaverat effectibus; in quo igitur sita esset nova & gra-

vior pœna Edictis posterioribus sancita, nisi in eo quòd nullas & invalidas quoad substantiam pronuntient hujusmodi conjunctiones? Quamobrem ipse Collator Parisiensis ita fateri cogitur: *On ne peut pas désavouer qu'Henri III n'ait porté atteinte dans l'article 40 de son Edit à la substance des Mariages, que des mineurs auroient contractés sans le consentement de leurs pères & mères.* (*Tom. 2. liv. 6. confér.* 1. §. 4.)

Arg. IV. Edicto Blesensi Henrici III & Declarationibus, tùm Henrici IV an. 1606, tùm Ludovici XIII an. 1629, ut filiifamilias validè contrahant, requiritur *Bannorum* proclamatio de consensu parentum facta: unde sequitur eorumdem consensum, cùm illæ Declarationes editæ sunt, ejusdem visum fuisse cum Bannorum proclamatione necessitatis: atqui *Bannorum* promulgatio, labente sæculo XVI, & ineunte XVII, judicabatur ad contractûs matrimonialis veritatem ita pertinere, ut vel sola imprudens illius omissio utrique contrahenti liberam faceret ad nova conjugia transeundi facultatem: quod ex celeberrimis Galliarum Jurisconsultis certum est; ergo vi earumdem Declarationum, ad validè contrahendum ita necessarius esse debuit parentum consensus, ut eo neglecto, fas esset utrique contrahenti ad novas convolare nuptias. Quamvis tanta non sit nostrâ ætate proclamandorum *Bannorum* necessitas, nobis tamen satis est ut eo tempore major fuerit, quo præfata Regum nostrorum Edicta prodiêre.

Ea de re audiamus doctissimum legis interpretem D. *d'Agueſſeau: Nous devons distinguer deux choses dans la loi qui impose la publication des Bans: la première est le mal & l'inconvénient que l'on a voulu prévenir, & qui a été le principal objet du Legislateur; la seconde est le remède & la précaution qu'on a crus capables d'en arrêter les progrès. L'inconvénient que la loi a en vue, est le mépris de la puissance paternelle, & les suites funestes que pouvoit avoir un engagement condamné par le père. La précaution qu'on a voulu opposer à ce désordre, est la proclamation des Bans. Pourra-t-on soutenir que la peine de nullité soit prononcée contre l'un, & qu'elle ne le soit pas contre l'autre; que la loi venge plus sévérement l'omission de cette formalité, que le crime même que l'on a voulu prévenir par l'observation de cette formalité? En un mot peut-on prétendre, sans tomber dans une contradiction manifeste, que ceux qui attaquent l'esprit de la loi, qui violent son intention, qui renversent son principe & son fondement, sont moins coupables que ceux qui n'attaquent que la lettre & l'extérieur de la loi?* (*Tom. III. pag.* 82.)

Arg. V. ex Declaratione an. 1686, quæ die sextâ Augusti edita est in gratiam filiorumfamilias, quorum parentes Pseudo-Reformati è Regno exierant; statuit enim Rex ut Matrimonia quæ à prædictis filiisfamilias deinceps contraherentur, non expectato nec requisito parentum consensu, rata sint & valida: qui in re fatetur se antiquis constitutionibus derogare, velleque Matrimoniorum firmitati consulere: porrò cùm illa conjugia non solùm quoad effectus civiles, sed etiam quoad contractum ipsum firma & rata sint, certò concluditur per antiquas Regni constitutiones declarari irrita, non solùm quoad effectus civiles, sed etiam quoad substantiam contractûs, conjugia inconsultis parentibus facta.

PROBATIO II.

Ex insigniorum Magistratuum interpretatione.

Si quid dubii circa Edictorum mentem superesset, eam tutiùs cognoscere non possumus, quàm ex constanti illorum Magistratuum interpretatione, quorum ministerium eò maximè pertinet, ut supremis in Curiis genuinos legum sensus & Legislatoris consilium exponant: atqui illi Magistratus, nempè Advocati generales, qui ab Edicti Blesensis

tempore, mentem suam circa præsentem quæstionem apparuerunt, eum quem defendimus sensum Edictis Regiis constanter attribuerunt. Ita clarissimus *Servin* anno 1601, paulò post Edicti Blesensis promulgationem : *On peut dire qu'auparavant l'Ordonnance de Blois, on tenoit les promesses de Mariage faites en cachette par paroles de présent, etiam entre les enfans de famille qui étoient pubères, pour valables, bien que faites sans le consentement des pères, mères, ou à leur défaut, sans le gré des autres parens tenant leur lieu, pourtant qu'il n'y avoit point de loi qui les déclarât nuls .... Mais aujourd'hui il n'y a plus de doute, d'autant plus que les veils droits de l'Eglise & les anciens décrets ont été ramenés par l'Ordonnance de Blois, suivant l'opinion de ce grand S. Basile, quæ sine iis qui habent potestatem fiunt Matrimonia, sunt fornicationes .... Car l'Ordonnance de Blois est une loi parfaite, & conçue en termes précis & formels, qui cassent & annullent les promesses clandestines des Mariages.* (*Playdoy. de Messire Loys Servin, liv. 3. pag. 914.*

Apertissimam ea de re *d'Agueſſeau* mentem suprà exhibuimus. Non possumus hic non allegare clarissimum Hieronymum *Bignon*, qui Declarationem anni 1639 concinnavit. Sic ann. 1632 verba fecit in causa ubi agebatur de Matrimonio à puella septemdecim annos nata contracto, sine matris consensu, post obitum patris : *C'est une jeune fille sous la puissance & tutelle de sa mère, par conséquent elle n'a pu sans son consentement exprès valablement contracter Mariage. L'Ordonnance y est si expresse, qu'on n'y peut rien ajouter ni désirer. Le Concile provincial de Normandie, tenu à Rouen l'an 1582, y est pareillement formel & décisif. Suivant sa disposition, il a été rendu un Arrêt célèbre au Parlement de Rouen, par lequel un Mariage contracté de la sorte est déclaré nul.* (*Bardet, tom. 2. liv. 1. chap. 6. pag. 23.*)

Eamdem Edictorum interpretationem reperias in forensibus disceptationibus (*Plaidoyers*) D. *Talon* 30 Jul. 1664; D. *Portail* 31 Mart. 1703; D. *Joli de Fleuri* 12 Apr. 1704, 5 Maii 1710, 16 Jul. 1711, 27 Jun. 1713; D. *le Nain* 19 Maii 1707. &c. (*Journal des Audiences.*) Iis omnibus accedit factum quod ita narrat D. *Louet : La question de ces sortes de Mariages ayant été portée au Parlement de Paris pour en délibérer, la commune opinion des Chambres fut pour la nullité du Mariage, fondée sur l'Ordonnance qu'il falloit garder.* (*Arrêts notables, Lettre M. chap. 6. tom. 2. pag. 43.*)

PROBATIO III.

Ex Senatusconsultis (Arrêts.)

Edicti Blesensis & aliorum subsequentium interpretatio, quam vidimus ab Advocatis generalibus traditam, constanti Senatusconsultorum Jurisprudentiâ confirmatur. Cujus rei idoneum perfectò testem habemus D. *d'Agueſſeau*, in suprema Parisiensi Curia sic verba facientem : *Dans le nombre des causes de cette nature, qui ont été portées à votre audience, nous osons dire hardiment qu'il ne se trouvera aucun Arrêt qui ait confirmé le Mariage d'un mineur contracté sans le consentement de son père, lorsque le père s'en est plaint, & que la plainte n'a pû être combattue par de justes fins de non recevoir.* (*Ubi suprà.*)

Ex innumeris hujusmodi Senatusconsultis unum vel alterum duntaxat eligere jubet brevitas. En primum : Parisinus quidam nomine *Labbé*, egressus è domo paterna annos vix natus 24, inconsoluto patre, Matrimonium iniit; deindè, relictâ conjuge, aliud insciis parentibus contraxit cum puella quam dimisit, cùm 32 annum attigisset, ut tertium conjugium cum *Joanna Moreau* celebraret. Hanc cum liberis paulò post duxit Parisios ad patrem, à quo benignè exceptus statim obiit. Liberis Tutor

datur avus qui, ut onus recuſet, Matrimonium quodcumque à filio contractum, ſe inconſulto, irritum eſſe contendit. Cauſâ autem ad Pariſienſem Curiam delatâ, definitum eſt die 3 Aprilis an. 1653, duo priora connubia, ut potè inſcio patre contracta, quâ ætate nulla ſunt, irrita prorsùs eſſe, ſolumque validum eſſe quod factum fuerat, cùm ad annum 32 perveniſſet. (*Arrêt de Louet avec les Commentaires de Brodeau, tom. 2. pag. 85. Journ. des audiences, tom. 1. liv. 7. pag. 556.*)

Secundum Curiæ Pariſienſis decretum 21 Febr. 1659. declarat *nullement & abuſivement contracté*, Matrimonium filiæ 24 annos & 9 menſes natæ, cui adfuerant omnes ferè cognati, ſed diſſentiente matre in cujus tutela erat.

Tandem Senatuſconſulto 7 Septemb. 1739. Parochis Diœceſeos Senonenſis prohibitum fuit, ne articulum novi Catechiſmi de Matrimonio ab eorum Archiepiſcopo vulgati docerent: 1°. quia paterni conſenſûs in minorum conjugia defectus, inter ea tantùm impedimenta numerabatur, *quæ Matrimonium faciunt illicitum, non verò invalidum*; 2°. quia huic interrogationi, *s'il n'y a quelque peine attachée aux défenſes faites aux mineurs, de ſe marier ſans l'approbation de leurs pères*, id tantùm reſponſi datur: *Au cas que les enfans ſe marient contre ſes défenſes, la Loi donne pouvoir aux parens de les déshériter, & de plus, de faire caſſer leur mariage par les Juges royaux, quant au contrat civil & à ſes effets.* (*Code Matrim.* ad verbum *enfans de famille, nomb. 1.*)

Solvuntur objecta.

Obj. 1°. cum Autore collationum Pariſienſium & aliis, Matrimonia filiorumfamilias non propter paterni conſenſûs defectum irrita declarari, ſed propter adjunctum vel clandeſtinitatis, vel raptûs vitium; ita ut ea conjugia ratione ſui firma ſint, vinculumque importent indiſſolubile.

Reſp. 1°. Certum quidem eſt clandeſtinitatis rationem haberi in judiciis quæ ferunt ſupremæ Curiæ de hujuſmodi Matrimoniis: ſed minorum conjugiis ſine parentum conſenſu factis vitium illud inhæret. Cùm enim aſſenſus ille ſit conditio *eſſentialis*, ut nuptiæ illæ cenſeantur publicæ, ipſâ deficiente, clandeſtina ſit conjunctio neceſſe eſt. Quamobrem in hujus generis cauſis ſatis explorata viſa eſt clandeſtinitas, eo ipſo quòd defuerit parentum conſenſus, etiamſi obſervatæ fuiſſent cæteræ omnes formulæ (*formalités*) quæ conſtitutæ fuerunt, ut publica fierent majorum conjugia.

Idem ſentiendum eſt de raptu ſeductionis, qui in Gallia non diſtinguitur à raptu parentibus facto: *On appelle ordinairement le rapt de ſéduction*, raptus in parentes. (*Mém. du clergé, tom. 5. pag. 1106.*) Unde ſic habet *Paſquier*: *Nos ancêtres connoiſſant combien c'eſt une choſe de mauvais exemple, qu'un enfant au-deſſous de 25 ans fût eſtimé marié au préjudice de l'autorité paternelle, introduiſirent l'action du rapt, que nous appellons vulgairement* raptus in parentes, *qui eſt inconnue à toutes autres Nations.* (*Lettres de Paſquier, liv. 3. lett. 1.*) Nullum igitur eſſe poteſt Matrimonium à minoribus ſine parentum approbatione contractum, in quo raptus ſeductionis non inveniatur, ut ita docet clariſſimus *d'Agueſſeau*: *Par cela ſeul que le fils ſe marie contre la volonté de ſon père, la loi préſume qu'il eſt ſuborné, qu'il eſt ravi & enlevé, ou à lui-même, s'il n'y a pas conſenti, ou à ſon père & à ſa famille, ſi la paſſion lui a arraché un conſentement illégitime: c'eſt une préſomption légale écrite dans l'Ordonnance.* (*Ubi ſuprà.*)

Eamdem veritatem ſic teſtatur Autor operis cui titulus: *Traité de la Juriſdiction Eccléſiaſtique & contentieuſe.* (*part. 4. tit. 2. chap. 3. ſect. 14. §. 2.*)

Le ſentiment des Juriſconſultes fondé ſur le principe que le Souverain peut apposer un empêchement dirimant, ... explique les Ordonnances dans leur

ſens naturel & littéral, & ſoutient en conſéquence la nullité quant au contrat civil, & par conſéquent quant au lien, des Mariages de tous les enfans de famille, préciſément parce qu'ils ſont contractés ſans le conſentement des parens, & les répute clandeſtins en ce cas.

Obj. 2°. Non deſunt exempla conjugiorum quæ, licèt inſciis aut invitis parentibus contracta, in ſupremis tamen Curiis declarata fuêre valida. Hujuſmodi ſunt decreta 9 Mart. 1634, 6 Mart. 1636, 26 Mart. 1654, 30 Jul. 1664, 31 Mart. 1703, &c.

Reſp. 1°. Quæ nobis objiciuntur Senatuſconſulta, comparatè ad eà quæ nobis patrocinantur pauciſſima ſunt, neque conſtantem Juriſprudentiam, qualis in tanti momenti negotio requiritur, conſtituere poſſunt. 2°. Si diligenter excutiantur ſpeciales quæ ad ferenda hæc judicia impulerunt circumſtantiæ, opinioni noſtræ plus favent quàm nocent.

Obj. 3°. Articulus 39 Edicti anni 1629, jubet omnia Matrimonia quæ contra tenorem articuli 40 Edicti Bleſenſis fierent, declaranda eſſe *non valablement contractés*: hæc clauſula plurimùm ſollicitudinis attulit Clero Gallicano qui an. 1629 in Comitiis generalibus congregatus, Regem Ludovicum XIII ſuppliciter rogavit, ut voces iſtæ *non valablement contractés*, non intelligerentur niſi de contractu civili, minimè verò de ſpirituali contractu Sacramenti. Viri quidam à Rege delecti, ejus nomine reſponderunt hæc verba *valablement ou non valablement contractés* non intelligenda eſſe, niſi *relativè* ad contractum civilem. (*Mém. du Clergé, tom. 5. pag. 692.*)

Hinc concludunt adverſarii prædicta verba pertinere tantùm ad civiles Matrimonii effectus, non verò ipſius ſubſtantiam afficere, ita ut integrum remaneat, etiam cùm à ſupremis Curiis declaratum fuit *invalidè contractum*.

Reſp. cum Autore operis cui titulus: *Traité de la Juriſdiction Eccleſiaſtique & contentieuſe, contractûs civilis* nomine duo ſignificari poſſe, nempè vel matrimoniales tantùm conventiones, vel contrahentium legalem conſenſum, in quo ſita eſt Matrimonii eſſentia. Contendunt adverſarii Principis reſponſionem de contractu civili juxta priorem ſenſum accepto eſſe intelligendam: nos verò eam ad poſteriorem ſenſum referendam eſſe cum Galliæ Juriſperitis exiſtimamus. Ita, v. g. cenſet prædicti operis Autor: *On doit entendre par contrat civil, non le contrat paſſé par-devant Notaire, pour régler les effets civils & les conventions matrimoniales; mais le conſentement mutuel des Epoux, en tant qu'il ſe rapporte aux loix civiles des Princes, qui ont établi des empêchemens dirimans pour les Mariages de leurs ſujets. Il ne paroît pas qu'on puiſſe entendre dans un autre ſens, & reſtreindre d'après certains Auteurs aux effets civils, l'article 39 de l'Ordonnance de 1629, combiné avec la réponſe du Roi aux remontrances du Clergé & avec les articles 40 de l'Ordonnance de Blois, & 12 de 1606.* (*part. 2. chap. 4. ſect. 2. §. 7. nomb. 2.*)

Gallicanam ea de re Juriſprudentiam ſic exponit D. *de Pontchartrain* in Epiſtola 3 Septemb. 1712, ad Senatûs Veſuntini Principem (*premier Préſident*): *Le pouvoir du Prince eſt direct ſur le contrat, & indirect ſur l'adminiſtration du Sacrement; direct ſur le contrat, parce que le Prince ſeul peut en régler la nature & les conditions; indirect ſur l'aminiſtration du Sacrement, parce que le contrat étant la matière du Sacrement, ſi le contrat eſt nul, le Sacrement n'a plus de matière à laquelle on puiſſe l'appliquer. La nullité du contrat empêche que le Sacrement ne ſoit conféré .... Par le contrat, je n'entends pas parler des conventions matrimoniales, qui ne regardent que les biens, &c. j'entends ici ſous le nom de contrat, le conſentement réciproque, la foi mutuelle des parties, en un mot, ce qui forme*

entre elles un lien & un engagement indissolubles. Ce sont les principes reçus en France : ..... c'est sur ces principes qu'est fondée la doctrine constante de tous les Parlemens du Royaume, que le Prince a droit d'établir des empêchemens de Mariage, non seulement prohibitifs, mais même dirimans. Il ne faut pas croire que les empêchemens ne regardent que les effets civils du contrat ; ils regardent l'essence & la substance du Mariage ; ils tombent sur la validité du consentement, par lequel les deux parties s'engagent l'une à l'autre par un nœud que la mort seule peut rompre. (*Code Matrimon. addition à la seconde partie, art.* 4.)

At, inquiunt adversarii, sublato contractu civili, non ideò tollitur Sacramentum Matrimonii : ad istud enim sufficit contractus naturalis, sive humanus & ecclesiasticus, à contractu civili distinctus.

Resp. distinctionem hanc ita rejicit doctissimus *Gibert* : *La distinction du contrat ecclésiastique d'avec le contrat civil est nouvelle & mal fondée ; nouvelle, n'y ayant aucun des anciens Scholastiques qui en parle : mal fondée ; car ou ce contrat est conforme aux loix civiles, & pour lors il est contrat civil : ou il est contraire aux loix civiles, & pour lors il n'est pas juste, s'agissant d'une matière mixte, où les deux puissances doivent concourir.* (*Tom.* 2. *consult.* 23.)

Obj. 4°. ista Concilii Tridentini verba : *Eos Sancta Synodus anathemate damnat, ... qui falsò affirmant Matrimonia à filiisfamilias sine consensu parentum contracta, irrita esse, & parentes ea rata, vel irrita facere posse.* (*Sess.* 241. *cap. de reform. Matrim.*)

Resp. Ut solvatur hæc difficultas, satis erit strictim varios exponere sensus, quibus intelligitur illud decretum, & quorum nullus nostram evertit opinionem. Alii in eo non vident nisi statutum ad disciplinam pertinens, quod proindè in iis tantùm locis viget, in quibus receptum est Concilium,

ideòque in Gallia ubi promulgatum non fuit, nullam obligandi vim habet. Si enim, inquiunt, dogma Patres Tridentini definire voluissent, nonne definitionem hanc inter Canones pro suo more collocassent, non verò inter reformationis articulos qui ad disciplinam tantùm spectant ?

Nonnulli propter anathematis pœnam huic decreto conjunctam, in eo veram agnoscunt dogmatis definitionem : sed contendunt id unum in mente habuisse Patres, ut damnarent Novatorum errorem, qui docent posse ex jure naturali & divino parentes suorum Matrimonia filiorum rata vel irrita facere. Nullibi enim hunc errorem, nisi in eo decreto, perstringit Concilium. Unde inferunt isti Theologi, Sanctam Synodum intactas reliquisse Imperiorum leges, quibus irrita declarantur filiorumfamilias conjugia, sine parentum consensu initia.

Tandem quidam existimant à Concilio non pronuntiari anathema, nisi in eos quibus nulla & irrita videbantur ea Matrimonia, quæ jam ab aliquot ante Synodum Tridentinam seculis rata & valida putabantur ; nihil de aliis quæ in posterum contraherentur statuendo. Quæ sententia videtur historiæ hujus Concilii magis consentanea. Ibi enim legimus majorem Patrum partem, inter quos erant Cardinales Legati, censuisse nihil circa quæstionem hanc esse definiendum. (*Palav. lib.* 22. *cap.* 4. *num.* 7. 8. 10.) Idem testatur *Salmeron* qui Synodo interfuerat : *Cùm .... nonnulli, inquit, instanter postularent, ut Matrimonium quodcumque celebratum sine consensu parentum, irritum esset ac nullum, non sunt ausi Patres quidquam de ea re statuere.* (*Tom.* 14. *disput.* 13.)

Quæres quo anno possint filiifamilias, invitis parentibus, Matrimonium validè, contrahere.

Resp. 1°. totam difficultatem esse de quinque annorum spatio, nempè ab anno 25 quo sui juris fiunt liberi, ad annum 30 ; unanimes enim fa-

tentur Juriſconſulti noſtri patriam poteſtatem erga puellarum Matrimonia deſinere anno 25 completo, filios autem poſſe, etiam non poſtulato patris conſenſu, poſt annum 30 validè contrahere; quanquam ſi faciant, propter parentum contemptum exheredari poſſint, ut expreſsè ſtatuitur Edicto Henrici II, an. 1556.

Reſp. 2°. Matrimonia, invitis parentibus, contracta à filiis poſt annum 25 completum in Galliis irrita non declarari quoad contractûs civilis ſubſtantiam, niſi vitium aliud horum integritati noceat: neque enim extant Senatuſconſulta, quæ hujuſmodi Matrimonium reſcindant, niſi præter defectum conſenſûs parentum, in eo vitium aliud occurrerit; ut ſi, v. g. neglecta fuerit Parochi præſentia, vel Bannorum promulgatio quam olim multi prorsùs neceſſariam arbitrabantur; contrà verò plura ſunt Senatuſconſulta quæ valida pronuntiant Matrimonia de quibus agitur. Cujus generis varia exempla videre eſt in Diario *Audientiarum*, apud *Bardet* & *Baſnage*. (*Journal des audiences, tom.* 2. — *Recueil d'Arrêts de Bardet, tom.* 2. — *Baſnage, tom.* 2. *Comment. in conſuetudinem Normanniæ.*) Hujus juriſprudentiæ hæc videtur eſſe ratio, quòd præcipua cauſa propter quam reſcinduntur Matrimonia, invitis parentibus contracta, ſit raptus ſeductionis qui in iis occurrere ſolet; in conjugiis autem quæ filii poſt annum 25 completum ineunt, nullum in Galliis locum habet raptus ſeductionis.

CAPUT IV.

De matrimonialis conſensûs libertate.

In omni contractu requiritur ut ſpontè & liberè fiat; nullum eſt ergo dubium quin liber eſſe debeat conſenſus matrimonialis. Porrò libertas cognitionem & deliberatam voluntatem poſtulat. Quapropter ſi in alterutro conjuge nulla ſit rei quæ agitur notitia, nullus deliberationi locus, ſed per vim omnia & alieno impulſu tranſigantur, irritus eſt contractus propter libertatis defectum, ad matrimonialem conſenſum neceſſariæ. Cùm autem error cognitioni, & metus deliberationi opponatur, errorque & metus ſit multiplex, expendendum eſt quis, qualiſve error aut metus libertatem ita impediat, ut nullum & irritum faciat Matrimonium.

ARTICULUS PRIMUS.

Quis error Matrimonium faciat irritum.

Circa Matrimonium quadruplex eſſe poteſt error, *perſonæ* nimirùm, *qualitatis*, *fortunæ*, & *conditionis*. Error *perſonæ* eſt, quando circa perſonam erratur, ut ſi putetur Petrus eſſe qui Paulus eſt, aut vice verſâ: tali errore deceptus fuit Jacob Patriarcha, quando Liam uxorem duxit in locum Rachelis fraudulenter ſuppoſitam.

Error *qualitatis* verſatur circa animi vel corporis dotes quæ judicantur alicui ineſſe, licèt eas non habeat; ut ſi quis puellæ vinolentæ, quam ſobriam crederet, ſeſe Matrimonio jungeret.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

tentur Juriſconſulti noſtri patriam poteſtatem erga puellarum Matrimonia deſinere anno 25 completo, filios autem poſſe, etiam non poſtulato patris conſenſu, poſt annum 30 validè contrahere; quanquam ſi faciant, propter parentum contemptum exheredari poſſint, ut expreſsè ſtatuitur Edicto Henrici II, an. 1556.

Reſp. 2°. Matrimonia, invitis parentibus, contracta à filiis poſt annum 25 completum in Galliis irrita non declarari quoad contractûs civilis ſubſtantiam, niſi vitium aliud horum integritati noceat: neque enim extant Senatuſconſulta, quæ hujuſmodi Matrimonium reſcindant, niſi præter defectum conſenſûs parentum, in eo vitium aliud occurrerit; ut ſi, v. g. neglecta fuerit Parochi præſentia, vel Bannorum promulgatio quam olim multi prorsùs neceſſariam arbitrabantur; contrà verò plura ſunt Senatuſconſulta quæ valida pronuntiant Matrimonia de quibus agitur. Cujus generis varia exempla videre eſt in Diario *Audientiarum*, apud *Bardet* & *Baſnage*. (*Journal des audiences, tom.* 2. — *Recueil d'Arrêts de Bardet, tom.* 2. — *Baſnage, tom.* 2. *Comment. in conſuetudinem Normanniæ.*) Hujus juriſprudentiæ hæc videtur eſſe ratio, quòd præcipua cauſa propter quam reſcinduntur Matrimonia, invitis parentibus contracta, ſit raptus ſeductionis qui in iis occurrere ſolet; in conjugiis autem quæ filii poſt annum 25 completum ineunt, nullum in Galliis locum habet raptus ſeductionis.

CAPUT IV.

De matrimonialis conſensûs libertate.

In omni contractu requiritur ut ſpontè & liberè fiat; nullum eſt ergo dubium quin liber eſſe debeat conſenſus matrimonialis. Porrò libertas cognitionem & deliberatam voluntatem poſtulat. Quapropter ſi in alterutro conjuge nulla ſit rei quæ agitur notitia, nullus deliberationi locus, ſed per vim omnia & alieno impulſu tranſigantur, irritus eſt contractus propter libertatis defectum, ad matrimonialem conſenſum neceſſariæ. Cùm autem error cognitioni, & metus deliberationi opponatur, errorque & metus ſit multiplex, expendendum eſt quis, qualiſve error aut metus libertatem ita impediat, ut nullum & irritum faciat Matrimonium.

ARTICULUS PRIMUS.

Quis error Matrimonium faciat irritum.

Circa Matrimonium quadruplex eſſe poteſt error, *perſonæ* nimirùm, *qualitatis*, *fortunæ*, & *conditionis*. Error *perſonæ* eſt, quando circa perſonam erratur, ut ſi putetur Petrus eſſe qui Paulus eſt, aut vice verſâ: tali errore deceptus fuit Jacob Patriarcha, quando Liam uxorem duxit in locum Rachelis fraudulenter ſuppoſitam.

Error *qualitatis* verſatur circa animi vel corporis dotes quæ judicantur alicui ineſſe, licèt eas non habeat; ut ſi quis puellæ vinolentæ, quam ſobriam crederet, ſeſe Matrimonio jungeret.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

Error *fortunæ* ſpectat bona temporalia, ut ſi dives exiſtimetur qui ad nuptias quæritur, cùm revera ſit pauper & tenuis.

Error *conditionis* eſt ille quo liber putatur aliquis, quamvis ſervus ſit. Cùm autem in Galliis nulla ſit ſervitus, & qui ad nos accedunt ſervi, libertate ſtatim donentur, locum apud nos non habet error conditionis; quapropter de illa ſilebimus.

Annotandum eſt verò cum S. Thoma (*Supplem. quæſt.* 51. *art.* 2. *ad* 3.) errorem *qualitatis* aliquandò verti in errorem perſonæ, cùm ſcilicèt qualitas ipſa perſonam deſignat & à qualibet alia diſtinguit; ut, v. g. ſi contrahens declaret ſe velle uxorem ducere filiam primogenitam quam nunquam vidit, & ejus loco detur natu minor. His prænotatis, ſit

PROPOSITIO I.

Error circa perſonam Matrimonium facit nullum & invalidum.

Prob. Ad Matrimonium neceſſariò requiritur mutuus duorum conſenſus, quo ſibi reciprocam faciunt ſui corporis poteſtatem, voluntque individuam vitæ conſuetudinem retinere: atqui mutuus ille conſenſus ſtare non poteſt cum errore circa perſonam. Fingamus enim, ex. g., Petrum velle *Catharinam* uxorem ducere, & in ejus locum ſubſtitutam eſſe *Agnetem*: tunc nedùm velit Petrus *Agnetem* ſibi Matrimonio jungere, & cum ea individuam vitæ ſocietatem retinere, nequidem de *Agnete* pro uxore habenda cogitat; ergo, &c. Et verò, quemadmodùm ex lege naturali nulla & invalida eſſet auri emptio, ſi ejus loco ſupponeretur aurichalcum; ita jure naturæ nullum cenſeri debet Matrimonium, quando perſonæ de qua conventum eſt alia ſubſtituitur.

Dices: ſi quis volens baptizare *Petrum*, baptizaret

ſaret *Joannem*, verum nihilominùs Sacramentum conferret, verèque baptizatus eſſet Joannes; ergo pariter ſi quis volens *Catharinam* ducere uxorem, *Agnetem* duceret, verum contraheret Matrimonium; ideòque error perſonæ Matrimonio nihil nocet.

Reſp. Neg. conſeq. & parit. Ratio diſparitatis eſt, quia cùm Baptiſmus ſuam ab autore Deo habeat efficaciam, eò ipſo quòd ſubjecto idoneo conferatur, fit Sacramentum: ad illius enim veritatem nihil intereſt, ſive *Petrus*, ſive *Joannes*, ſive quivis alius homo ſit, cui Baptiſmi beneficium impenditur, cùm ab eo nullus excludatur; at verò Matrimonium eſt contractus duas inter perſonas, aliis excluſis, celebratus; ac proindè ubi adeſt error perſonæ, inutiliter fit quidquid fit: in ceteris enim contractibus, ut firmitatem habeant, neceſſe eſt tradi rem ipſiſſimam de qua conventum eſt inter contrahentes; quantò magis idem dicendum de Matrimonio quod perpetua eſt viri mulieriſque conjunctio!

Juxta principium modò conſtitutum, 26 Maii 1700 ſententiâ *Officialis* Pariſienſis nullum declaratum fuit Matrimonium viduæ *Gravel*. Probavit ſe deceptam fuiſſe, dùm crederet alii nubere, quàm viro qui coram Sacerdote cum ea ſeſe obtulerat, ad recipiendam benedictionem nuptialem. Hic erat famulus cubicularius (*valet de chambre*) ſuum Pariſiis habens domicilium, qui mutato nomine ſe fingebat eſſe D. *Burgault* Regis Geographum Verſaliis manentem. (*Decombes, Procédure civile, tom.* 1. *chap.* 5.)

Ejuſdem generis eſt judicium quo Senatus Rhedonenſis invalidè contractum pronuntiavit cujuſdam privati Matrimonium, qui nomen ſibi adſciverat Franciſci *de Mouchy*. Faventibus nomine & gentilitiis inſignibus (*les armes*) familiæ *de Mouchy*, fictiſque teſtimoniis uxorem duxerat Mariam Roſam *de Lys*, filiam Sebaſtiani *de*

Lys, Chevalier, Sieur de Beaucé. (Code Matrimon. ad verbum Empêchement, nomb. 2. §. 1.)

PROPOSITIO II.

Error circa divitias & qualitates Matrimonium non tollit, etiamsi contrahentis animus in eas feratur, tanquam in conditionem ex qua pendere velit consensum in personam, modò id exterius non significaverit.

Probatur. Tacita enim hæc intentio, nullis expressa signis, non impedit quominùs liberè & seriò proferantur verba quibus contrahi solet: atqui ex alibi dictis, ad Matrimonii veritatem sufficit ut liberè & seriò proferantur verba quibus Matrimonium contrahitur, iisque in circumstantiis in quibus ex communi hominum existimatione fieri consuevit; ergo, &c. Alioquin omnia recurrerent incommoda, quibus laborare ostendimus eorum sententiam, qui ad Matrimonii veritatem non satis esse contendunt, ut aliquis ea verba seriò & liberè pronuntiet, quibus contrahi solent conjugia.

PROPOSITIO III.

Error circa divitias & qualitates Matrimonium facit irritum, quando contrahens exteriùs significat consensum in personam ab illis pendere.

Probatur 1°. quia sine consensu aliquo validum esse non potest Matrimonium: atqui in hypothesi de qua agitur, nullus est consensus; cùm enim ille ex conditione exteriùs significatâ pendeat, eâ non existente, tollitur, nec subsistere censetur consensus.

Prob. 2°. ex judicio quod simili in causa pronuntiatum fuisse narrat Basilius Pontius. (*De Matrim. pag.* 193. *n.* 13.) En factum: Puella

quædam frequenter declaraverat malle se milliès mori, quàm Matrimonium inire cum viro ex Judæorum sanguine oriundo. Posteà tamen contigit ut cum viro jungeretur, qui ex Judæo natus fuerat, quamvis interroganti puellæ se Judæum esse negasset: Matrimonium illud declaratum est irritum. Cui sententiæ subscripserunt quotquot erant Theologi & Jurisconsulti doctiores. Unde concludit Pontius non dubitare se, quin in alia quavis specie eodem modo judicaretur, si juridicè constaret contrahentis consensum à bonis fortunæ & qualitatibus ita pendere ut, iis sublatis, nollet contrahere.

Prob. 3°. In eo post S. Thomam consentiunt Theologi & Canonistæ, quòd error qualitatis Matrimonium tollat, quando vertitur in errorem personæ; idque contingere aiunt, cùm qualitas circa quam erratur, personam determinat & ab alia distinguit: atqui ubi palàm significat aliquis suum in personam consensum; ab hac vel illa dote pendere quam tamen non habet, tunc qualitas circa quam erratur personam determinat, & ab ea distinguit quæ requisitâ dote destituta est; ergo error ille vertitur in errorem personæ, ac proindè Matrimonium facit irritum. Hinc (*Deut.* 22.) puella quam maritus ut virginem duxerat, si temerata comperiatur, ejici potest & pœnis à lege constitutis manet obnoxia.

Verùm hujusmodi declarationem rariùs patiuntur Principum leges, & si factâ fuerit apud nos ab alterutro sponso, ad Matrimonium non admittetur, sed ab omni contractu abstinebitur: unde accidit ut semper valeat conjugium in quo circa fortunam & dotes conjugis, ab alterutro vel ab utroque contrahente erratum fuit; idcircò generatim post S. Thomam pronuntiant Theologi plurimi, errorem qualitatis, v. g. nobilitatis, irritum non facere Matrimonium.

ARTICULUS II.

Quis metus libertatem consensûs matrimonialis ita perimat, ut nullum sit conjugium.

Metus à Theologis & Jurisconsultis definitur: *Instantis vel futuri periculi causâ mentis trepidatio.* Duplex distinguitur. Alius dicitur *gravis*, quo scilicèt grande & imminens malum reformidatur, qualia sunt mutilatio, servitus, carcer, exilium, infamia, bonorum omnium jactura, mors. Metus hic dicitur *cadens in constantem virum.* Alius appellatur *levis*, hominisque est se ipsum malè torquentis, propter leve quodvis malum, & dicitur *cadere in virum imbecillem & inconstantem.* Ad æstimandum verò metûs gravitatem aut levitatem, habenda est ratio sexûs, ætatis, conditionis: potest enim metus aliquis in viro levis censeri, qui in juveni vel in muliere, propter minorem animi constantiam, gravis haud immeritò putaretur.

De metu levi nulla est difficultas; tùm quia leges nullam ipsius rationem habent; tùm quia liberum contrahentis consensum non impedit; siquidem in illius qui imprudenter timet potestate est metum deponere; tota ergo difficultas est de metu gravi qui oriri potest à causa vel *naturali & internâ*, ex morbo, v. g. unde immineat vitæ amittendæ periculum, vel *externâ*, ex hoste, v. g. infensissimo qui districto gladio mortem comminatur. Præterea metus ille justè vel injustè potest incuti: denique vel eo fine infertur, ut ab aliquo extorqueatur consensus in Matrimonium, vel propter aliam causam.

His præmissis, expendendum est quandonam metus gravis libertatem ita lædat, ut Matrimonium faciat irritum. 1°. Certum est Matrimonium ex metu gravi justè incusso factum, validum esse, ut potè satis liberum; si quis, v. g. virginem à se violatam Judicis sententiâ ducere uxorem compelleretur, alioquin ad triremes damnandus, vel morte plectendus, ratum esset illud conjugium: ratio est, quòd tunc consensus, saltem in causa sua, sit prorsùs liber; qui enim timet omninò liberè id fecit, propter quod metus ipsi justè incutitur; sibi ergo imputare debet quòd à Judice compellatur, eam sibi Matrimonio jungere quam, post datam Matrimonii ineundi finem, corrupit: postulat enim justitiæ ordo ut damnum alteri illatum reparetur.

2°. Certum est valere Matrimonium ex metu gravi contractum, qui à causa naturali & internâ proficiscitur: si quis, v. g. propter metum mortis ex morbo, naufragio, aliisve ejusmodi causis exortum, in Matrimonium consentiat, ratum est ac validum; quemadmodùm rata est professio religiosa ad quam metu mortis ex morbo adductus fuit aliquis: ratio est, quòd Matrimonium illud requisitam habeat libertatem, cùm spontè ad illud sese ferat: qui enim, ponderatis omnibus circumstantiis, unum præ alio eligit, nemine ut eligat rogante & adigente, is satis liberè agit, quamvis, sublatis in quibus versatur circumstantiis, non ita ageret, ut patet in eo qui pretiosas merces in mare ex servandæ vitæ studio projicit.

Supereſt ergo difficultas de metu injustè à causa externa &, propter obtinendum in nuptias consensum, incusso.

PROPOSITIO.

Metus gravis injustè & ad extorquendum in nuptias consensum incussus, libertatem non quidem omninò perimit; sed libertas quæ tunc supereſt, ad consensum matrimonialem non sufficit.

Probatur prima pars. Metus ille libertatem non omninò destruit, quo posito, consensus potest esse liber, & revera talis est: atqui, posito metu gravi, licèt ad extorquendum consensum injustè à causa externa incutiatur, consensus nihilominùs liber est; siquidem in metu quantumlibet gravi, voluntas, spectatis omnibus circumstantiis, efficaciter unum præ alio eligit; v. g. aliquis in metu mortis à violentis prædonibus incusso, vult auro, argento vestibusque, si opus sit, sese spoliare, idque jubens eligit tanquam melius bonum, & præ alio amplectendum; ergo, &c.

Et certè opus illud non est omni libertate destitutum, per quod possamus peccare: atqui per opus factum ex metu gravi de quo agitur, possunt homines peccare, ut patet ex iis quæ, sævientibus in Christianos tyrannis, contigêre. Nonne enim peccârunt qui metu mortis Christum negavêre?

Prob. secunda pars: Consensus ad Matrimonium requisitus, omninò liber & voluntarius esse debet; nullus quippè est gravioris momenti contractus: atqui juxtà mentem legis nihil voluntario magis adversatur, quàm violentia & metus, ut fert istud juris effatum: *nihil consensui tam contrarium, quàm vis & metus.* (*Regul. juris* 116.)

Præterea sic jure canonico statuitur: *Si talis metus inveniatur illatus* (feminis contra Matrimonium reclamantibus) *qui potuit cadere in constantem virum, erunt non immeritò audiendæ.* (*Lib.* 4. *Decretal. tit.* 1. *cap.* 28. *pag.* 1442.) Porrò non audiendæ fuissent illæ mulieres, si libertas quæ in eo remanet, cui metus gravis injustè à causa externa incutitur, propter ipsum Matrimonium contrahendum, sufficeret; ergo ex jure saltem positivo ad Matrimonium non sufficit libertas quæ in eo remanet cui, &c.

In propositione diximus *ad extorquendum in nuptias consensum incussus.* Si enim qui metum incutit non eò spectet ut consensum in nuptias extorqueat, sed aliud sibi proponat, tunc valebit Matrimonium inde consecutum; metus quippè in eo casu dati consensûs non est causa, sed occasio tantùm. Si quis, v. g. ut sese è carcere liberet, nuptias promiserit cum hominis filiâ, cujus ope libertatem sibi restituendam esse novit, firmum erit conjugium; nulla enim ipsi infertur circa Matrimonium coactio, cùm supponatur propter alias causas in carcere detentus.

Quæres 1°. quandonam metus à parentibus incussus, ut gravis habendus sit.

Resp. metum illum, ubi à gravi comminatione, & verberibus sejungitur, non esse nisi levem; tùm quia metus ille non hujusmodi est, ut virum constantem territet, ipsique consensum extorqueat; tùm quia generatim loquendo æquum est ut filii voluntatem suam parentum judicio ex metu quodam reverenti subjiciant. Parentes enim prudentiores esse consueverunt, quàm filii qui experientiâ destituti, cæco libidinis impetu in nuptias sibi deindè intolerabiles sese conjicere solent. Ubi verò parentes minas atroces, verbera duramque tractationem adhibent, inde exoritur metus gravis qui virum constantem moveat, eum præsertim qui ab altero pendet.

Matrimoniorum libertati ita jure civili cautum fuit, ut si pater filium aut filiam hæredes eâ lege instituat, ut conjugium cum hac vel illa persona inituri sint, hæreditate vel simplici legato non excludantur, quamvis aliis nupserint. Hujusmodi conditiones non reputantur esse, nisi mera horta-

menta quæ veram non importent obligationem. Qua de re multa sunt decreta, nempè Senatûs Parisiensis 16. Mart. 1720. (*Journal des audiences*); Curiæ Tolosanæ 14 Aug. 1625. — 17. Januar. 1628. — Aug. 1727. (*Journal du Parlement de Toulouse, tom. 4. art. 287.*)

Quæres 2°. quid agere debeat qui Matrimonium contraxit ex metu gravi injustè & propter consensum extorquendum incusso.

Resp. eum non posse uti Matrimonio, nisi novo & libero consensu ratum habuerit quod fecerat invitus: Matrimonio enim uti cum non sua, immane & horrendum est scelus quod nusquàm fieri potest licitum: sin autem contractum nolit facere novo consensu ratum, potest à Judice petere ut irritum declaretur; id porrò ut faciat Judex, certis opus est argumentis quibus constet gravem metum à causa externa, propter ipsas nuptias fuisse injectum. Ejusmodi judiciorum in foro, sive ecclesiastico, sive civili, plura occurrunt exempla.

Quæres 3°. an irritum declarari possit Matrimonium ex gravi metu contractum, si duo conjuges simul sponte habitaverint.

Resp. Si omninò desierit incussi metûs causa, post liberum contubernium (*cohabitation*) quod certo tempore duraverit, ratum censetur Matrimonium. Voluntaria enim hæc habitatio argumentum est sufficiens novi consensûs, qui solus ad conjugii firmitatem requirebatur. Quamobrem Senatus Parisiensis decreto 16. Decemb. 1728. *abusivam* declaravit sententiam *Officialis Primatialis* Lugduni, quæ mulierem ad violentiæ ipsi illatæ probationem admiserat, post liberum & voluntarium contubernium. (*Denisart* ad verbum *Mariage*, *nomb.* 150.) Ita etiam pronuntiavit Senatus Aqui-Sextanus (*d'Aix*) 28. Mart. 1669. (*Boniface, tom. 3. liv. 5. tit. 6. chap. 6.*)

Dum verò subsistit timoris causa, non obstat

contubernium, quamvis diuturnum, quominùs rescindi possit Matrimonium. Nuptiæ enim ex se invalidæ firmitatem accipere non possunt, quandiu remanet causa propter quam statim ab initio irritæ fuerunt. Hinc Senatusconsultum 29 Mart. 1651. nullum & invalidè contractum declarat conjugium, quod inire vi coactæ fuerant duæ personæ licèt majores, licèt ex commercio nuptiis prævio nata fuisset proles. (*Code Matrim.* ad verbum *liberté néceſſaire dans les Mariages.*) Aliud est judicium Senatûs Tolosani, 8 Februar. 1724. quo duæ confirmantur sententiæ *Officialium* Montis-Pessulani & Narbonis, quibus ad probationem violentiæ sibi factæ mulier admittebatur, post contubernium 12 dierum à Matrimonii celebratione. (*Journal du Palais de Toulouse, tom. 4. Arrêts* 198 & 309.)

Quamvis ex se nullius momenti sit Matrimonium coactum, ad aliud convolare non debent partes contrahentes, nisi prius declaratum à Judice fuerit nullum.

DISSERTATIO II.

De institutione & fine Matrimonii.

QUÆRES 1°. ubinam institutum fuerit Matrimonium.

Resp. Matrimonium in Paradiso terrestri institutum fuisse sentiunt omnes Theologi; sive cùm ante formatam Evam dixit Deus: *Non est bonum hominem esse solum, faciamus ei adjutorium simile sibi*, (*Genes.* 2. 18.) id est, mulierem, quam statim creavit & indissolubili fœdere cum Adamo voluit esse conjunctam; sive cùm ad utrumque

menta quæ veram non importent obligationem. Qua de re multa sunt decreta, nempè Senatûs Parisiensis 16. Mart. 1720. (*Journal des audiences*); Curiæ Tolosanæ 14 Aug. 1625. — 17. Januar. 1628. — Aug. 1727. (*Journal du Parlement de Toulouse, tom. 4. art. 287.*)

Quæres 2°. quid agere debeat qui Matrimonium contraxit ex metu gravi injustè & propter consensum extorquendum incusso.

Resp. eum non posse uti Matrimonio, nisi novo & libero consensu ratum habuerit quod fecerat invitus: Matrimonio enim uti cum non sua, immane & horrendum est scelus quod nusquàm fieri potest licitum: sin autem contractum nolit facere novo consensu ratum, potest à Judice petere ut irritum declaretur; id porrò ut faciat Judex, certis opus est argumentis quibus constet gravem metum à causa externa, propter ipsas nuptias fuisse injectum. Ejusmodi judiciorum in foro, sive ecclesiastico, sive civili, plura occurrunt exempla.

Quæres 3°. an irritum declarari possit Matrimonium ex gravi metu contractum, si duo conjuges simul sponte habitaverint.

Resp. Si omninò desierit incussi metûs causa, post liberum contubernium (*cohabitation*) quod certo tempore duraverit, ratum censetur Matrimonium. Voluntaria enim hæc habitatio argumentum est sufficiens novi consensûs, qui solus ad conjugii firmitatem requirebatur. Quamobrem Senatus Parisiensis decreto 16. Decemb. 1728. *abusivam* declaravit sententiam *Officialis Primatialis* Lugduni, quæ mulierem ad violentiæ ipsi illatæ probationem admiserat, post liberum & voluntarium contubernium. (*Denisart* ad verbum *Mariage*, *nomb.* 150.) Ita etiam pronuntiavit Senatus Aqui-Sextanus (*d'Aix*) 28. Mart. 1669. (*Boniface, tom. 3. liv. 5. tit. 6. chap. 6.*)

Dum verò subsistit timoris causa, non obstat

contubernium, quamvis diuturnum, quominùs rescindi possit Matrimonium. Nuptiæ enim ex se invalidæ firmitatem accipere non possunt, quandiu remanet causa propter quam statim ab initio irritæ fuerunt. Hinc Senatusconsultum 29 Mart. 1651. nullum & invalidè contractum declarat conjugium, quod inire vi coactæ fuerant duæ personæ licèt majores, licèt ex commercio nuptiis prævio nata fuisset proles. (*Code Matrim.* ad verbum *liberté néceſſaire dans les Mariages.*) Aliud est judicium Senatûs Tolosani, 8 Februar. 1724. quo duæ confirmantur sententiæ *Officialium* Montis-Pessulani & Narbonis, quibus ad probationem violentiæ sibi factæ mulier admittebatur, post contubernium 12 dierum à Matrimonii celebratione. (*Journal du Palais de Toulouse, tom. 4. Arrêts* 198 & 309.)

Quamvis ex se nullius momenti sit Matrimonium coactum, ad aliud convolare non debent partes contrahentes, nisi prius declaratum à Judice fuerit nullum.

DISSERTATIO II.

De institutione & fine Matrimonii.

QUÆRES 1°. ubinam institutum fuerit Matrimonium.

Resp. Matrimonium in Paradiso terrestri institutum fuisse sentiunt omnes Theologi; sive cùm ante formatam Evam dixit Deus: *Non est bonum hominem esse solum, faciamus ei adjutorium simile sibi*, (*Genes.* 2. 18.) id est, mulierem, quam statim creavit & indissolubili fœdere cum Adamo voluit esse conjunctam; sive cùm ad utrumque

ait: *Crescite, & multiplicamini*; sive cùm, adductâ muliere, Adamus, inspirante Deo, in hæc verba erupit: *Hoc nunc os ex ossibus meis, & caro de carne mea: .... quamobrem relinquet homo patrem suum & matrem suam, & adhærebit uxori suæ, & erunt duo in carne una.* (*Genes.* 2. *v.* 23. 24.)

Quæres 2°. quotuplex sit finis Matrimonii.

Resp. Finis Matrimonii triplex distinguitur. Primus est filiorum procreatio, propter quam sexuum diversitas in humano genere constituta est, dicente Scripturâ: *Masculum & feminam creavit eos, benedixitque illis, & ait: crescite & multiplicamini & replete terram.* (*Genes.* 1. *v.* 27 & 28.) Cùm autem filiorum procreatio variis causis optari possit, non tam ob eam rem finis est proprius & specialis Matrimonii, ut nominis, bonorum & dignitatum hæredes relinquantur, quàm ut veræ fidei & Religionis cultores educentur; quapropter Tobiam sic admonet Angelus: *Accipies virginem cum timore Domini, amore filiorum, magis quàm libidine ductus, ut in semine Abrahæ benedictionem in filiis consequaris.* (*Tob.* 6. 22.)

Secundus Matrimonii finis est virum inter & mulierem individua vitæ consuetudo, bonorum societas, auxiliorum communio. Hunc finem indicant hæc Dei verba: *Non est bonum hominem esse solum, faciamus ei adjutorium simile sibi.* (*Genes.* 2. 18.)

Tertius, post luctuosum primi parentis lapsum, finis accessit Matrimonio, nempè ut salutiferum esset contra rebelles concupiscentiæ motus remedium de quo ita scribit Apostolus: *Propter fornicationem* (vitandam) *unusquisque suam uxorem habeat, & unaquæque suum virum habeat.* (1. *Cor.* 7. 2.)

Ex iis sequitur contra Matrimonii finem primarium graviter peccare mulieres 1°. quæ, licèt Matrimonio utantur, steriles sese exoptant: *Tunc*

enim *solum*, ait Gregorius Magnus, *conjuges in admixtione sine culpa sunt, cùm non pro explenda libidine, sed pro suscipienda prole miscentur;* (*Lib.* 32. *moral. in Job, cap.* 20. *tom.* 1. *pag.* 1067. *Edit. BB.*) 2°. quæ in eum statum sese conjiciunt in quo concipere non possint, sive medicamentis, sive potionibus quibusdam id assequantur; 3°. quarum malitiâ aut incuriâ fœtus in utero extinguitur, vel præmaturè effunditur: quamvis enim inter hæc scelera, alia sint aliis graviora, omnia tamen fini, institutioni & sanctitati Matrimonii adversantur.

Quæres 3°. sintne homicidæ conjuges qui fœtum nasciturum impediunt, aut ejus abortum provocant.

Resp. 1°. homicidas sine ulla dubitatione esse conjuges qui abortum accersunt, si fœtus jam sit animatus, quod satis ex se patet. Quo vero tempore animetur fœtus incertum est; quinimò utrùm cognitionem hanc assequi possit homo, ignorare se fatetur Augustinus: *Scrupulosissimè*, inquit, *inter doctissimos quæri ac disputari potest (quod utrum ab homine inveniri possit ignoro), quando incipiat homo vivere.* (*Ench. cap.* 86. *tom.* 6. *pag.* 228.) Arbitrantur peritissimi quidam Medici, inter quos *Sennert*, animam in corpus humanum immitti, statim atque conceptum est, vel paulò post: quidquid sit, vel ab ipsis Medicis improbata est cujusdam *Marci* Pragensis opinatio, qui somniavit fœtum nunquam in utero matris donari animâ rationali, sed tantùm cùm in lucem emittitur. Hæc sententia jam pridem ab Augustino reprehensa fuit, (*ibid.*) & à Clero Gallicano damnata, qui in Comitiis anni 1700 *scandalosam, erroneam, homicidiis procurandis aptam* pronuntiavit istam propositionem: *Videtur probabile omnem fœtum, quandiù in utero est, carere animâ rationali, ... & consequenter dicendum in nullo abortu homicidium committi.*

Resp. 2°. Physicè quidem loquendo homicidæ non videntur qui fœtum nasciturum impediunt, vel abortum procurant priusquàm sit animatus; nam propriè homicidæ non sunt, nisi qui hominem occidunt; hominem verò non esse, ubi corpus animâ rationali non informatum est, confitentur omnes; gravissimum tamen scelus admittunt, quod ex generali hominum sapientium judicio, parùm differt ab homicidii crimine. 1°. Quia, ut ait Tertullianus, *homicidii festinatio est prohibere nasci, nec refert natam quis eripiat animam, an nascentem disturbet; homo est, & qui est futurus; etiam fructus omnis jam in semine est.* (*Apolog. cap.* 9. *pag.* 9.)

2°. Quia gravissimum scelus est seipsum periculo mortis exponere: atqui in mortis periculum sese conjiciunt mulieres, quando fœtum etiam inanimum & informem, in utero suo interimere tentant. Ita ratiocinantur S. Basilius, (*Can.* 2. *ad Amphiloch. tom.* 3. *Edit. BB. p.* 271.) & S. Hieronymus (*Epist.* 18. *de custodia virginitatis, t.* 4. *novæ Edit. part.* 2. *pag.* 32.)

3°. Quia semper huic crimini injuncta fuit pœna gravissima; decem annorum est quæ post veteris disciplinæ relaxationem decernitur Can. 21. Concilii Ancyrani; septem annorum ea est quæ præscribitur Can. 2. Concilii Hilerdensis *de Lérida* an. 524. Severè etiam nostris legibus in tantum nefas animadversum est: sic enim decernit celeberrimum Henrici II Edictum an. 1556: *Voulons que toute femme qui se trouvera duement atteinte & convaincue d'avoir célé, couvert & occulté tant sa grossesse que son enfantement, sans avoir déclaré l'un ou l'autre, & avoir pris de l'un ou de l'autre témoignage suffisant, même de la vie ou mort de son enfant, lors de l'issue de son ventre, & qu'après se trouve l'enfant avoir été privé, tant du saint Sacrement de Baptême, que sépulture publique & accoutumée, soit telle femme tenue &*

réputée d'avoir homicidé son enfant, & pour réparation punie de mort & dernier supplice, & de telle rigueur que la qualité particulière du cas le méritera.

Præcipit Rex ut Edictum illud in sacris Missarum Parochialium concionibus legatur & publicetur. Alio Edicto an. 1586. jubetur fieri hanc denuntiationem unoquoque trimestri. (*Code Henri, liv.* 8. *tit.* 15. *n.* 2.) Tandem Declaratione 1708. Parochis omnibus & Vicariis præscriptum est, ut ejusdem promulgationis testimonium suo chirographo munitum ad Procuratores Regios mittant per varias *Ballivorum & Senescallorum* jurisdictiones (*Bailliages & Sénéchaussées*), utque, nisi id fecerint, in eorum bona manus injiciantur (*saisie de leur temporel*) idem plurimis supremorum Senatuum decretis jussum fuit.

Quæres 4°. an homicidium committant qui, præter intentionem, dederint proximam abortûs occasionem, v. g. qui prægnantem mulierem percusserint, si illâ percussione impediatur fœtus; vel etiam ipsæ mulieres, si debitam in conservando fœtu quem reipsâ nolunt perdere, cautionem non adhibuerint.

Resp. illos quoque homicidii reos esse, seu viros, seu mulieres, qui proximam abortûs occasionem dederint, aut necessariam in conservando fœtu prudentiam non adhibuerint: quisquis enim debitâ ad effugiendum malum cautione non utitur, eive proximam occasionem præbet, etiamsi malum ipsum noluit, cùm tamen causam velit ex qua sequitur, malum ipsum satis velle censetur. Hinc S. Antoninus: *Si mulier gravida*, inquit, *præter intentionem abortitur, si commisisset ibi notabilem negligentiam puta quia nimis saltavit, & nimis inordinatè laboravit, non est absque peccato mortali; idem in viro vel in alio percutiente eam, unde hoc sequitur.* (*Summ. Confessar. interrog. de*

5. *Decalogi præcepto*) S. Thomas : *Ille qui percutit mulierem prægnantem, dat operam rei illicitæ, & ideò si sequitur mors.... pueri animati, non effugiet homicidii crimen.* (2. 2. *q.* 64. *art.* 8. *& ad* 2.)

Quæres 5°. an ipsa mater teneatur prolem quam genuit proprio lacte nutrire.

Resp. Illud esse matris officium probatur 1°. exemplis sanctarum mulierum de quibus loquuntur sacræ Litteræ : Sara lactavit filium suum Isaac (*Genes.* 21. 7.); Anna uxor Elcana lactavit natum suum Samuelem (*Lib.* 1. *Reg.* 1. 23.); lactaverat & septem fratrum mater supra modum mirabilis : sic enim filium natu minimum hortatur : *Fili, miserere mei quæ te in utero novem mensibus portavi, & lac triennio dedi & alui, & in ætatem istam perduxi.* (2. *Machab.* 7. 27.)

Prob. 2°. ratione : tùm quia mulieri natura dedit quidquid ad nutriendam proprio lacte prolem necessarium est ; tùm quia illius, non tecùs ac prolis, interest ut eam nutriat ; mulieris quidem quæ, nisi id faciat, nimiâ affluentis lactis copiâ plures sibi morbos accersit, quibus occurrere non potest, nisi lactis fontem cogat exarescere, quod natura reprobat, nec sine periculo fit ; interest etiam prolis : magnam enim partem habet in fingendis corporis animique similitudinibus, ingenium nutricis & natura lactis ; quod enim in arboribus & frugibus contingere certum est, ut scilicèt ad mutandam earum indolem plurimùm valeant aquæ & solum quibus nutriuntur, hoc multò magis in hominibus locum habet ; si ergo frequenter accidit ut arbor læta & nitens, alium in locum transposita, deteriori terræ succo depereat, non mirum est, si parentum bonorum liberi, neque corpore, neque animo his similes existant : iis enim plerumque adhibetur nutrix quæcumque & sine ullo ferè discrimine, sive improba sit, sive libidinosa, sive temulenta.

Iis accedit quòd mulieres quæ suos partus deferunt & à se ablegant, aliisque nutriendos committunt, vinculum illud animi & amoris quo parentes cum filiis natura colligat, interscindant, aut certè quidem deterant. Nam ubi infans procul à conspectu matris exulat, maternus amor sensim restinguitur, ipsius quoque infantis affectus & amor in eâ solâ quâ alitur conquiescit, & proindè, ut in pueris expositis usu venit, matris quæ genuit vix ullus supersit sensus, ullumque desiderium.

Egregiam consulas dissertationem D. *Landais* Doctoris Medici, quæ palmam obtinuit à facultate Medicinæ Parisiensi. Ibi exponitur quantùm utilitatis in ordine tùm physico, tùm morali, tùm politico perciperetur, si matres ipsæ suam prolem lactarent.

Fatendum tamen filios proprio lacte nutriendi obligationem non ita esse matrum omnium, ut nulla unquam jure possit ab illo officio abstinere : si enim infirmâ fuerint valetudine ; si lac aut non habeant, aut minùs habuerint quàm satis sit ad roborandum pueri corpusculum ; si demùm necessariis distineantur negotiis, quæ liberam non faciant lactis præbendi potestatem, hoc unum ab illis desideratur, ut nutricem benè moratam eligant ; quâ tamen inventâ, non debent omnem suæ prolis curam abjicere.

Quæres 6°. an liceat matri prolem recèns editam in eodem secum lecto collocare.

Resp. non licitum esse ; tùm propter suffocandæ prolis periculum ; tùm quia antiqui Canones & recentiores Libri Rituales, id sub pœnis gravissimis prohibent : quâ de re legi potest *Pœnitentiale* Romanum. (*Tit.* 1. *cap.* 29.) Nonnullis in Ritualibus inter casus Episcopo reservatos numeratur puerorum oppressio, etiamsi non malo animo facta fuerit, verùm ex sola notabili negligentia.

Asserit D. *Serpillon* nutricem quæ suâ incuriâ puerum sibi commissum in lecto suffocat, verberibus & mulctâ honorariâ puniri. (*Code Criminel*, *tit.* 1. *nomb.* 32.) Apud D. *Charondas* occurrit judicium Senatûs Tolosani an. 1566, quo nutrix propter eamdem culpam damnata fuit ad virgarum supplicium, ad mulctam honorariam ante patris ædes subeundam, ad exilium in quinque annos; insuper ipsi prohibitum fuit ne deindè infantes nutriendos acciperet. (*Liv.* 7. *réponſ.* 116.) Prætoris urbani (*Lieutenant de Police*) Parisiensis sententiâ 1. Jun. 1756, nutricibus vetitum est ne alumnos sibi creditos in eodem secum lecto collocarent, & quidem primùm sub pœna mulctæ pecuniariæ 100 librarum, insignis autem animadversionis (*punition exemplaire*), si eamdem iterùm culpam admitterent.

DISSERTATIO III.

De sanctitate & honestate Matrimonii.

MANICHÆORUM, Marcionitarum, iisque adhærentium vetus error fuit, nuptias malas esse & illicitas, à maloque principio invectas. Contra quos sit

PROPOSITIO.

Matrimonium ex se honestum est ac licitum.

Probatur manifestis S. Scripturæ testimoniis. 1°. Quidem sic narratur: *Nuptiæ factæ sunt in Cana Galilææ, & erat Mater Jesu ibi; vocatus est autem Jesus, & Discipuli ejus ad nuptias.* (*Joan.* 2. *v.* 1 & 2.) *Hoc fecit initium signorum Jesus in Cana Galilææ, & manifestavit gloriam suam.* (*Ibid. v.* 11.) Unde Matrimonium sic vindico: Illud bonum est, cujus approbator fuit Christus: atqui Christus approbator fuit Matrimonii; siquidem nuptias suâ præsentiâ, primoque suo miraculo nobilitare voluit; ergo, &c.

2°. *Uxori*, inquit Apostolus, *vir debitum reddat; similiter autem & uxor viro.* (1. *Cor.* 7. 3.) *Iis qui Matrimonio juncti sunt præcipio, non ego, sed Dominus, uxorem à viro non discedere.* (*Ibid. v.* 10.) *Si acceperis uxorem, non peccasti; & si nupserit virgo, non peccavit.* (*Ibid. v.* 28.) *Qui Matrimonio jungit virginem suam, benè facit.* (*Ibid. v.* 38.) Apostolus futuram prævidens Manichæorum impietatem, Discipulum suum sic præmonet: *Novissimis temporibus discedent quidam à fide, attendentes spiritibus erroris, & doctrinis dæmoniorum, ... prohibentium nubere.* (1. *Tim.* 4. *v.* 1 & 3.) Porrò ille Matrimonium honestum ac licitum esse existimat, qui præcipit conjugibus ut debitum sibi mutuò reddant; qui vetat ne uxor à viro, aut vir ab uxore discedat; qui affirmat minimè peccare nubentes; qui errorem *prohibentium nubere* vocat *doctrinam dæmoniorum*: atqui Apostolus præcipit conjugibus ut, &c. ergo Matrimonium, eo teste, honestum est ac licitum.

Solvuntur objecta.

Obj. 1°. Conjuges monet Apostolus, ut ab usu Matrimonii diutiùs non abstineant, *ne tentet vos Satanas*, inquit, *propter incontinentiam vestram.* Deindè sic pergit: *Hoc autem dico secundùm indulgentiam*; græcè, *veniam.* (1. *Cor.* 7. *v.* 5 & 6.)

Unde sic disputatur: Usum Matrimonii ex indulgentia permittit Apostolus; ergo usus Matrimonii,

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

ac proindè ipsum Matrimonium aliquid est mali; rei enim bonæ non opus est indulgentiâ seu veniâ.

Resp. Dist. ant. Usum Matrimonii ex indulgentia permittit Apostolus quoad ejus excessum, vel conjugum finem non satis purum, conc. quoad ipsum Matrimonii usum in se spectatum, neg.

Hæc interpretatio est S. Augustini qui objectum locum eo sensu exponit, quòd indulgentia seu venia ab Apostolo concessa, non cadat nisi in excessum actûs conjugalis, vel ipsius finem non satis purum, ut si voluptatis tantùm sensu fiat; Matrimonium enim ratione sui spectatum, ad suscipiendam & probè educandam prolem refertur: *Numquid hoc non est peccatum*, inquit S. Doctor, *amplius quàm liberorum procreandorum necessitas cogit, exigere à conjuge debitum? est quidem peccatum.* (*Serm.* 51. *tom.* 5. *cap.* 13. *pag.* 294.) *Reddere debitum conjugale nullius est criminis; exigere autem ultra generandi necessitatem, culpæ venialis.* (*Lib. de bono conjugali, cap.* 7. *tom.* 6. *pag.* 323.) *Quid secundùm veniam concedit Apostolus, nisi quòd conjuges, dum se non continent, debitum ab alterutro.... exposcunt, non voluntate propaginis, sed libidinis voluptate? Quæ tamen voluptas... propter nuptias accipit veniam.* (*Lib.* 1. *de nuptiis & concup. cap.* 11. *tom.* 10. *pag.* 282.) Quatenùs scilicèt ea voluptas quæ extra nuptias esset peccatum mortale, propter nuptias fit tantùm culpa venialis, quam tolerat Apostolus ut minus malum, ad gravius avertendum, nempè fornicationem; veniam autem non indulget pro ipsis nuptiis, nec pro actu conjugali, quasi in se malus sit; alioqui secum ipse pugnaret, dum ait: *si nupserit virgo, non peccavit.*

Obj. 2°. Illud malum est cujus usus non potest esse sine voluptatis & libidinis sensu: atqui Matrimonii usus non potest esse, in statu naturæ lapsæ, sine voluptatis & libidinis sensu; ergo Matrimonium in hoc statu malum est.

Resp. Dist. maj. Illud malum est cujus non potest esse usus sine libidinis dominantis sensu, conc. sine libidinis servientis sensu, neg. dist. parit. min.

Libido est *dominans* cùm propter seipsam in nuptiis quæritur; est autem *serviens* cùm eâ, licèt malâ, benè utuntur conjuges, eamque intra præscriptos rationis & casti conjugii limites ita coercent, ut solam sibi proponant liberorum procreationem propter quam Deus Matrimonium instituit. Malus quidem & peccatum est nuptiarum usus, ubi conjunctam habet libidinem dominantem; sed culpæ non imputatur actus conjugalis, etiamsi voluptatem habeat comitem, modo hæc rationi serviat, ita ut ad finem à Deo præscriptum spectent conjuges, scilicèt ad prolis generationem: *Tunc enim bona voluntas animi*, inquit Augustinus, *sequentem ducit, non ducentem sequitur corporis voluptatem, nec humanum arbitrium trahitur subjugante peccato, cùm justè redigitur in usum generandi plaga peccati, nempè libido.* (*Lib.* 1. *de nuptiis & concupiscentia, cap.* 12. *tom.* 10. *pag.* 287.) Nam sicut nihil culpæ habet voluptatis sensus quem ex alimentis percipimus, quandiù cibus, non propter ipsam voluptatem, sed ob justum corporis levamen sumitur; ita & libidinis sensus qui actum conjugalem in statu naturæ lapsæ comitatur, culpâ vacat si conjuges actum illum, non ad libidinem explendam, verùm ad finem tantùm Matrimonii, nempè filiorum generationem, referant.

Obj. 3°. Apostolus, factâ continentiæ ad quam hortatur comparatione cum statu conjugali, ait hortari se *ad id quod honestum est*, nempè ad virginitatem servandam; (1. *Cor.* 7. 35.) ergo Matrimonium in se honestum non est.

Resp. Neg. conseq. Neque enim si virginitatis status honestus sit, idcircò turpe est Matrimonium: utrumque enim honestum esse nihil vetat, quam-

vis alterum altero sit præstantius, juxta apostolicam hanc sententiam : *Qui Matrimonio jungit virginem suam, benè facit ; & qui non jungit, melius facit.* Unde Augustinus, *Duo bona sunt*, inquit, *connubium & continentia, quorum alterum melius est.* (*De bono conjug. cap.* 8. *tom.* 6. *pag.* 324.) Et certè ille Matrimonium honestum esse minimè negat, qui illud vocat *honorabile connubium, thorum immaculatum* : atqui Matrimonium sic vocat Apostolus. (*Heb.* 13.) Ergo, &c.

Obj. 4°. Apostolus sic pronuntiat : *Bonum est homini mulierem non tangere*, (1. *Cor.* 7. 1.) ac proindè à Matrimonio abstinere. Unde fluit istud argumentum : Malum illud est quod non facere homini bonum est : atqui bonum est homini Matrimonium non contrahere ; ergo malum est Matrimonium.

Resp. Neg. maj. Ex eo quòd enim homini bonum sit aliquid non facere, non sequitur illud esse malum, quia sufficit ut oppositum sit melius. Licèt, v. g. ampliſſimæ divitiæ ex se malæ non sint, bonum tamen est homini eas non possidere ; paupertas enim, vel saltem mediocritas, magnis opibus melior est, ipsisque anteponenda : porrò status continentiæ Matrimonio melior est ac perfectior ; quod satis est ut Apostolus meritò dixerit, bonum esse homini mulierem matrimonio non sibi jungere.

DISSERTATIO IV.

De proprietatibus Matrimonii.

PROPRIETATES Matrimonii duæ sunt præcipuæ, unitas scilicèt & firmitas, seu vinculi quo stringit conjuges nexus indissolubilis ; de quibus hìc agendum est.

CAPUT PRIMUM.

De Unitate Matrimonii.

MATRIMONII unitas in eo posita est, quòd maritus uxorem unam, & uxor maritum unum habeat. Matrimonium initum post mortem conjugis dicitur *polygamia successiva* ; Matrimonium vivente conjuge factum, *polygamia* est *simultanea* & propriè dicta, quâ scilicèt eodem tempore unus vir plures uxores, aut femina una plures maritos habet. De utraque disputandum est.

ARTICULUS PRIMUS.

De Polygamia simultanea.

Apud omnes Theologos in confesso est, polygamiam *simultaneam* unius uxoris cum multis viris, jure naturali prohibitam esse, quia primariis Ma-

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

vis alterum altero sit præstantius, juxta apostolicam hanc sententiam : *Qui Matrimonio jungit virginem suam, benè facit ; & qui non jungit, melius facit.* Unde Augustinus, *Duo bona sunt*, inquit, *connubium & continentia, quorum alterum melius est.* (*De bono conjug. cap.* 8. *tom.* 6. *pag.* 324.) Et certè ille Matrimonium honestum esse minimè negat, qui illud vocat *honorabile connubium, thorum immaculatum* : atqui Matrimonium sic vocat Apostolus. (*Heb.* 13.) Ergo, &c.

Obj. 4°. Apostolus sic pronuntiat : *Bonum est homini mulierem non tangere*, (1. *Cor.* 7. 1.) ac proindè à Matrimonio abstinere. Unde fluit istud argumentum : Malum illud est quod non facere homini bonum est : atqui bonum est homini Matrimonium non contrahere ; ergo malum est Matrimonium.

Resp. Neg. maj. Ex eo quòd enim homini bonum sit aliquid non facere, non sequitur illud esse malum, quia sufficit ut oppositum sit melius. Licèt, v. g. ampliſſimæ divitiæ ex se malæ non sint, bonum tamen est homini eas non possidere ; paupertas enim, vel saltem mediocritas, magnis opibus melior est, ipsisque anteponenda : porrò status continentiæ Matrimonio melior est ac perfectior ; quod satis est ut Apostolus meritò dixerit, bonum esse homini mulierem matrimonio non sibi jungere.

DISSERTATIO IV.

De proprietatibus Matrimonii.

PROPRIETATES Matrimonii duæ sunt præcipuæ, unitas scilicèt & firmitas, seu vinculi quo stringit conjuges nexus indissolubilis ; de quibus hìc agendum est.

CAPUT PRIMUM.

De Unitate Matrimonii.

MATRIMONII unitas in eo posita est, quòd maritus uxorem unam, & uxor maritum unum habeat. Matrimonium initum post mortem conjugis dicitur *polygamia successiva* ; Matrimonium vivente conjuge factum, *polygamia* est *simultanea* & propriè dicta, quâ scilicèt eodem tempore unus vir plures uxores, aut femina una plures maritos habet. De utraque disputandum est.

ARTICULUS PRIMUS.

De Polygamia simultanea.

Apud omnes Theologos in confesso est, polygamiam *simultaneam* unius uxoris cum multis viris, jure naturali prohibitam esse, quia primariis Ma-

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

trimonii finibus adversatur: duo enim sunt, nempè prolis generatio, & congrua illius educatio: atqui utrique huic fini opponitur polygamia unius uxoris cum pluribus viris; 1°. quidem generationi prolis, cùm experientiâ comprobetur perditas mulieres quæ multis sese viris commiscent, steriles fieri & infecundas; 2°. adversatur educationi prolis: incertum quippè redderet patrem; cuique enim viro dubium foret, utrùm proles sua esset, an alterius, ideòque nullam vel nonnisi levissimam hujus curam gereret.

Controvertitur autem de polygamia quâ vir unus plures simul uxores habet, utrùm scilicèt jure naturali & divino prohibita sit. Calvinus polygamiam hanc cum utroque illo jure ita hostiliter pugnare contendit, ut sanctos Veteris Testamenti patriarchas qui plures simul uxores habuêre, violati juris divini reos pronuntiet.

Ex adverso Lutherus polygamiam de quâ agitur, nec jure naturali, nec ipso Evangelio prohibitam esse opinatur, ut patet ex famosa illa consultatione quæ æternum erit Pseudo-Reformatorum dedecus. In ea Lutherus, Melanchon, Bucerus, & alii quinque earumdem partium Doctores, Philippo Landgravio Hassiæ licitum esse declarârunt anno 1539, ut vivente conjuge à quâ abhorrebat, aliam duceret, quorum autoritate fretus alteram sponsam accepit. Vide quæ hâc de re scripsit Illustrissimus *Bossuet (Hist. des variat. liv. 6.)*. Luthero hâc in parte posteà adhæserunt Anabaptistæ.

Theologi Catholici varias in partes abeunt. Ex his enim nonnulli, ut Maldonatus, Polygamiam nec juri naturali, nec Matrimonii finibus repugnare contendunt, adeò ut, secluså Evangelii lege quâ prohibetur, etiamnùm licita foret: unde sequitur veteres Patriarchas, nec peccasse plures simul uxores ducendo, nec ullâ opus habuisse Dei dispensatione.

Alii contrà cum S. Thoma docent polygamiam non adversari quidem nuptiarum fini primario, sive liberorum procreationi: sed contendunt eam pugnare cum secundariis Matrimonii finibus, nempè cum prolis educatione congruâ & pace domesticâ, quæ inter plures ejusdem viri uxores stare non potest: unde colligunt polygamiam hanc in ea parte juri naturali adversam esse, & proindè Patriarchis necessariam fuisse dispensationem Dei quæ, vel singulis speciali revelatione innotuerit; vel quæ primis revelata, postmodùm fuerit aliis sufficiens. Quâ de controversiâ sit

PROPOSITIO I.

Polygamia simultanea *quâ vir unus plures habet uxores, juri naturali absolutè non repugnat.*

Probatur 1°. Illud juri naturali absolutè non repugnat, quod nec primarios, nec secundarios Matrimonii fines lædit: atqui polygamia de quâ agitur nec, &c. non quidem fines primarios: ii enim sunt prolis generatio ejusque congrua educatio: atqui polygamia cum utrâque conciliari potest: unus enim & idem vir ex pluribus feminis potest liberos suscipere, iisque educandis rectèque instituendis sufficere, sicut & Magister quibus diversarum familiarum liberi committuntur; ergo 1°. polygamia primariis non opponitur Matrimonii finibus; 2°. nec secundariis, scilicèt paci & tranquillitati domesticæ: nam una mulier rixosa, litigiosa, morosa, multò plures discordias excitabit, quàm duæ quarum indoles placida erit & pacis amans: licèt aliquandò pacem domesticam servare difficile sit cum uxore una, conjugium tamen ex se licitum est, quia vitium illud uxoris est, non conjugii; ita pariter, quamvis difficile sit concordiam cum pluribus uxoribus retinere, stare nihilominùs potest conjugium, spectato solo jure naturali: quòd si identidem inter eas uxores

suboriantur jurgia, vir tanquam caput & Superior pacem suâ autoritate & prudentiâ componet.

Prob. 2°. ex Patribus. Hieronymus, *Sciebat* Apostolus, inquit, *lege concessum.... in multis uxoribus liberos spargere.* (*Ep.* 82. *ad Oceanum*, *tom.* 4. *part.* 2. *pag.* 649.) Augustinus, *Quid criminis est*, inquit, *quod de pluribus uxoribus simul habitis objicitur sancto viro Jacob? Illo tempore... id nullâ lege prohibebatur.* (*Lib.* 22. *contra Faustum*, *cap.* 47. *tom.* 8. *pag.* 388.) *Plures feminas uni viro legimus* (fuisse), *neque enim contra naturam nuptiarum est.* (*Lib. de bono conjug. cap.* 17. *tom.* 6. *pag.* 337. *n.* 20.) Theodoretus Abrahamum ab omni culpa excusat, quia non libidinis, sed prolis desiderio, exhortante Sarâ, Agar duxerit. *Maximè*, inquit, *cùm neque natura, neque lex ulla tum scripta, plures ducere uxores prohiberet.* (*Quæst.* 67. *in Genes. tom.* 1. *pag.* 52.)

Unde conficitur istud argumentum: Quod à lege concessum est; quod contra naturam nuptiarum non est; quod neque à natura, neque ab ulla lege scripta prohibetur, illud profectò juri naturali non adversatur: atqui juxta præfatos Patres, quominùs Patriarcharum temporibus plures simul haberentur uxores, nec Matrimonii naturâ, nec jure naturæ, nec ullâ lege scriptâ prohibitum erat; ergo in ea re nihil est quod à jure naturali alienum sit.

Theologi quos impugnamus, & qui polygamiam jure naturali vetitam esse propugnant, plurimum discriminis admittunt inter primaria juris naturalis præcepta, & remotiores eorum conclusiones. Priora quidem esse immutabilia, omnemque repellere dispensationem fatentur; id verò de posterioribus negant, & circa eas dispensationem à Deo concedi posse arbitrantur. Ergo, inquiunt, ex eo quòd Lex Mosaica polygamiam *simultaneam* toleraverit, eâque usi fuerint veteres Patriarchæ, concludere non licet ipsam non esse legi naturali contrariam:

contrariam: id unum enim inferri potest, divinam scilicèt interveniisse dispensationem, quæ hujusmodi polygamiam, ad remotiores tantùm juris naturalis conclusiones pertinentem, fecerit licitam.

Quàm autem inanis sit hæc responsio patet ex Tractatu de legibus, ubi jus naturale demonstratur tùm in primariis suis præceptis, tùm in remotiori qualibet conclusione pariter esse immutabile.

Prob. 3°. Quod juri naturali repugnat, ex se malum est: atqui polygamia de quâ agitur ex se mala non est; alioqui graviter peccassent veteres Patriarchæ qui plures simul uxores habuerunt: atqui illud de viris tantâ pietate conspicuis suspicari nefas est; ergo, &c.

Dixi autem in propositione, *absolutè*: polygamia enim eo sensu dici potest juri naturali minùs consentanea, quòd obstet ne finem suum in conjugiis perfectè assequatur natura; tùm quia difficiliorem reddit numerosæ prolis educationem; tùm quia longè minùs favet paci domesticæ, cùm ex ea nascantur rixæ inter conjuges, ut patet exemplis Saræ & Agar, (*Genes.* 21.) Liæ & Rachelis, quamvis sororum. (*Ibid.* 30.) Insuper à primæva Matrimonii institutione quæ sanè juri naturali erat congruentissima, deficit polygamia. Licèt enim potuisset Deus plures Adamo procreare uxores, idque exigere videretur propagandi generis humani necessitas, unam tamen duntaxat ad eum adduxit.

Solvuntur objecta.

Obj. 1°. Illud jure naturali prohibetur, quod æquitatem conjugalem lædit: atqui polygamia quâ plures uxores vir unus simul habet, æquitatem, &c. ergo, &c.

Resp. Neg. min. Ad æquitatem conjugalem suf-

ficit ut maritus se tradat uxori, quantùm satis est ad uxoris fecunditatem : atqui illud non impedit polygamia benè & sapienter instituta ; ergo per eam non violatur æquitas conjugalis.

Inst. Ad æquitatem conjugalem requiritur ut vir se totum tradat feminæ, sicut femina se totam tradit viro : atqui id non facit polygamus ; ergo in eo locum habere non potest æquitas conjugalis.

Resp. Dist. maj. Ad æquitatem conjugalem requiritur ut vir se totum tradat feminæ, quantùm sufficit ad debitum conjugale, conc. maj. ut se tradat uni absolutè, rursùs dist. si id vel lege positivâ, vel mutuo partium consensu constitutum sit, conc. secùs, neg.

Itaque jure naturali debet se vir uxori tradere, quantùm ad ipsius fecunditatem necesse est. Quapropter si quis tot duceret uxores, ut iis fecundandis impar foret, talis polygamia Matrimonii fini primario, & juri naturali adversaretur, quia inde nasceretur omnium penè sterilitas. Pariter si quâ lege publicâ, vel privato partium consensu sancitum sit, ne quis plures simul ducat uxores, id erit religiosè observandum, quia leges & pacta justa violare non licitum est. At, spectatis solis naturæ legibus, necessarium non est ut vir totum se dedat uni uxori, quemadmodùm requiritur ut femina se totam tradat uni viro. Ratio discriminis est, quod mulier quæ pluribus simul viris sese traderet, contra primarium Matrimonii finem qui est prolis generatio, peccaret ; vir autem, etiamsi plures simul duceret uxores, primarium illum finem non offenderet, quia vir unus potest multiplicem ex diversis uxoribus prolem suscipere.

Obj. 2°. Ea polygamia jure naturali prohibetur, quæ pugnat cum essentia Matrimonii : atqui polygamia de qua loquimur pugnat cum Matrimonii essentia ; hæc enim sita est in conjunctione unius cum una ; ergo, &c.

Resp. Neg. min. Si enim Matrimonii essentia consisteret in conjunctione unius cum una tantùm, Patriarcharum cum diversis uxoribus conjugia, non nisi ficta essent Matrimonia, ac proindè conjunctiones illicitæ, totidemque adulteria : atqui illud de patriarchis sentire nefas est, ergo Matrimonii essentia non sita est in conjunctione unius cum una tantùm.

Inst. Illud ad Matrimonii essentiam pertinet, quod à prima sua institutione habuit ; atqui Matrimonii, vel à prima sua institutione, fuit conjunctio unius cum una ; ergo illud ad ejus essentiam pertinet.

Resp. Neg. maj. Cùm enim natura humana innocens esset ac integra, Deus Matrimonium, non solùm quoad essentiam, sed præterea quoad meliorem & perfectiorem formam instituit ; ab ea proindè forma perfecta ut recederent Patriarchæ, permittere potuit Deus, etiam illæsâ Matrimonii essentiâ. Insuper ex eo quòd Matrimonium à primordiis fuerit conjunctio unius cum una duntaxat, non sequitur illud ad ejus essentiam pertinere ; quemadmodùm licèt homo vel à prima sua creatione id habuerit, ut esset justus & innocens, inde inferri non potest justitiam & sanctitatem ad hominis essentiam pertinere ; ita ut, iis sublatis, desinat esse verus homo.

PROPOSITIO II.

Polygamia simultanea *primævæ Matrimonii institutioni adversatur.*

Prob. 1°. ex prima Matrimonii origine : Non plures Deus Adamo uxores obtulit, sed unam tantùm, *dixitque Adam : hoc nunc os ex ossibus meis, & caro de carne mea : quamobrem relinquet homo patrem & matrem, & adhærebit uxori suæ, & erunt duo in carne una :* (*Genes.* 2. *v.* 23. & 24.)

Atqui huic duorum in carne una conjunctioni adversatur polygamia *simultanea*, ergo & primæ Matrimonii institutioni.

Prob. 2°. ex Veteribus qui violatam à Lamech Matrimonii institutionem ea de causa dicunt, quòd primus omnium duas accepisset uxores. *Numerus Matrimonii*, inquit Tertullianus, *à maledicto viro cœpit. Primus Lamech duabus maritatus, tres in unam carnem effecit. (Lib. de exhort. castit. cap. 5. pag. 521.) Vim passa institutio Dei per Lamech. (Lib. de Monogamia, cap. 4. pag. 527.)* S. Hieronymus, *Primus Lamech*, inquit, *sanguinarius & homicida, unam carnem in duas divisit uxores. (Lib. 1. contra Jovinianum, tom. 4. part. 2. pag. 159.)* Atqui his verbis exhibetur bigamia tanquam crimen divinæ institutioni ita contrarium, ut non ab alio quàm ab homine flagitioso committi potuerit.

PROPOSITIO III.

Veteres Patriarchæ ex divina dispensatione, ac proindè citra culpam, plures simul duxerunt uxores.

Prob. Ex superiori propositione constat polygamiam *simultaneam* primariâ Matrimonii institutione vetitam fuisse. Ista verò lex ad diluvium usque stetit integra, vel saltem eam non legimus in Scripturis ab alio violatam, quàm à flagitioso viro Lamech qui *accepit duas uxores : (Genes. 4. v. 18. & 19.)* qua in re tanquam gravissimi criminis reus à SS. Patribus exhibetur. Qui post diluvium vixerunt Patriarchæ, hanc legem ignorare non potuerunt, eamque ipsorum ætate abrogatam fuisse nullo indicatur monumento. Vel igitur ex dispensatione à Deo concessâ plures simul uxores acceperunt, vel contra legem divinam peccârunt : atqui illud posterius sentire nefas sit

de tantis viris quorum insignem pietatem commendant Scripturæ ; ergo, &c.

Licentiam hanc Patriarchis divinitùs concessam non omninò siluerunt Patres. *Sanè apud Veteres nostros*, inquit Tertullianus, *ipsosque Patriarchas ... plurifariàm Matrimoniis uti fas fuit ... per licentiam. (Lib. 1. ad uxor. cap. 2. pag. 162.) Audiens*, ait S. Chrysostomus, *eum* (Jacob) *accepisse majorem natu, & postèà minorem, ne turberis ; neque secundùm statum qui nunc est, opera quæ tunc facta sunt judices. Tunc enim quia principia erant, permissum fuit cum duabus vel tribus vel pluribus misceri, ut humanum genus propagaretur. (Hom. 56. in Genes. n. 3. tom. 4. pag. 542.)*

Dices 1°. Nullum in sacris Litteris occurrit hujus dispensationis vestigium ; ergo rejicienda est veluti fictitia.

Resp. Dist. ant. Nullum occurrit vestigium expressum, esto ; implicitum, neg.

Esto hæc dispensatio in sacris Litteris expressa non inveniatur, quod multi negant ; in iis saltem implicitè continetur. Dum enim Scripturæ veteres Patriarchas nobis exhibent tanquam eximiæ sanctitatis viros, Deoque amicissimos, & illorum pietatem & fidem summis efferunt laudibus, nonne satis indicant eos contra primariam Matrimonii institutionem plurimas simul uxores non accepturos fuisse, nisi ita se gerendi licentiam divinitùs accepissent ? Minimè tamen necesse est ad specialem pro singulis polygamis revelationem confugere : ad instituendum enim novum hunc rerum ordinem satis fuit, ut generalis Dei permissio immediatis Noemi posteris concederetur, à quibus ad alios transmissa fuerit.

Dices 2°. Mulieres illæ quas sibi junxerunt Patriarchæ, vocantur in Scripturis *concubinæ*, earumque liberi hæredes non fuerunt, ut patet ex ista Genesis narratione : *Dedit Abraham cuncta*

quæ possederat Isaac ; filiis autem concubinarum largitus est munera. (*Cap.* 25. *v.* 5. & 6.) Ibi cæteræ, præter Saram, feminæ pro vilibus meretricibus habentur ; ergo mulieres illæ non erant uxores legitimæ, ac proindè nullam à Deo dispensationem acceperant Patriarchæ.

Resp. Neg. conseq. Ex usu quidem jam dudùm recepto, *concubinæ* nomen perditam mulierem sonat, quæ extra Matrimonium turpem sui copiam viro facit ; sed apud Judæos veram, at secundi ordinis conjugem significabat, quæ ad procreandam tantùm sobolem assumebatur. Hujusmodi conjuges uxori primariæ serviebant, earumque liberi ad paternam hæreditatem nihil habebant juris, sed nonnulla tantùm munera accipiebant. Quamvis *concubinæ* frequenter in Scripturis appellentur, veræ nihilominùs uxores erant ; rem ita esse inde patet, quòd Agar & Cethura quæ in objecto loco dicuntur Abrahami *concubinæ*, alibi ipsius uxores vocentur. *Sarai uxor Abraham tulit Agar Ægyptiam ancillam suam, ... & dedit eam viro suo uxorem.* (*Genes.* 16. 3.) *Abraham aliam duxit uxorem nomine Cethuram.* (*Ibid. cap.* 25. 1.)

Quæres an ilia dispensatio non veteres tantùm Patriarchas, sed omnes etiam Judæos spectaverit.

Resp. eam ad omnes Judæos pertinuisse. Lex enim divina de unius viri cum pluribus uxoribus conjunctione non semel loquitur, diversaque circa eam tradit præcepta, & quidem sine ullo improbationis signo. Sic, v. g. statuit : *Si habuerit homo uxores duas, unam dilectam & alteram odiosam, ... & fuerit filius odiosæ primogenitus, voluerit que substantiam inter filios suos dividere, non poterit filium dilectæ facere primogenitum, & præferre filio odiosæ ; sed filium odiosæ agnoscet primogenitum.* (*Deut.* 21. *v.* 15. 16. & 17.) Ea lex indicat communem apud Judæos fuisse plures simul uxores ducendi

consuetudinem ; præscribit quid facto opus sit, cùm filius odiosæ erit primogenitus : atqui tamen nulla ibi occurrit improbationis nota ; ergo, &c.

Præterea nisi plures simul uxores habendi licentiam à Deo Judæi accepissent, hujusmodi conjugia Prophetæ aliquando reprehendissent, tanquam legi divinæ opposita : atqui tamen in ipsorum Scriptis nullam ea de re objurgationem reperias, quamvis in redarguendis suæ gentis criminibus essent assidui ; ergo, &c.

Propositio IV.

Christus, revocato ad primam originem Matrimonio, in nova lege prohibuit ne plures simul uxores habeantur.

Prob. 1°. ex Scriptura. Christus sic pronuntiat : *Quicumque dimiserit uxorem suam, & aliam duxerit, adulterium committit ;* (*Marc.* 10. 11.) quod repetit. (*Matth.* 19. 9.) Porrò qui adulterum eum esse declarat qui, dimissâ uxore suâ, aliam ducit, multò magis pro adultero eum habet, qui uxorem suam retinens alteram sibi jungit ; atqui Summus Legislator Christus adulterum esse eum declarat qui, &c. ergo, &c. Præterea Christum interrogant Pharisæi *an liceat* (homini) *dimittere uxorem quacumque ex causa* ; quid respondet Christus ? *Non legistis*, inquit, *quia qui fecit hominem ab initio, masculum & feminam fecit eos ? & dixit : propter hoc dimittet homo patrem & matrem, & adhærebit uxori suæ, & erunt duo in carne una : itaque jam non sunt duo, sed una caro ; quod ergo Deus conjunxit, homo non separet.* (*Matth.* 19. *v.* 3. 4. 5. 6.) Ibi Christus Matrimonium revocat ad primariam institutionem, juxtæ quam duo tantùm erant in carne una ; ergo polygamia penitùs abrogat.

Denique Apostolus sic testatur : *Mulier, ...*

vivente viro, vocabitur adultera si fuerit cum alio viro : (*Rom.* 7. 3.) atqui juxta, Apostolorum, par est in eo capite mulieris & viri conditio, cùm neuter habeat sui corporis potestatem, quam toram alter in alterum per matrimonialem contractum transtulit : *Mulier*, inquit, *sui corporis potestatem non habet, sed vir; similiter autem & vir sui corporis potestatem non habet, sed mulier.* (1. *Cor.* 7. 4.) Ergo quemadmodùm mulier, vivente viro, non potest sine adulterio fieri alterius uxor; ita nec vir potest, vivente conjuge, aliam ducere uxorem quin adulterium committat.

Prob. 2°. ex Patribus. *Non licet tibi*, ait S. Ambrosius, *uxore vivente, aliam ducere : nam & aliam quærere, cum habeas tuam, crimen est adulterii.* (*Lib.* 1. *de Abraham, cap.* 7. *tom.* 1. *pag.* 302.) S. Hieronymus asserit virum non posse adulteram uxorem dimittere, nisi eâ conditione ut *secundam, primâ vivente, non habeat.* (*In cap.* 19. *Matth. tom.* 4. *part.* 1. *pag.* 87.) S. Augustinus : *In Ecclesia Christi*, inquit, *sterilem conjugem relinquere, ut alia fecunda ducatur, nefas est; quod si quisquam fecerit, ... lege Evangelii reus est adulterii.* (*Lib.* 1. *de nuptiis & concup. cap.* 10. *tom.* 10. *pag.* 286.)

Meritò igitur Concilium Tridentinum ita pronuntiat : *Si quis dixerit licere Christianis plures simul habere uxores & hoc nullâ lege divinâ esse prohibitum, anathema sit.* (*Sess.* 24. *de Matrim. can.* 2.)

Obj. 1°. Valentinianus senior, licèt Imperator Christianus, legem tulit, *ut unicuique volenti liceret duas habere uxores legitimas, eamque in singulis civitatibus divulgavit.* Ita refert Socrates (*lib.* 4. *Histor. cap.* 31. *pag.* 250.), & post eum Zonaras & Nicephorus. Quam legem suo firmavit exemplo, dum vivente Severâ priori uxore suâ, alterum cum Justina Matrimonium contraxit. Ea tamen de re filuerunt illius temporis Episcopi :

numquid verò tacuissent, si polygamia legi Evangelicæ adversaretur ?

Resp. 1°. Etiamsi constaret hujus edicti veritas, non ideò licitum esset plures simul uxores ducere, cùm illud prohibeat divina lex, quam irritam facere nequeunt leges humanæ.

Resp. 2°. in eo capite, ut in aliis plurimis errasse Socratem, tùm quia de prædicta lege omninò silent Sozomenus, Theodoretus, Zozimus, & Ammianus ipse qui Valentiniani gesta fusè commemorat; tùm quia constat Justinam ab illo Principe non ductam fuisse, nisi post mortem Severæ; tùm quia id potissimùm in Valentiniano laudârunt Ethnici, & maximè Ammianus, quòd *omni pudicitiæ cultu domi castus & foris* esset. (*Lib.* 30.) An verò istâ laude ornaret Principem Christianum qui duas uxores simul habuisset, quod legibus etiam Romanis veritum erat ? Denique plurimi Imperatoris exemplo & oblatâ sibi licentiâ incitati, duas simul uxores arripuissent : id tamen non contigisse satis probat sanctissimorum illius temporis Præsulum silentium, qui adversùs tantam corruptelam profectò reclamassent. Ex iis omnibus meritò colligitur cum Henrico *de Valois* in istum Socratis locum, falsam esse ejusdem Historici in ea parte narrationem.

Obj. 2°. Gregorius II, Pontifex Maximus, ad Bonifacium à quo consultus fuerat ita rescribit : *Proposuisti si mulier infirmitate correpta non valuerit viro debitum reddere, quid ejus faciat jugalis. Bonum esset si sic permaneret, ut abstinentiæ vacaret : sed quia hoc magnorum est, ille qui non se poterit continere, nubat magis; non tamen subsidii opem subtrahat ab illa quam infirmitas præpedit, non detestabilis culpa excludit.* (*Epist.* 14. *ad Bonifacium, tom.* 6. *Concil. pag.* 1448.) Permisit ergo Romanus ille Pontifex, ut maritus de quo consultus fuerat, vivente primâ uxore suâ, alteram duceret; non existimavit proindè

polygamiam *simultaneam* à lege Evangelica prohiberi.

Resp. hæc Gregorii verba intelligi posse de infirmitate naturali, non autem adventitiâ, quæ nuptias præcesserit & feminam conjugali officio inhabilem fecerit. Hujusmodi verò impotentiam esse Matrimonii impedimentum dirimens apud omnes constat. Hæc igitur femina verè non erat illius viri uxor, cui alteram ducere permittit Romanus Pontifex. Cùm benigniorem hunc sensum admittat Gregorii rescriptum, ut illud ita interpretemur postulant æquitas & reverentia summo Pontifici debita. Illi enim injuriosus esset, qui eum à perspicua suæ sedis & Ecclesiæ doctrina recessisse crederet, dum alium sensum ipsius verba patiuntur.

Articulus II.

De Polygamia successiva, *sive secundis nuptiis.*

Cetera, post primum, Matrimonia damnârunt Montanistæ. *Secundas nuptias*, inquit Augustinus, *pro fornicationibus habent.* (*Lib. de Hæres. cap.* 26. *tom.* 8. *pag.* 10.) Eadem fuit Tertulliani jam Montanistæ doctrina: *Unum*, ait, *Matrimonium novimus, sicut unum Deum.* (*Lib. de Monogamia, cap.* 1.) Eumdem Novatianis errorem tribuit Theodoretus: *Eos*, inquit, *qui secundum Matrimonium iniissent, à sacris mysteriis arcebant.* (*Lib.* 3. *hæreticar. fabular. cap.* 5. *tom.* 4. *pag.* 229.)

Propositio.

Polygamia successiva *licita est.*

Prob. 1°. ex eo quòd hujusmodi polygamiæ nullâ lege prohibeatur. Lex quippè est triplex, naturalis, divina & humana: atqui ex illis legibus nulla est quæ secundas nuptias prohibeat. 1°. Quidem non lex naturalis. Mulier enim quæ à lege viri soluta est, suique corporis potestatem habet, potest, illæso jure naturali, alterum contrahere Matrimonium: atqui mulier post viri sui mortem, ab illius lege libera est, suique corporis domina. Nihil autem in secundis nuptiis occurrit, quod primario Matrimonii fini repugnet, nempè sobolis procreationi, ut satis patet; ergo 1°. polygamiæ *successiva* jure naturali non vetita est.

2°. Nec jure divino: quod enim Apostolus licitum declarat, id jure divino non prohibetur: atqui Apostolus variis in locis licitam declarat polygamiam *successivam*: *Mulier*, inquit, *alligata est legi, quanto tempore vir ejus vivit; quòd si dormierit vir ejus liberata est: cui vult nubat, tantùm in Domino.* (1. *Cor.* 7. 39.) *Solutus es ab uxore? noli quærere uxorem; si autem acceperis uxorem, non peccasti.* (*Ibid. v.* 27 & 28.) Atqui profectò licitum declaratur quod sine peccato fieri posse asseritur; ergo, &c.

Denique de junioribus viduis quæ continentiæ donum noc acceperunt, sic habet: *Volo ergo juniores* (viduas) *nubere, filios procreare, matresfamilias esse.* (1. *Tim.* 5. 14.) Numquid autem rem illicitam suaderet Apostolus? ergo 2°. polygamia *successiva* jure divino non interdicta est.

3° Nec lege humanâ: ea quippè vel civilis est, vel ecclesiastica: atqui neutra polygamiam *successivam* prohibet; non quidem lex civilis, cùm notum sit omnibus secundas nuptias, consentiente & approbante potestate civili, frequentissimè con-

trahi: non etiam lex ecclesiastica, tùm quia repetita conjugia per suos Ministros celebrare consuevit Ecclesia; tùm quia doctrinam secundas nuptias tanquam illicitas rejicientem damnavit, ut catholico dogmati contrariam: nam Concilium generale Nicænum I Novatianos ad Ecclesiam redeuntes eâ lege recipit, *ut scripto profiteantur quod Catholicæ Ecclesiæ dogmata suscipiant, & sequantur, id est, bigamis se communicent.* (*Tom. 2. Concil. pag.* 41.) Ergo 3°. nec lege ecclesiasticâ, nec civili vetita est polygamia *successiva*; aliundè neque divinâ, neque naturali; ergo, &c.

Prob. 2°. ex Patribus: S. Chrysostomus in ista Apostoli verba, *mulier alligata est legi*, &c. sic notat: *Summæ arrogantiæ ac furoris fuerit, quas non castigavit Paulus, sed quibus pepercit, eas* (viduas) *à nobis acerbè condemnari, si voluerint secundò nubere, quæ extra culpam sunt.* (*Tom. 1. pag.* 350. *nov. edit.*)

S. Epiphanius: *Cui mortua una non sufficit, . . . is si alteram uxorem duxerit, aut alteri viro mulier nupserit, sacrarum Litterarum autoritas ab omni culpa illos absolvit.* (*Hæres.* 59. *t.* 1. *lib.* 2. *p.* 497.)

S. Augustinus: *Quid sibi vult, quod Abraham post mortem Saræ, Cethuram duxerit uxorem? . . . hoc provisum est contra futuros secundarum nuptiarum adversarios, ut in ipso patre multarum gentium post obitum conjugis iterùm conjugari demonstraretur non esse peccatum.* (*Lib.* 16. *de civit. Dei, cap* 34. *tom.* 7. *pag.* 445.)

S. Fulgentius: *Firmissimè tene & nullatenùs dubites, nec solas primas nuptias à Deo institutas; sed etiam secundas & tertias, pro eorum qui se continere non possunt infirmitate concessas.* (*De fide, ad Petrum, cap.* 42. *num.* 83.)

Solvuntur objecta.

Obj. 1°. Concilium Neocæsariense an. 314. §.

jubet: *De his qui sæpiùs nubunt, tempus... pœnitentiæ quod his constitutum est, observabunt.* (*tom.* 1. *Concil. pag.* 1487.) S. Basilius agens de pœnitentia quam Patres iis imposuêre, qui iterata Matrimonia contrahebant, sic refert: *definiêre Patres . . . . . annum* (pœnitentiæ publicæ) *in digamis, alii verò duos annos, trigamos autem tribus & sæpe quatuèr annis segregant: . . . . jam verò consuetudine accepimus in trigamis quinquennii segregationem.* (*Epist.* 188. *tom.* 3. *pag.* 271.)

Unde sequitur istud argumentum: Qui bigamos pœnitentiæ publicæ subjiciunt, ii secundas nuptias existimant divinæ legi contrarias: atqui Patres Neocæsarienses & alii bigamos pœnitentiæ publicæ subjiciunt; ergo, &c.

Resp. dict. maj. Qui bigamos pœnitentiæ subjiciunt, propter ipsas nuptias in se spectatas, quasi eas repetere malum sit, eas existimant divinæ legi contrarias, conc. maj. qui bigamos pœnitentiæ subjiciunt propter gravem incontinentis animi & libidinis suspicionem, secundas nuptias existimant, &c. neg. maj. dist. parit. min.

Porrò aliud est denuò nubentem pœnitentiæ subjicere, & aliud secundas nuptias quasi divinæ legi contrarias, & ratione sui malas damnare. Cùm iteratæ nuptiæ incontinentis animi suspicionem præ se ferant, eòque graviorem, quò sæpiùs repetuntur, haud immeritò judicârunt Patres Neocæsarienses & alii nimiam libidinis flammam pœnitentiæ laboribus vel restinguendam, vel temperandam esse: at non ideò secundas nuptias in se spectatas tanquam malas divinæque legi repugnantes culpavêre.

1°. Quia si persuasum habuissent iteratas nuptias ex se malas esse, divinoque jure vetitas, eas prohibere expresso Canone debuissent, nec vetare tantùm, sed irritas nullasque decernere. Numquid enim verisimile est sanctos Præsules adulterina conjugia, divinæque legi contraria patienter tolera-

turos? Atqui nec Patres Neocæsarienses, nec alii suis Canonibus irrita declarârunt hujusmodi conjugia; sed pœnitentiam tantùm denuò nubentibus imposuêre.

2°. Quia Laodicense Concilium paulò post Neocæsarienſe in Phrygia pariter celebratum de bigamis ita decernit Canone primo: *De his qui secundùm ecclesiasticam regulam liberè ac legitimè secundis nuptiis juncti sunt,.... oportet ut, parvo tempore transacto, vocent orationibus & jejuniis.* (*Tom.* 1. *Concil. pag.* 1509.) Itaque hæc Synodus jubet quidem bigamos *orationibus & jejuniis vacare*; at eos simul agnoscit *legitimè secundis nuptiis junctos:* atqui profectò legitima non esset hæc conjunctio, si divinâ lege prohiberetur; ergo bigami non ideò pœnitentiæ publicæ subjecti sunt quòd secundæ nuptiæ, imò & ulteriores, jure divino vetitæ existimarentur; sed quia impotentis libidinis suspicionem injiciebant.

Obj. 2°. nonnullos Patres qui secundas nuptias durius insectati sunt: Athenagoras eas vocat *decorum adulterium.* (legat. pro Christianis. n. 33.) S. Clemens Alexandrinus eadem videtur eum *fornicatione* confundere: *Fornicatio est ab uno Matrimonio ad plura prolapsio.* (*Lib.* 3. *stromatum n.* 12. *tom.* 1. *pag.* 551. *Edit. Oxon.*) Juxta Origenem è Regno Dei excludunt: *secundæ & tertiæ & quartæ nuptiæ, ut de pluribus taceam, reperiuntur, & non ignoramus quod tale conjugium ejiciet nos de Regno Dei.* (*Homil.* 17. *in Luc. tom.* 3. *pag.* 953.) S. Gregorius Nazianzenus de iis acerbiùs etiam loquitur: *Primum* (conjugium) *lex est, secundum venia & indulgentia, tertium iniquitas; qui autem hunc numerum excedit, porcinus planè est.* (*Orat.* 37. *n.* 8. *tom* 1. *pag.* 650. *edit. Benedict.*)

Judice S. Basilio, non vera sunt Matrimonia: *Id autem.* (bigamiam & trigamiam) *non amplius conjugium, sed polygamiam appellant* (Patres).

Ii qui digamiæ mensurâ exciderunt, digni non sunt qui mariti vel uxoris nomine appellentur. (*Epist.* 188. *Canonic.* 1. *can.* 4. *pag.* 271. *tom.* 3. *edit. Benedict.*) S. Hieronymus repetita conjugia non mitiùs tractat: *Quæ duos viros habuit, Ecclesiæ stipes non meretur accipere; si autem panis illi tollitur eleemosynæ, quantò magis ille panis qui de Cœlo descendit, quem qui indignè comederit, reus erit violati corporis & sanguinis Christi?* (*Lib.* 1. *adversùs Jovinianum, tom.* 4. *part* 2. *pag.* 159.) Quinimò viduam quæ secundas contrahit nuptias à publicis meretricibus in eo tantùm differre ait, quod *uni sit prostituta non pluribus.* (*Epist.* 91. *ad Geruntiam, ibid. pag.* 741.)

Resp. ad primum: Athenagoræ locus intelligi potest de conjugiis post divortium, non verò post alterutrius conjugis mortem, contractis. Eam esse ipsius mentem indicare videntur, quæ allegat Christi verba, *quicumque dimiserit*, &c. ut probet secundas nuptias esse adulterium Matrimonii velamine obtectum.

Resp. ad secundum, secundas nuptias à Clemente Alexandrino *fornicationem* propriè & ratione sui non appellari, sed metaphoricè & propter effusam animi incontinentiam, quâ plerique ad repetita conjugia rapiuntur. Hanc enim comparationem adhibet: *Quemadmodùm avaritia dicitur fornicatio, ita & fornicatio est ab uno Matrimonio ad plura prolapsio.* Sicut igitur avaritia non est *fornicatio* proprie dicta, ita nec secundæ nuptiæ. Eas verò in se non damnari, constat ex iisdem libri verbis: *Si ut Apostolus propter intemperantiam, veniam secundi concedit Matrimonii, hoc etiam concedit Dominus; nam hic quoque non peccat,.... non est enim à lege prohibitus.* (*ibid. pag.* 548.)

Resp. ad tertium Bigamos è Regno Dei ejiciendos non dicit Origines, quasi eos à salute exclusos velit; sed illo sensu quòd tantum gloriæ & felicitatis gradum non assecuturi sint, quantum ii qui puri-

tatis studio secundas nuptias refugerint. Ibidem enim ait bigamos *esse de his qui . . . . salvantur quidem in nomine Jesu Christi, nequaquam tamen coronantur.* Sic etiam alibi mentem suam aperit: *Dici potest præclarius quidem cum illa actum fuisse, si castitatem servasset, secundis nuptiis non se implicuisset, & novisset salutis alicujus eam etiam quæ bis nubit, non tamen tantæ beatitudinis, quantæ illa quæ, cùm posset bis nubere, puritati studet, participem esse.* (*Homil. 19. in Jerem. n. 4. tom. 3. pag. 267.*)

Resp. ad quartum: Tertias, quartas & ulteriores nuptias S. Gregorius Nazianzenus *iniquitatem* vocat, & qui eas contrahit *porcinum* appellat, quia in iis vehementior sese prodit intemperantia, & porcina quædam libido. Eas verò ratione sui spectatas non damnat. Quoad enim internam substantiam eædem sunt ac secundæ nuptiæ: atqui S. Præsul secundas nuptias ex se illicitas non putat, siquidem eas adversùs Novatianum sic vindicat: *Anne juvenibus quidem viduis propter ætatis lubricum, ineundi Matrimonii potestatem facis? At paulus hoc facere minimè dubitavit; . . . verum, inquis, hæc minimè post Baptismum. Quo argumento id confirmas? aut rem ita se habere proba, aut si id nequis, ne condemnes: quòd si res dubia est, vincat humanitas & facilitas.* (*Orat. 39. n. 18. 19. tom. 1. pag. 690. edit. Benedict.*).

Resp. eodem modo ad quintum: Tertiæ nuptiæ quoad substantiam eædem sunt ac secundæ nuptiæ, neque ab istis differunt, nisi ratione affectûs nubentium qui in conjugiis totiès iteratis majorem incontinentis animi suspicionem præbent: atqui licitas esse secundas nuptias docet S. Basilius: *Quæ in viduitate*, inquit, *potestatem sui habet; cum viro cohabitare potest sine reprehensione, ... cùm Apostolus dicat: si mortuus sit maritus, libera est, ut nubat cui velit.* (*Epist. 99. Canonic. 2. ad Amphilech. can. 41. tom. 3. pag. 296.*) Ergo pariter

tertias nuptias S. Doctor non reprehendit tanquam ratione sui & quoad substantiam malas ac illicitas, sed tantùm propter effusiorem, cujus argumenta sunt, libidinem. Præterea si tertiæ nuptiæ verum non essent conjugium, non satis fuisset trigamos pœnitentiæ subjicere, sed eorum Matrimonia debuissent irrita declarari, & conjuges à se invicem divelli: quod tamen neque à S. Basilio, neque ab aliis Patribus unquam factum legimus.

Resp. ad sextum: 1°. Juxta S. Hieronymi mentem hominem non fieri Eucharistiâ indignum ob iteratas præcisè nuptias, sed propter effrenem intemperantiam quæ ad eas impellere solet; 2°. eumdem Doctorem *prostitutæ* nomen latiori & improprio tantùm sensu usurpare, pro muliere scilicèt quæ incontinentis animi vitio ad repetita conjugia, quamvis ex se licita, rapitur: mentem enim suam circa secundas & ulteriores nuptias sic declarat: *Ego nunc liberâ voce proclamo, non damnari in Ecclesia digamiam, imò nec trigamiam, & ita licere quinto & sexto, & ultrà . . . . marito nubere; . . . . non damno digamos, imò nec trigamos, & si dici potest, octogamos. Habeat, cui libet, octavum maritum & esse desinat prostituta.* (*Epist. 3. ad Pammachium, tom. 4. part. 2. pag. 241.*) Ergo reipsà non *prostituta* est quæ plures successivè maritos habuit.

Quæres an viduæ statim à mariti sui morte liceat ad novas convolare nuptias.

Resp. legibus Romanis vetitum fuisse ne viduæ denuò nuberent, nisi decem post maritorum obitum mensibus, quod tempus ad annum usque integrum prolatum fuit ab Imperatoribus Gratiano, Valentiniano & Theodosio. (*Lib. 3. Cod. Theodos. tit. 8. leg. 1.*) Hanc legem renovavit Justinianus. (*Novell. 21. cap. 22.*) Quæ edictum illud infringebat vidua, in infamiæ notam incurrebat, jure suis natalibus annexo excidebat, & quidquid boni ei reliquerat maritus amittebat.

Hujus severitatis triplex fuit causa; 1°. quia viduæ ad nova citiùs properantes conjugia, fidem suis viris datam parùm revereri, eorumque mortem non satis dolere videntur; 2°. quia id alienum censebatur à caritate liberis ex priori connubio susceptis debitâ; 3°. *propter turbationem sanguinis.* (*lib.* 3. *digest. tit.* 2. *leg.* 2. §. 1.) Periculum enim esset ne vidua novas celeriùs nuptias contrahens, posteriori marito daret hæredem qui ad priorem virum pertineret; vel ne filium posthumum genuini patris hæreditate exueret.

In Gallia jus canonicum sequimur, quo viduis denuò nubere permittitur, etiam nondùm expleto luctûs tempore. Quædam enim sunt circumstantiæ, in quibus urget nubendi necessitas, quando, v. g. vidua post conjugis obitum negotiis implicatur, ex quibus sine mariti subsidio sese extricare non potest. Verùm inter viri mortem & Matrimonium cum altero, idoneum temporis spatium intercedat oportet, ut constare possit viduam ex prioris mariti facto non esse prægnantem. Parochos monet Rituale Suessionense, ut viduas ad nova non admittant conjugia, nisi postquàm sat temporis effluxerit, ut compertum habeatur eas non esse gravidas: Rituale Autisiodorense sex menses constituit.

CAPUT II.

De Matrimonii firmitate.

De Matrimonii firmitate jure divino sancitâ sic disserit Concilium Tridentinum: *Matrimonii perpetuum indissolubilemque nexum primus humani generis parens divini Spiritûs instinctu pronuntiavit, cùm dixit:* Hoc nunc os ex ossibus meis, & caro de carne mea: quamobrem relinquet homo patrem suum & matrem suam, & adhærebit uxori suæ, & erunt duo in carne una.... *Ejusdem nexûs firmitatem ab Adamo tantò antè pronuntiatam, his verbis confirmavit Christus Dominus:* Quod ergo Deus conjunxit homo non separet. (*Sess.* 24. *in proœmio de Matrim.*)

Ut faciliùs intelligantur quæ posteà dicturi sumus, observandum est Matrimonii dissolutionem, aliam dici *propriam* quâ conjuges priori libertati ita restituuntur, ut alias possint nuptias contrahere, eamque vocari *dissolutionem quoad vinculum*; aliam verò *impropriam*, sive divortium, quâ scilicèt conjuges vel à reddendi debiti obligatione fiunt immunes, & appellatur *dissolutio quoad thorum*; vel à necessitate simul habitandi eximuntur, & tunc nuncupatur *dissolutio quoad habitationem.*

Quinque hic occurrunt excutienda; primum an Judæorum Matrimonia per libellum repudii verè proprièque solverentur; secundum utrùm conjugia infidelium dissolvi aliquandò possint; tertium an Christianorum Matrimonia per adulterium; quartum an per Religiosam professionem dirimantur; quintum utrùm & quibus de causis Matrimonium quoad thorum & habitationem solvi possit.

ARTICULUS I.

An Judæorum Matrimonia per libellum repudii propriè & quoad vinculum conjugale solverentur.

Judæis permissum fuisse uxores suas repudiare constat ex istis Deuteronomii verbis: *Si acceperit homo uxorem, ... & non invenerit gratiam ante oculos ejus propter aliquam fœditatem, scribet libellum repudii, & dabit in manu illius, & dimittet eam de domo suâ.* (*cap.* 24. *v.* 1.) Hunc libellum

Hujus severitatis triplex fuit causa; 1°. quia viduæ ad nova citiùs properantes conjugia, fidem suis viris datam parùm revereri, eorumque mortem non satis dolere videntur; 2°. quia id alienum censebatur à caritate liberis ex priori connubio susceptis debitâ; 3°. *propter turbationem sanguinis.* (*lib.* 3. *digest. tit.* 2. *leg.* 2. §. 1.) Periculum enim esset ne vidua novas celeriùs nuptias contrahens, posteriori marito daret hæredem qui ad priorem virum pertineret; vel ne filium posthumum genuini patris hæreditate exueret.

In Gallia jus canonicum sequimur, quo viduis denuò nubere permittitur, etiam nondùm expleto luctûs tempore. Quædam enim sunt circumstantiæ, in quibus urget nubendi necessitas, quando, v. g. vidua post conjugis obitum negotiis implicatur, ex quibus sine mariti subsidio sese extricare non potest. Verùm inter viri mortem & Matrimonium cum altero, idoneum temporis spatium intercedat oportet, ut constare possit viduam ex prioris mariti facto non esse prægnantem. Parochos monet Rituale Suessionense, ut viduas ad nova non admittant conjugia, nisi postquàm sat temporis effluxerit, ut compertum habeatur eas non esse gravidas: Rituale Autisiodorense sex menses constituit.

CAPUT II.

De Matrimonii firmitate.

De Matrimonii firmitate jure divino sancitâ sic disserit Concilium Tridentinum: *Matrimonii perpetuum indissolubilemque nexum primus humani generis parens divini Spiritûs instinctu pronuntiavit, cùm dixit:* Hoc nunc os ex ossibus meis, & caro de carne mea: quamobrem relinquet homo patrem suum & matrem suam, & adhærebit uxori suæ, & erunt duo in carne una.... *Ejusdem nexûs firmitatem ab Adamo tantò antè pronuntiatam, his verbis confirmavit Christus Dominus:* Quod ergo Deus conjunxit homo non separet. (*Sess.* 24. *in proœmio de Matrim.*)

Ut faciliùs intelligantur quæ posteà dicturi sumus, observandum est Matrimonii dissolutionem, aliam dici *propriam* quâ conjuges priori libertati ita restituuntur, ut alias possint nuptias contrahere, eamque vocari *dissolutionem quoad vinculum*; aliam verò *impropriam*, sive divortium, quâ scilicèt conjuges vel à reddendi debiti obligatione fiunt immunes, & appellatur *dissolutio quoad thorum*; vel à necessitate simul habitandi eximuntur, & tunc nuncupatur *dissolutio quoad habitationem.*

Quinque hic occurrunt excutienda; primum an Judæorum Matrimonia per libellum repudii verè proprièque solverentur; secundum utrùm conjugia infidelium dissolvi aliquandò possint; tertium an Christianorum Matrimonia per adulterium; quartum an per Religiosam professionem dirimantur; quintum utrùm & quibus de causis Matrimonium quoad thorum & habitationem solvi possit.

ARTICULUS I.

An Judæorum Matrimonia per libellum repudii propriè & quoad vinculum conjugale solverentur.

Judæis permissum fuisse uxores suas repudiare constat ex istis Deuteronomii verbis: *Si acceperit homo uxorem, ... & non invenerit gratiam ante oculos ejus propter aliquam fœditatem, scribet libellum repudii, & dabit in manu illius, & dimittet eam de domo suâ.* (*cap.* 24. *v.* 1.) Hunc libellum

solus dare poterat maritus. Viris enim tantùm uxores repudiare permissum erat, non uxoribus viros. Necesse etiam fuit, teste Augustino, ut à scribis publicis exararetur, quorum partes erant judicare utrùm justæ, an injustæ forent repudii causæ. (*Lib.* 19. *contra Faustum*, *cap.* 26. *tom.* 8. *pag.* 328.) Debuit præterea dari ex gravi & legitima causa quæ generatim nomine *fœditatis* exprimitur.

Numquid autem libello repudii solvebatur vinculum conjugale? Circa quæstionem hanc duas in partes distrahuntur Theologi. Alii docent repudium à Deo fuisse Judæis permissum, non tanquam rem licitam, & quæ sine culpa fieri posset; sed veluti minus malum quo graviora vitarentur; ne videlicèt mariti cum uxoribus sibi odiosis durius agerent, vel etiam eas occiderent. Ideò statuunt per libellum repudii non dissoluta fuisse apud Judæos Matrimonia quoad vinculum. Ita S. Hieronymus, S. Bonaventura, Sylvius, Jueninus, Drouin, Berti & alii plurimi. Non pauci verò contendunt repudium licitum & sine culpa fuisse, ita ut nexum conjugalem proxùs abrumperet, & licentiam daret ad nova transeundi Matrimonia. Ita sentiunt Bellarminus, Sanchez, Tournely, &c.

Cùm autem hinc & inde graves afferantur rationes, utriusque partis argumenta sic exponemus, ut de illa controversia nihil simus pronuntiaturi.

Argumenta Theologorum qui docent libello repudii non dissoluta fuisse quoad vinculum Judæorum Matrimonia.

Probant 1°. ex istis Deuteronomii verbis: *Cumque egressa mulier* (post acceptum libellum repudii) *alterum maritum duxerit, & ille quoque oderit eam, dederitque ei libellum repudii, & dimiserit de domo sua, vel certè mortuus fuerit, non poterit prior maritus recipere eam in uxorem, quia polluta est, & abominabilis facta est coram Domino*: (*cap.* 24. *v.* 2. *& seq.*) atqui non aliam ob causam *polluta & abominabilis* dicitur illa mulier, nisi quia secundæ illius nuptiæ, vivente adhuc priori marito, & stante primi Matrimonii vinculo, non erant legitimæ, sed vera adulteria; ergo, &c.

Respondent alii in textu hebraico & 70 interpretum versione ita legi: *Quia abominatio hoc est coram Deo*; id est, actio prioris mariti uxorem à se dimissam, & quæ alii viro nupserat, recipientis, abominandum est scelus coram Domino, quia scilicèt non videtur eam sincerè repudiasse, verùm ad tempus duntaxat ipsam alteri viro commodasse: quod fictum est divortium, & verum adulterium.

Probant 2°. ex eo quòd Jeremias Israelitas qui verum Deum per idololatriam deseruerant, mulieri comparaverit quæ, vivente viro, necdùm resoluto prioris Matrimonii vinculo, ad secundas nuptias transit. *Vulgò dicitur*, inquit, *si dimiserit vir uxorem suam, & recedens ab eo duxerit alterum, numquid revertetur ad eam ultrà? Numquid non polluta & contaminata erit mulier illa? Tu autem fornicata es cum amatoribus multis: tamen revertere ad me, dicit Dominus, & ego suscipiam te.* (*cap.* 4. *v.* 1.) Porrò ibi Jeremias pollutam & contaminatam vocat mulierem, quæ à viro suo dimissa nupsit alteri: numquid virò ita loqueretur, si libello repudii ruptum fuisset vinculum conjugale?

Reponunt alii tempus futurum *erit*, quod adhibet Jeremias, satis indicare hìc non agi de crimine quod commiserit mulier repudiata, dum alteri nupsit; verum de peccato cujus ream se præberet, si priorem ad maritum reverteretur, postquàm eorum connubium divortio solutum fuit, & mulier dimissa novum cum altero viro connubium iniit. Quo in casu contaminata esset propter rationem suprà expositam.

Probant 3°. ex Christi responsione ad Pharisæos. Sic enim interrogant: *Quid ergo Moyses mandavit*

dare libellum repudii, & dimittere uxorem ? respondet Christus : *Moyses ad duritiam cordis vestri permisit vobis dimittere uxores vestras : ab initio autem non fuit sic.* (*Matth.* 19. *v.* 7. & 8.) Porrò, inquiunt, quod propter duritiam cordis duntaxat permissum est, sine peccato fieri nequit : atqui repudium Judæis non permissum fuit, nisi ob duritiam cordis ; ergo citra culpam non erat, nec proindè matrimoniale vinculum solvebat.

Respondent oppositæ sententiæ patroni, quædam posse ad duritiam cordis concedi, quæ tamen sine peccato fiant. Exempli gratiâ, Ecclesia jejunii severitatem temperans, cœnulam vespertinam permisit fidelibus ad duritiam cordis : nullus tamen illius usum dixerit illicitum. *Dicendum*, inquit S. Thomas, *quod quamvis duritia cordis non excusaret à peccato, tamen permissio ex duritia facta excusat. Quædam enim prohibentur sanis quæ non prohibentur infirmis corporaliter ; nec tamen infirmi peccant, permissione sibi factâ utentes.* (*In* 4. *dist.* 33. *quæst.* 2. *art.* 2. *quæstiune.* 2. *ad* 4.)

Probant denique ex S. Hieronymo & S. Augustino. Iste, commemoratâ Gentilium consuetudine, qui repudio utebantur absque ullâ legis humanæ pœnâ impositâ, sic habet : *Cui consuetudini simile aliquid propter Israëlitarum duritiam videtur permisisse Moyses de libello repudii : qua in re exprobratio, quàm approbatio divortii magis apparet.* (*De bono conjugali, cap.* 8. *n.* 7.) *itaque sicut duobus* (maritis) *pluribusve servire, sic à viro vivo in alterius transire connubium, nec tunc licuit, nec nunc licet, nec unquam licebit.* (*Ibid. cap.* 18. *n.* 21.)

Argumenta Theologorum qui affirmant libello repudii apud Judæos verè solutum fuisse vinculum conjugale.

Probant 1°. ex textu Deuteronomii jam prolato. Ibi Scriptura eum cui mulier dimissa nupsit, *maritum* appellat, *cùmque egressa alterum maritum duxerit :* At nisi dissolutum supponeret Scriptura prius Matrimonium, quomodo eum cui mulier repudiata nupsit, maritum vocaret, qui in adversariorum sententia propriè maritus non fuisset, sed adulter ? cur etiam prohiberet ne prior maritus uxorem reciperet ad eum redeuntem, si ipsius uxor post repudium esse non desiisset ? Non vetandum profectò erat, sed potiùs optandum ut conjux ad suum verum & legitimum maritum rediret.

Probant 2°. qui fieri non potuit ut adulteria publica toleraverit divina lex, *lex sancta & immaculata*, qualem fuisse Mosaicam nemo dubitaverit : atqui tamen nefandum illud crimen toleraret, si libellus repudii matrimoniale vinculum non solvisset : conjux enim ab uno dimissa, palàm alteri nubebat.

Præterea, inquiunt, quis concipiat nec Moysen, nec Prophetas, qui tot alia longè minùs gravia tam severè carpebant, nunquam veluti adulteria corripuisse Matrimonia cum mulieribus repudiatis ? atqui tamen nullibi legitur hæc conjugia tanquam adulteria fuisse ab iis reprehensa ; certum est igitur uxoris dimissæ cum alio viro nuptias non fuisse adulterinas ; ergo nexum conjugalem solvebat libellus repudii.

Respondent alii immeritò dici hujusmodi nuptias nunquam fuisse à Prophetis reprehensas, cùm Jeremias *pollutam & contaminatam* dixerit mulierem, quæ à viro suo repudiata alteri nupsit. Quòd ita frequentes non fuerint hujusmodi objurgationes, inquiunt, in causa fuit Judæorum obstinatio, quam

suis exprobationibus non frangendum prævidebant Propheræ.

Probant 3°. quia si absque peccato non potuisset mulier repudiata alteri nubere, multò durior, ne dicamus iniqua, fuisset uxorum, quàm virorum conditio. Vir enim, rejectâ priori conjuge, aliam, vel etiam plures, ducere potuisset; si quidem tunc licitum erat plures habere uxores: contrà verò feminæ, quæ tamen viris sunt infirmiores, toto vitæ decursu cœlibem vitam agere coactæ fuissent: nunquam enim mulieri licitum fuit plures simul habere viros: porrò tanta conditionis disparitas videtur injusta.

Probant 4°. Sacerdotibus tantùm prohibetur ne mulierem ducant *quæ repudiata est à marito*; (*Levit.* 21. 7.) id ergo aliis fas erat.

Reponunt oppositæ sententiæ defensores, Sacerdotibus non fuisse permissa quæ in aliis tolerari poterant, quia in sublimiori gradu erant constituti, sive, ut eodem in versu legitur, *quia consecrati sunt Deo suo.*

Probant 5°. quia nisi repudio solutum fuerit vinculum conjugale, tunc mulieris dimissæ cum alio viro conjunctio verum erat adulterium, & ambo pœnæ mortis fuissent obnoxii. *Si mœchatus quis fuerit cum uxore alterius, & adulterium perpetraverit cum conjuge proximi sui, morte moriantur & mœchus & adultera:* (*Levit.* 20. 10.) atqui tamen nedùm conjunctionem hanc tam durè lex tractaverit, secundo viro tribuit & nomen & jus mariti: *Cumque egressa alterum maritum duxerit, & ille quoque ..., dederit ei libellum repudii*, cujus tamen tradendi facultas non pertinebat nisi ad verum maritum. Lex proindè verum Matrimonium non minùs agnoscit in posteriori casu, quàm in priori.

ARTICULUS II.

Utrùm Matrimonia Infidelium dissolvi possint.

Apud omnes certum est valida esse Infidelium Matrimonia quæ juxta juris naturalis, & Principum quibus subjacent, leges contrahuntur; 1°. quia aliter Matrimonia quæcumque extra fidem Christianam facta, mera essent stupra, quod nemo dixerit; 2°. quia nisi res ita esset, infidelis ad fidem conversus, cum uxore infideli nunquam commorari potuisset: atqui id potuit Apostoli tempore: *Si quis frater*, inquit, *habet uxorem infidelem, & hæc consentit habitare cum illo, non dimittat illam.* (1. *Cor.* 7. 12.)

Disputatur verò utrùm, cùm unus conjugum ad fidem convertitur, alter autem in infidelitate contumaciter permanet, dissolvi possit Matrimonium, ita ut novum contrahendi conjugium libera fiat potestas. Alii contendunt illud triplici in casu licitum esse; 1°. si infidelis renuat converti, velitque discedere; 2°. si infidelis nolit cum altero conjuge simul habitare, sine contumelia Creatoris; si, v. g. ejus nomen sine despectu non audiat, ejus laudes prohibeat, vel domesticos horterur ut à fide deficiant; 3°. conjugem ad peccatum mortale pertrahat. Matrimonium verò ab infidelibus legitimè contractum, nunquam dissolvi posse alii docent Theologi, qui numero quidem vincuntur, sed rationum momentis prævalere videntur.

PROPOSITIO.

Matrimonium ab Infidelibus legitimè contractum, nunquam dissolvi potest quoad vinculum; ne quidem si, alterutro conjuge ad fidem converso, nolit alter cum eo pacificè vivere.

ARG. I. *Ex Scriptura.*

Scriptura Matrimonium quodlibet legitimè contractum declarat prorsùs indissolubile. Cùm enim Pharisæi Christo malignè insidiantes, eum sic interrogassent: *Si licet homini dimittere uxorem suam quacumque ex causa?* Christus matrimonialem contractum ad primam suam institutionem revocans, sic respondet: *Quod ergo Deus conjunxit, homo non separet.* (*Matth.* 19. 6.) *Quicumque dimiserit uxorem suam, & aliam duxerit, adulterium committit; & si uxor dimiserit virum suum & alii nupserit, mœchatur.* (*Marc.* 10. *v.* 11. & 12.) Atqui illæ Christi sententiæ generales sunt, nullamque exceptionem patiuntur: *Dominus*, inquit Augustinus, *nulla exceptione factâ, dicit: si uxor, &c.* (*Lib.* 1. *de adulterinis conjug. cap.* 25. *tom.* 6. *pag.* 403.) Ergo Matrimonium quodcumque, ac proindè infidelium, legitimè contractum, teste Christo, prorsùs indissolubile est.

Præterea Apostolus sic docet: *Quæ sub viro est mulier, vivente viro, alligata est legi; si autem mortuus fuerit vir ejus, soluta est à lege viri; igitur, vivente viro, vocabitur adultera, si fuerit cum alio viro.* (*Rom.* 7. *v.* 2. & 3.) Porrò qui asserit matrimoniale vinculum nonnisi per mortem abrumpi, & quidem nullâ exceptione factâ, certè non existimat infidelium conjugia dirimi posse, ubi, alterutro conjuge ad fidem converso, renuit alter cum eo pacificè vivere: atqui sine ulla exceptione pronuntiat Apostolus, &c. ergo, &c.

ARG. II. *Ex Patribus.*

Tertullianus docet, juxta S. Pauli mentem, 1°. infidelem qui Religionem Christianam amplectitur, teneri in ea conjunctione permanere, quam ante suam conversionem inierat, etiamsi ipsius uxor in idolorum cultu contumaciter perstaret; 2°. Religionis mutationem non esse causam rumpendi vinculi conjugalis legitimam: *Ostendit* (Paulus) *jam in Matrimonio agentem mulieres infidelis, mox gratiâ Dei conversum, perseverare cum uxore debere; scilicèt propterea ne qui fidem consecutus, putaret sibi divertendum esse ab aliena jam & extranea quodam modo femina.* (*Lib.* 2. *ad uxorem, cap.* 2. *pag.* 167.) Hanc doctrinam ex eo deducit, quòd Christus divortium ita prohibeat, ut non excipiat nisi adulterii casum, in quo etiam stat servandæ continentiæ necessitas. *Divortium prohibet* (Christus) *nisi stupri causâ, continentiam verò commendat;* (*ibid.*) Tertullianus igitur ab ea opinione erat remotissimus, quæ infideli converso licitum facit ad novas transire nuptias, cùm ab altera conjuge infideli deseritur.

S. Hieronymus, post memoratum versiculum 39 capitis 7. 1. Epistolæ ad Corinthios, ita disserit: *Omnes igitur causationes Apostolus computans, apertissimè definivit, vivente viro, adulteram esse mulierem, si alteri nupserit ..... quandiù vivit vir, licèt adulter sit, licèt sodomita, licèt flagitiis omnibus coopertus; & ab uxore propter hæc scelera derelictus, maritus ejus reputatur, cui alterum virum accipere non licet; nec Apostolus hæc propriâ autoritate decernit, sed Christo in se loquente, Christi verba secutus est, qui ait in Evangelio: qui dimiserit uxorem suam, &c.* (*Epist. ad Amand. tom.* 4. *part.* 1. *pag.* 162.)

Numquid atrocissima quæ ibi recenset Hieronymus crimina, minùs sunt Creatori contumeliosa,

& magis excusatione digna, quàm error infidelium: atqui tamen horrenda hæc scelera non esse justam solvendi Matrimonii causam asserit S. Doctor; ergo non censuit posse unquam vinculum matrimoniale propter alterutrius conjugis infidelitatem abrumpi; at illud esse ex lege divina prorsùs indissolubile sine ulla exceptione declarat; si quam noviſſet, illius profectò ibi meminiſſet.

Deindè S. Hieronymus hæc Apostoli verba explicans, *unusquisque in qua vocatione vocatus est, in ea permaneat*, inde concludit fidem nunquam esse inter duos conjuges justam dissidii causam, quia Christus in terras venit, pacem non discordiam allaturus; *Habebas uxorem cùm credidisti, noli fidem Christi putare causam dissidii, quia in pace vocavit nos Deus*: (*lib. 1. contra Jovinian. tom. 4. part. 2. pag.* 154.) atqui si fides Christi causa dissidii esse non debeat, quantò minùs erit dissolvendi vinculi conjugalis justa ratio!

S. Augustinus: *Sicut, manente in se Sacramento regenerationis, excommunicatur cujuslibet criminis reus, nec illo Sacramento caret, etiamsi nunquàm reconcilietur Deo; ita, manente in se vinculo fœderis conjugalis, uxor dimittitur ob causam fornicationis, nec carebit illo vinculo, etiamsi nunquam reconcilietur viro; carebit autem, si mortuus fuerit vir ejus*, (*Tom. 6. pag.* 406.) Comparationem hanc adhibet S. Doctor, tùm in Tract. de conjugiis adulterinis; (*Lib. 2. n. 4.*) tùm in Libr. de Nuptiis. (*num.* 11.) Itaque, juxta S. Augustinum, non magis dissolvi potest vinculum Matrimonii, quàm amitti Sacramentum Baptismi: atqui Sacramentum Baptismi semel acceptum amitti nequit; ergo nec dissolvi Matrimonii vinculum, nisi alteruter conjux mortuus fuerit.

Idem Doctor asserit infidelitatem quam *fornicationem spiritualem* vocat, justam esse non posse causam cur alter conjux fidelis ad novas transeat nuptias: *Propter quodlibet fornicationis genus*, inquit, *sive carnis* (id est adulterium), *sive spiritûs, ubi & infidelitas intelligitur, & dimisso viro, non licet alteri nubere, & dimissâ uxore, non licet alteram ducere; quoniam Dominus, nullâ exceptione factâ, dicit*: Si uxor dimiserit virum suum & alii nupserit, mœchatur; & omnis qui dimittit uxorem, & ducit alteram, mœchatur. (*Lib. 1. de conjugiis adulter. cap. 25. tom. 6. pag.* 403.) Porrò illud juxta esse non potest dissolvendi Matrimonii causa, propter quod nunquam licet novum inire conjugium: atqui, judice Augustino, propter conjugis infidelitatem, nunquam alteri conjugi licet novum inire connubium; ergo infidelitas, teste S. Doctore, justa esse non potest dirimendi Matrimonii causa, postquàm legitimè contractum fuit.

Denique, ut alios Patres omittam, S. Basilius ita docet: *Ab infideli viro non jussa est mulier separari, sed propter eventum incertum remanere. Quid enim scis, mulier, an virum sis salvum factura? Quare quæ reliquit est adultera, si ad alium virum accessit.* Quinetiam adulteram dicit uxorem fidelem, si à marito infideli deserta nuberet alteri: *Si vir qui ab uxore discessit, accessit ad aliam, est ipse adulter quia facit ut ipsa adulterium committat*, (alteri scilicèt nubendo) *& quæ unà cum ipso habitat, est adultera quia alienum virum ad se traduxit. (Epist. 188. ad Amphiloch. canonic. 1. can. 9. tom. 3. pag.* 274. *edit. Benedict.*) S. igitur Basilius longè aliter sentiebat, quàm adversarii qui putant, si maritus infidelis discesserit, uxorem fidelem à conjugali nexu esse expeditam, & vice versâ.

Arg. III. *Ex Rationibus Theologicis.*

1°. Ut legi universali disertisque verbis enuntiatæ quædam opponatur exceptio, ista non minùs saltem perspicua sit, quàm lex ipsa, necesse est: atqui ex lege generatim & apertissimè à Christo

constituta, indissolubilis est conjugalis viri & mulieris conjunctio : contrà verò quidquid huc usque diximus probat saltem maximè dubium esse, an casus particularis de quo disputatur, à lege generali excipi debeat ; ergo, &c.

2°. Quamvis S. Matthæi de adulterii casu textus longè plus difficultatis habeat, quàm textus S. Pauli de infidelium conjugiis ; quamvis Orientales & generaliori Græcorum doctrina, viro ab uxore propter adulterium sejuncto permittant novas contrahere nuptias, Ecclesia tamen Latina, Christi indissolubile esse Matrimonium generatim pronuntiantis autoritate freta, constanter adversùs Græcos statuit, adulterio non dirimi nodum conjugalem : numquid ergo verisimile est Ecclesiam Latinam ab isto principio recessisse in exponendo S. Pauli textu, cujus tam apertus est sensus ?

3°. Primis Ecclesiæ sæculis sæpè contingebat ut ex duobus conjugibus alter fidem christianam amplecteretur, dum alter in errore perstaret. Inter conjuges autem à fide alienos, plurimi profectò conjugem ad Religionem Christianam conversum deseruerunt : atqui tamen duodecim priora Ecclesiæ sæcula nullum offerunt exemplum conjugis fidelis, qui à conjuge infideli derelictus ad novas transierit nuptias. Historici qui facta vel levissima, & circumstantias vel minutissimas prolixiùs referunt, nullum hujusmodi factum memorant : si tamen usus ille in Ecclesia tùm obtinuisset, quis concipiat nullum ipsius extare vestigium in monumentis historicis, in disciplinæ decretis, in Patrum scriptis ?

4°. Matrimonia infidelium, quando unus conjux ad fidem convertitur, & renuit alter cum eo pacificè & sine contumelia Creatoris habitare, non magis dissolvi possunt quoad vinculum, quàm Matrimonia fidelium, cùm alter conjugum in hæresim labitur, nec vult pacificè & sine Creatoris injuriâ cum alio conjuge vivere : par enim

est ratio, eademque occurrunt incommoda ; siquidem ex patre conjugis hæresim lapsi, maximè pertimescendum est, ne fidei quam deserit sit contumeliosus, & alteri conjugi immineat periculum lapsûs & subversionis : atqui tamen illud posterius Matrimonium dissolvi non potest quoad vinculum, fatentibus adversariis ; sed tantum quoad thorum & habitationem ; idem ergo fatendum est de Matrimonio infidelium, cùm alter conjugum fidem amplectitur.

5°. Adulterium magis pugnat cum Matrimonio, quàm infidelitas : manifestum est enim primaria Matrimonii officia posse ab eo qui Deo non credit, impleri : atqui tamen docent adversarii per adulterium dissolvi nunquam posse Matrimonium quoad vinculum ; ergo idem de infidelitate fateantur necesse est.

Solvuntur objecta.

Obj. 1°. Sic docet Apostolus : *Quòd si infidelis discedit, discedat ; non enim servituti subjectus est frater aut soror, in hujusmodi.* (1. *Cor.* 7. 15.) Ergo, teste Apostolo, conjux ad fidem conversus, à servitute, id est, à vinculo Matrimonii liber sit & expeditus, si conjux alter infidelis propter Christianæ Religionis odium recesserit.

Resp. Neg. conseq. Ibi enim non agitur de dissolutione Matrimonii propriè dicta, sive quoad vinculum, sed de impropria tantùm, nempè quoad thorum & habitationem, Apostolique verba ad eum sensum revocanda sunt : si conjux infidelis discesserit, alter ad fidem conversus, non tenetur tanquam servus eum sequi & sese eò transferre, quò sese recipere libuerit conjugi qui in infidelitate permanet. Adversariorum autem interpretatio malè cohæret cum aliis Apostoli locis, in quibus generatim pronuntiat solâ alterutrius conjugis morte dissolvi Matrimonium. Discessionem de qua

loquitur Apostolus, sic interpretatur doctissimus *Lanfranc* Archiepiscopus Cantuariensis, qui obiit anno 1089: *Quod si infidelis vir, vel mulier, discedit, discedat; non enim servituti subjectus est frater aut soror in hujusmodi, id est, non cogitur sequi infidelem.* (*In* 1. *ad Cor.* 7. 15.)

Non defuerunt etiam post Gratiani ætatem Theologi, qui nostram de infidelium Matrimoniis doctrinam defenderint. Sic Cardinalis Caietanus qui obiit an. 1534, & suos in Scripturam commentarios Clementi VII Papæ dedicavit, Apostoli verba de mera discessione intelligit. Statuit ubi locum habet hæc separatio, integrum nihilominùs stare vinculum conjugale.

Doctissimus Petrus *Soto* in Concilio Tridentino, cui maxima cum laude interfuit, Caietani interpretationem strenuè propugnavit, eâque solâ genuinum Apostoli sensum exhiberi contendit. Apostolicum de quo controvertitur textum, de sola corporum separatione, non verò de Matrimonii dissolutione, esse exponendum probavit. Ita narrat *Fra-Paolo* (*Hist. Concil. Trident. lib.* 7.) Nullum quidem sacra Synodus fecit decretum Gratiani sententiæ contrarium; sed nullum etiam quo firmaretur condidit. Porrò si Patres Tridentini in doctrina quam defendimus aliquid deprehendissent, quod fidei adversaretur, eam procul dubio damnassent, quandoquidem in ipso Concilio propugnata fuit.

Obj. 2°. Matrimonia quæ minùs habent firmitatis, quàm Christianorum conjugia, dissolvi possunt quoad vinculum: atqui infidelium Matrimonia minùs, &c. ut pote sine Sacramento facta; ergo, &c.

Resp. Neg. min. Christus enim in loco suprà laudato verba facit ad Judæos de suis Matrimoniis eum interrogantes, ac proindè loquitur etiam de conjugiis in Synagoga, & sine Sacramento nondùm instituto, celebratis: atqui tamen pronuntiat Christus hæc conjugia nullâ autoritate humanâ dissolvi posse: *quod Deus conjunxit, homo non separet*; ergo Matrimonia, etiam à Sacramento sejuncta, sunt prorsùs indissolubilia.

Præterea Matrimonium suam non à Sacramento, sed à legitimo contractu habet firmitatem. Nam Adami cum Eva conjugium erat omninò indissolubile, ut fatentur adversarii: atqui tamen cum Sacramento conjunctum non fuit; ergo Matrimonium suam à Sacramento firmitatem non mutuatur, ac proindè infidelium connubia legitimè contracta, quamvis Sacramento destituta, nihilominùs firmissima sunt.

Obj. 3°. Sic habet S. Chrysostomus: *Quid sibi vult illud, infidelis si discedit aut separatur? v. g., si te jubet sacrificare, aut sociàm impietatis esse propter connubium, vel discedere, melius est disrumpi connubium, quàm piam Religionem*; (*Hom.* 19. *in* 1. *ad Cor. tom.* 10. *pag.* 163. *edit. Bened.*) ergo, &c.

Resp. apud S. Chrysostomum non agi de propriè dicta vinculi conjugalis abruptione, verùm de simplici quoad thorum & habitationem disjunctione. Hanc esse ipsius mentem satis demonstrant illæ quæ immediatè subjunguntur verba: *Si quotidie ea de causa pugnet, & bellum moveat, melius est separari; hoc enim subindicat* (S. Paulus), *cùm dicit: In pacem autem vocavit nos Deus.* Loquitur ergo S. Doctor de separatione quæ ad pacem retinendam sufficiat: atqui ad servandam pacem non opus est, nisi disjunctione quoad habitationem; ergo, &c.

Obj. 4°. Innocentius III Summus Pontifex sic pronuntiat: *Si alter infidelium conjugum ad fidem catholicam convertatur, altero, vel nullo modo, vel non sine blasphemia divini nominis, vel ut eum pertrahat ad mortale peccatum, ei cohabitare volente, qui relinquitur, ad secunda, si voluerit, vota transibit & in hoc casu intelligimus quod ait*

Apoſtolus: Si infidelis diſcedit, diſcedat; non enim ſervituti ſubjectus eſt frater aut ſoror in hujuſmodi. (*Lib. 4. Decretal. tit. 19. cap. 7. pag. 1557.*) Ergo hæc verba Apoſtoli eo ſenſu intelligenda ſunt quòd ſi receſſerit conjux infidelis, alter ad fidem converſus, rupto prioris Matrimonii vinculo, poſſit novum contrahere conjugium.

Reſp. Neg. conſeq. Ut autem quid in eo capite valeat Innocentii III decretalis intelligatur, obſervandum eſt VI ſæculo Autorem quemdam incognitum, cui diù fuit nomen *Ambroſii*, commentarium in Epiſtolas S. Pauli ſcripſiſſe, in quo ſic habet: *Non ratum eſt Matrimonium quod ſine devotione eſt; ac per hoc non eſt peccatum ei qui dimittitur propter Deum, ſi alii nupſerit: contumelia enim Creatoris ſolvit ejus Matrimonium circa eum qui relinquitur.* (*Tom. 2. in append. pag. 134.*) Hoc opus longâ oblivione ſepultum, tandem eâ ætate repertum vulgatumque fuit, quâ ſanæ critices regulæ planè ignorabantur: unde factum eſt ut propter *Ambroſii* nomen quod præferebat, & plurima utilia quæ in eo continentur, magno Ambroſio Mediolanenſi Epiſcopo fuerit attributum. Nonnulli verò propter quamdam ſtyli ſimilitudinem, S. Gregorium Magnum hujus operis Autorem exiſtimârunt.

Poſteriorem hanc ſententiam amplexus eſt Gratianus, & Gregorii Magni, ut ſibi videbatur, autoritate nixus, ſuum Canonem ſic condidit: *Si infidelis diſcedit odio chriſtianæ fidei, diſcedat; non eſt enim dimiſſo peccatum, ſi alii ſe copulaverit. Contumelia quippè Creatoris ..... ſolvit jus Matrimonii circa eum qui relinquitur.* (*Decret. 2. part. cauſ. 28. q. 2. Can. 2.*) Quo in Canone apoſtolicæ ſententiæ adulterina fit iſtorum verborum additio, *non eſt enim dimiſſo peccatum, ſi alii ſe copulaverit*; quæ verba apud Apoſtolum nullibi reperias. Gratiani Canonem quem ex S. Ambroſio excerptum putabat, ſecutus eſt Innocentius III; inde factum eſt ut falſâ autoritate decepti, in

eumdem errorem lapſi fuerint plerique Theologi.

Poſteà verò, cùm eruditi, prælucente ſanioris critices face, omnes antiquitatis nondùm ſatis cognitæ receſſus propiùs inſpexêre, certum demonſtratumque fuit, commentarim ex quo ſuum Canonem, *Si infidelis*, exſcripſerat Gratianus, nec S. Ambroſii, nec S. Gregorii eſſe; ſed cujuſdam Scriptoris qui nullius eſt autoritatis, ab eoque tempore appellatus fuit *Ambroſiaſter*: ex iis quæ diximus patet quàm parùm noſtræ ſententiæ noceat objecta Innocentii III decretalis, quæ nonniſi mentitâ S. Ambroſii autoritate nitebatur.

Hic ergo locum habent 1°. iſtud juris effatum: *Quod non ratione introductum, ſed errore primùm, deindè conſuetudine obtentum eſt, non tam conſuetudo, quàm corruptela eſt*; 2°. iſta Cleri Gallicani regula: *in rebus theologicis ad fidei & morum dogmata ſpectantibus, Theologos etiam modernos audiamus, ſi tamen conſonas SS. Patribus tradunt ſententias. Deindè ſi ab eis recedunt, harum opinionum inhibeatur curſus, nedùm earum aliquaratio habeatur, aut ulla eis tribuatur autoritas.* (*Mém. du Clergé, tom. 1. pag. 742.*)

Prætereà rationes quibus tùm Innocentius III; tùm alii ſuam opinionem adſtruunt, ſunt *contumelia & blaſphemia divini nominis* ex parte conjugis infidelis, & periculum ne conjux alter ad fidem converſus, in errorem aut peccatum aliquod mortale pertrahatur: atqui rationes illæ nullius ſunt ponderis; ſiquidem iis incommodis aliter occurri poteſt, quàm per diſſolutionem vinculi conjugalis, ſcilicèt per conjugum ſeparationem quoad *thorum & cohabitationem.*

Denique non ſemel pugnantia loquuntur adverſarii: Gratianus enim & Innocentius III, quibus ſuam autoritatem potiſſimùm debet opinio quam refellimus, docent & meritò quidem, Baptiſmo vim ineſſe peccata delendi, non verò Matrimonium dirimendi: *Baptiſmo ſolvuntur crimina, non*

conjugia; secum igitur pugnant, cùm aiunt alterutrius conjugis ad fidem conversione irritum fieri Matrimonium. Estius aliique multi fatentur *Matrimonium esse suapte naturâ indissolubile*; à seipsis igitur dissident, dùm infidelium conjugia posse aliquandò dirimi contendunt. Volunt nonnulli conjugem fidelem suâ discessione posse conjugium facere irritum, si conjiciat fore ut nunquam infidelem alterum conjugem ad fidem adducat, etiamsi iste cum eo pacificè vivere non renuat; quod doctrinæ apostolicæ prorsùs adversatur. Tandem censent quidam subsistere Matrimonium, donec conjux fidelis novas ineat nuptias; quasi verò adulterinum non sit posterius conjugium, quod contrahitur antequàm prius suam firmitatem amiserit.

Quæstionem hanc eleganter diligenterque excussam reperias in opere cui titulus: *Recueils de plaidoyers sur la question de savoir, si un Juif marié dans sa religion, peut se marier après son Baptême, lorsque sa femme Juive refuse de le suivre, & d'habiter avec lui.* (2. vol. in-12. édit. an. 1761.)

ARTICULUS III.

An Christianorum Matrimonia per adulterium solvantur.

Dubiam & ancipitem fecit apud Veteres non paucos hujus quæstionis solutionem subobscura hæc Christi sententia: *Quicumque dimiserit uxorem, nisi ob fornicationem, & aliam duxerit, mœchatur.* (*Matth.* 19. 9.) Græcos in ea jamdudùm versari sententia & consuetudine, ut propter adulterium solvatur vinculum conjugale, res est apud omnes certa. Perpetuam vel ab initio, & constantem apud se fuisse consuetudinem hanc gloriantur Græci recentiores. Contrà verò Arcudius,

adductis in medium veterum Ecclesiæ Græcæ Patrum testimoniis, contendit Græcos recentiores à Majorum suorum doctrina recessisse. (*Concord. Eccles. Occident. & Orient. pag.* 578 & 586. *edit. Paris. an.* 1672.)

E Latinis autem Scriptoribus non defuerunt, qui Græcorum patribus plus æquo faverint; Cardinalis Cajetani, Ambrosii, Catharini, Erasmi & aliorum quorumdam ea sententia fuit, ut ex Sacris Litteris & traditione certò colligi nequeat, per adulterium dissolvi non posse Matrimonium. Longè audaciores Lutherus Calvinusque docent adulterio disjungi posse conjugia, etiam quoad vinculum.

Nostris quoque temporibus, *Launoy* in Tractatu *de regia in Matrimonium potestate*, Patrum utriusque Ecclesiæ, à Christo ad Tridentinam usque Synodum, longam texuit seriem ex qua demonstrare nititur, conjugalem nexum propter alterutrius conjugis adulterium dirimi posse.

PROPOSITIO.

Vinculum conjugale, sub lege evangelica, propter adulterium dissolvi non potest.

Probatur ex Scriptura. Sic pronuntiat Christus: *Quicumque dimiserit uxorem suam, & aliam duxerit, adulterium committit; & si uxor dimiserit virum suum, & alii nupserit, mœchatur.* (*Marc.* 10. *v.* 11 & 12.) *Omnis qui dimittit uxorem suam & alteram ducit, mœchatur; & qui dimissam à viro ducit, mœchatur.* (*Luc.* 16. 18.)

Porrò, si per adulterium alterutrius conjugis dissolveretur Matrimonium quoad vinculum, sanè adulterii reus non esset vir qui mulierem ab alio propter hoc scelus dimissam, duceret uxorem; adultera etiam non esset mulier quæ à marito dimissa, alii viro nuberet: atqui tamen generatim declarat Christus adulterii reos esse, & virum,

& uxorem, si in casu repudii aliud Matrimonium ineant. Voces enim *omnis & quicumque*, quas adhibet Christus, ut neminem, sic & nullam causam excipiunt. Quapropter hæc verba ponderans Augustinus, *Qui ergo nos sumus*, inquit, *ut dicamus: est qui mœchatur, uxore suâ dimissâ, alteram ducens; & est qui hoc faciens non mœchatur; cùm Evangelium dicat omnem mœchari qui hoc facit?* (*Lib.* 1. *de conjugiis adulterinis*, *cap.* 9. *n.* 10. *tom.* 6. *pag.* 392 & 393.)

Pretereà Apostolus sic jubet: *Iis autem qui Matrimonio juncti sunt præcipio, non ego, sed Dominus, uxorem à viro non discedere: quòd si discesserit, manere innuptam, aut viro suo reconciliari; & vir uxorem non dimittat.* (1. *Cor.* 7. *v.* 10 & 11.) Illorum autem Matrimonium propter adulterium dissolvi non potest, qui à se invicem aut discedere non debent, aut si discesserint, tenentur sibi mutuò reconciliari, vel innupti remanere: atqui, ex Apostolo præceptum dominicum fidelibus exponente, *præcipio, non ego, sed Dominus*, conjuges christiani, tam maritus quàm uxor, (par enim in eo capite est amborum conditio,) non debent à se invicem discedere; aut si discesserint, tenentur vel sibi mutuò reconciliari, vel ab aliis nuptiis abstinere; ergo, &c.

Denique idem Apostolus: *Quæ sub viro est mulier*, inquit, *vivente viro, aligata est legi, si autem mortuus fuerit vir ejus, soluta est à lege viri; igitur, vivente viro, vocabitur adultera, si fuerit cum alio viro: si autem mortuus fuerit vir ejus, liberata est à lege viri, ut non sit adultera, si fuerit cum alio viro.* (*Rom.* 7. *v.* 2 & 3.) Porrò vinculum quod solâ morte solvitur, non potest per adulterium dirimi: atqui, teste Apostolo, vinculum quo ambo conjuges devincti sunt, solâ alterutrius morte rumpitur; ergo, &c.

Hinc Augustinus, *Verba Apostoli*, inquit, *toties repetita, vera sunt, viva sunt, ... plana sunt: nul-*

lius viri posterioris mulier uxor esse incipit, nisi prioris esse desierit; esse autem desinet uxor prioris, si moriatur vir ejus, non si fornicetur: licitè itaque dimittitur conjux ob causam fornicationis; sed non carebit illo vinculo, etiamsi nunquam reconcilietur viro; carebit autem, si mortuus fuerit vir ejus. (*Lib.* 2. *de conjug. adulter. cap.* 4. *tom.* 6. *pag.* 406.)

Qui hujusce veritatis traditionem per singula Ecclesiæ sæcula continuatam sequi voluerit, adeat doctissimum *Gibert.* (*Tom.* 3. *corporis Juris Canon. part.* 4. *tract. de Sacram. tit.* 11.)

Solvuntur objecta.

Objicies. Sic docet Christus: *Dico autem vobis quia quicumque dimiserit uxorem suam, nisi ob fornicationem, & aliam duxerit, mœchatur, & qui dimissam duxerit, mœchatur.* (*Matth.* 19. 9.) In eo sanè casu solvitur Matrimonium, quem Christus excipit à lege generali quâ prohibetur conjugii dissolutio: atqui Christus adulterii casum excipit à lege, &c. ergo, &c.

Resp. Neg. min. 1°. Enim Christus Matrimonium ad primævam suam institutionem revocans, duo denuntiat: 1um scilicèt, jam licitum non fore uxorem dimittere *quacumque ex causa*, ut facere consueverant Judæi legem malè interpretantes, sed tantum propter adulterii crimen, *nisi ob fornicationem*; 2um in isto etiam casu adulterii reum fore qui ad novas transierit nuptias, & *aliam duxerit*, *mœchatur*. Positâ hâc interpretatione, quæ obvia est verbisque Christi maximè accommodata, liquet exceptionem istam, *nisi ob fornicationem* referendam esse ad primum membrum, *quicumque dimiserit uxorem suam*, non autem ad secundum, *& aliam duxerit*; ita ut sermo Christi ad eum sensum revocetur: Licet quidem viro uxorem adulteram dimittere; minimè verò licèt viro uxorem suam dimittenti aliam ducere. Si enim

permittere voluisset Christus, non tantùm ut maritus uxorem adulterii ream abjiceret, sed insuper ut aliam duceret, juxta communem loquendi modum mentem suam ita declarasset: *Quicumque dimiserit uxorem suam & aliam duxerit, nisi ob fornicationem, mœchatur.*

2°. Eo quem exposuimus sensu verba Christi intellexerunt Discipuli; iis enim auditis, exclamârunt: *Si ita est causa hominis cum uxore, non expedit nubere.* Durum scilicèt ipsis videbatur, & infirmitati humanæ molestissimum, non posse hominem, post dimissam ob adulterium uxorem, aliam accipere.

3°. Quia alii duo Evangelistæ, Marcus & Lucas, sublatâ fornicationis exceptione, generatim & absolutè asserunt, eum mœchari qui, rejectâ suâ uxore, aliam ducit: *Quoniam*, inquit Augustinus, *fas non est ut Evangelistas de una re loquentes..... dissentire dicamus, restat ut Matthæum intelligamus eamdem tenuisse sententiam, ut omnis qui dimittit uxorem suam & ducit alteram, mœchari minimè dubitetur.* (*Lib.* 1. *de conjugiis adulter. cap.* 11. *tom.* 6. *pag.* 394.)

4°. Declarat Concilium Tridentinum, alterius conjugum adulterio *non posse dissolvi Matrimonii vinculum*, eamque doctrinam appellat *evangelicam & apostolicam.* (*Sess.* 24. *de Matrim. can.* 7.)

Inst. 1°. Si quis dixerit: *Quicumque peccaverit, nisi pœnitentiam egerit, damnabitur*, è contrario sic licebit concludere; *ergo qui pœnitentiam egerit post peccatum, non damnabitur*; pariter ergo, cùm ait Christus: *Quicumque dimiserit uxorem suam, nisi ob fornicationem, & aliam duxerit, mœchatur*, valet ista consecutio; *ergo qui dimiserit uxorem suam ob fornicationem, & aliam duxerit, non mœchatur.*

Resp. Neg. conseq. & paritatem. Quia in prima propositione unicum est membrum, nempè *quicumque peccaverit*, ad quod solum proindè refertur

ista exceptio subsequens, *nisi pœnitentiam egerit*: contrà verò Christi sententia duas partes complectitur, quarum prior uxoris dimissionem spectat, posterior verò mulieris alterius ducendæ licentiam. Porrò quis neget potuisse Christum statuere ut liceret uxorem, fornicationis causâ, dimittere, non tamen aliam ducere?

Præterea se habet Christi sententia, perindè ac ista: *Quicumque ad mulierem accesserit, nisi in legitimo conjugio, & libidini obsecutus fuerit, peccati reus est*: atqui nemo sanus inde concludet à contrario; *ergo qui accesserit ad mulierem, & in legitimo conjugio libidini servierit, peccati non est reus*: hæc enim exceptio, *nisi in legitimo conjugio*, quasi intra parenthesim legenda est, eumque sensum efficit: *Quicumque ad mulierem accesserit (quod non licet nisi in legitimo conjugio) & libidini obsecutus fuerit, peccati reus erit.* Pariter ergo ad eum sensum revocanda est Christi sententia: *Quicumque dimiserit uxorem suam (quod non licet, nisi ob fornicationem,) & aliam duxerit, mœchatur.*

Inst. 2°. Christus respondet Pharisæis eum interrogantibus de uxorum dimissione apud Judæos fieri solitâ, & quæ vinculi matrimonialis dissolutionem importabat; ergo ut Christi responsio quæstioni congruat, de ea dimissione intelligenda est, quâ rumpitur vinculum conjugale.

Resp. 1°. Transeat ant. Plurimi enim, & quidem optimæ notæ, Theologi contendunt, libello repudii non dissolutum fuisse apud Judæos vinculum conjugale, ut suprà exposuimus.

Resp. 2°. Neg. conseq. Pharisæorum enim interrogatio duo involvebat; primum, *an quacumque ex causa*, & proindè etiam levi, uxorem dimittere liceret; secundum, an eâ dimissâ, aliam posset maritus ducere: atqui ad utrumque respondet Christus; ad primum quidem, non licitum esse *quacumque ex causa*, sed tantùm ob gravissimam, qualis est *fornicatio*, uxorem dimittere; ad secun-

dum verò, dimissâ, etiam propter fornicationem uxore, nefas esse aliam ducere: quid autem dici potuit ad rem magis pertinens?

Inst. 3°. Si dimissio de qua loquitur Christus, mera esset quoad thorum & habitationem separatio, Christus quaslibet alias, præter adulterium, divortii causas excluderet, ac proindè eas quæ à jure tùm canonico, tùm civili institutæ sunt: atqui id profectò falsum est; ergo dimissio de qua loquitur Christus, mera non est quoad thorum & convictum separatio, sed vera Matrimonii solutio.

Resp. Neg. maj. Particula enim *nisi* referenda tantùm est ad varias & multiplices divortii causas, quarum numerus tantoperè apud Judæos excreverat. Eas Christus inta solum adulterium coercet: hæc proindè *restrictio* non pertinet ad divortii causas, quas instituere Ecclesiæ & Principibus utile visum est.

Si quis longam illam tùm Synodorum particularium, tùm Scriptorum ecclesiasticorum seriem quam taxuit *Launoy*, objiciat, non diffitebimur ex illis testimoniis nonnulla esse, quæ contrariæ magis quàm nostræ sententiæ faveant. Non me quidem l tet, inquit doctissimus *Drouin*, quosdam esse Theologos in conciliandis & explicandis Patribus tam miræ sagacitatis, ut putent Lactantium, Basilium & nonnullos alios ad communem Ecclesiæ doctrinam facilè revocari posse, dicendo nimirùm eos locutos esse, non de licentia quam faciat Evangelium, sed quam leges civiles concesserint. Verùm, ut ingenuè loquar, pergit Autor, hoc mihi non operosum tantùm, sed & impossibile prorsùs videtur: quod ultrò concessurum confido, quisquis verba Lactantii & aliorum quorumdam attentiùs penitaverit.

Satius itaque videtur confiteri cum Bellarmino, Natali Alexandro & aliis illustribus Theologis, in obscura quæstione quæ tunc temporis non erat liquidò disceptata, veteres qui opponuntur Scriptores, & particulares etiam Synodos, cum aliqua excusatione errasse, quod facilè suâ ætate contingere potuisse sic agnoscit S. Augustinus: *In divinis sententiis ita obscurum est, utrùm & iste cui quidem sine dubio adulterum licet dimittere, adulter tamen habeatur, si alteram duxerit, ut, quantùm existimo, venialiter ibi quisquis fallatur.* (*Lib. de fide & operib. cap.* 19. *n.* 35. *tom.* 6. *pag.* 185.) Sed de sententiæ quam defendimus veritate dubitare non licet, postquàm Ecclesiæ in Concilio Tridentino anathemate eum percussit, qui diceret *errare Ecclesiam, cùm docet aut docuit juxta evangelicam & apostolicam doctrinam, propter adulterium alterius conjugum, Matrimonii vinculum non posse dissolvi.* (*Sess.* 24. *de Matrim. can.* 7.)

ARTICULUS IV.

Utrùm professione religiosâ solvatur Matrimonium.

Matrimonii semel consummati vinculum, professione religiosâ non dissolvi, ex Ecclesiæ disciplina apud omnes constat. De conjugio autem rato duntaxat, aliter à Concilio Tridentino sic definitum est: *Si quis dixerit Matrimonium ratum & non consummatum, per solemnem Religionis professionem alterius conjugum non dirimi, anathema sit.* (*Sess.* 24. *de Matrim. can.* 6.) Tridentinæ Synodo præiverant Summorum Pontificum decreta, Alexander enim III in Concilio III Lateranensi an. 1179. (*Part.* 5. *cap.* 1. *tom.* 10. *Concil. pag.* 1569.) & Innocentius III (*Decretal. pag.* 1267. *n.* 20.) declarant, si Matrimonium non fuerit consummatum, posse unum conjugem, altero vel inconsulto, vel etiam repugnante, Religionem aliquam approbatam solemniter profiteri, tuncque licitum esse alteri conjugi ad novas nuptias

convolare : nec novam se doctrinam invehere ; verùm à decessoribus suis acceptam sequi, asserit Innocentius III.

Solvuntur objecta.

Obj. 1°. Doctrinam hanc Scripturis adversari, 1°. scilicèt iis verbis : *Relinquet homo patrem suum & matrem, & adhærebit uxori suæ.* (*Genes.* 2. 24.) Ibi Adamus loquitur de Matrimonio, quale tunc erat ipsum inter & Evam, rato proindè & non consummato ; 2°. huic Christi sententiæ : *Quod Deus conjunxit, homo non separet.* (*Matth.* 19. 6.) Quæ verba Matrimonium generatim indissolubile declarant.

Respondent Theologi hæc Scripturæ loca aliaque similia de Matrimonio consummato intelligenda esse : nam 1°. Adamus hanc rationem subjungit, cur homo patrem & matrem relinquere debeat ut adhæreat uxori, quia scilicèt *erunt duo in carne una* : (*Genes.* 2. 24.) atqui hæc verba accipienda sunt de Matrimonio consummato per quod vir & uxor una fiunt caro, & arctiùs inter se devinciuntur, quàm cum patre & matre. 2°. Christus iis verbis : *Quod ergo Deus conjunxit, homo non separet*, illa alia præmittit : *itaque jam non sunt duo, sed una caro*, quod fit per Matrimonium consummatum.

Præterea Christus hic loquitur de Matrimonio quod apud Judæos per libellum repudii solvebatur : atqui Matrimonium illud erat conjugium consummatum. Denique in hypothesi de qua agitur non homo, sed Deus conjuges separat ; neque enim Ecclesia sponsos ad Religionem impellit, sed Deus ipse eos ad se vocat, qui corporum animarumque supremus est Dominus.

Iis omnibus accedit quòd Ecclesia, legitima illa verbi divini interpres, in Concilio Tridentino congregata, hæc & alia Scripturæ loca quibus

asseritur conjugiorum firmitas, de Matrimonio consummato duntaxat intellexerit.

Obj. 2°. Hanc Apostoli sententiam : *Mulier sui corporis potestatem non habet, sed vir ; similiter autem & vir sui corporis potestatem non habet, sed mulier.* (1. *Cor.* 7. 4.) Porrò qui corpus suum alicui tradidit, illud alii citrà prioris injuriam tradere non potest : atqui ex Apostolo, per Matrimonium vir uxori sui corporis potestatem facit, & vicissim, idque non minùs locum habet in Matrimonio rato, quàm in consummato. Jus enim illud quod suum in corpus mutuò sibi faciunt conjuges, non ex Matrimonii consummatione nascitur, sed legitimo ex contractu ; ubi autem reperitur conjugium ratum, ibi adest contractus legitimus ; ergo ne ratum quidem Matrimonium solvere potest religiosa professio.

Respondent Theologi suis in Matrimoniis christianos conjuges, mutuam sui corporis potestatem absolutè non sibi invicem facere, verùm sub tacita saltem hac conditione, ut liceat ante Matrimonium consummatum, per religiosam professionem sese Deo consecrare ; cùm enim solemni totius Ecclesiæ judicio definitum sit hoc fieri posse, nemo verè christianus est, qui in contrahendo Matrimonio hanc velit potestatem conjugi denegare, vel possit. Cùm potestatem hanc pariter habeat uterque conjux, injustitiæ accusari non potest, qui Matrimonio nondùm consummato nuncium remittens, per vitæ Monasticæ professionem Deo sese totum mancipat.

Obj. 3°. professionem religiosam juris humani tantùm esse, ideòque non posse Matrimonium solvere, quod ex jure divino indissolubile est.

Respondent Theologi, ritus quidem & cerimonias quæ in professione religiosa usurpantur, humani tantùm esse instituti ; minimè verò professionem hanc in seipsa spectatam quâ homo, contemptis omnibus caducæ hujus vitæ deliciis, totum

Deo sese devovet, ut hereditatem æternam facilius consequatur : evangelicis enim consiliis annumeratur, quæ divini juris sunt, non humani. Quapropter, inquiunt, cùm per solemnem Religionis professionem dirimitur Matrimonium, non homo, sed Deus pro summo jure quod in contrahentes & in nuptias habet, majoris boni intuitu conjugale vinculum solvit.

Hæc autem aliaque Theologorum responsa, si diligentiùs expendantur, vix ac ne vix quidem satis firma videbuntur, ut omninò persuadeant; standum est igitur autoritati Ecclesiæ, quæ voluntatis divinæ interpres tutissima pronuntiavit, Matrimonium ratum, non verò consummatum, dissolvi per solemnem Religionis professionem; ea est, inquam, unica & decretoria ratio. Posito enim hoc Ecclesiæ decreto, Matrimonium contrahere non censentur fideles, nisi sub ea conditione tacita, quòd liberam retineant potestatem, solemnia Religionis vota ante consummatum Matrimonium nuncupandi.

Articulus V.

An & quibus de causis Matrimonium quoad thorum & habitationem solvi possit.

Conjuges, ut jam monuimus, triplici modo separari possunt; 1°. *quoad vinculum*, si nimirùm ita dissolvatur nexus conjugalis, ut pro non nuptis habeantur; 2°. *quoad thorum*, cùm scilicèt, stante vinculo, à Matrimonii debito liberi fiunt; 3°. *quoad thorum & habitationem*, quando conjuges & sub eodem tecto vivere, & eodem lecto uti desinunt. Postremum illud separationis genus *divortium* propriè dicitur, quia duo conjuges in diversas abeunt partes. Illum autem aliquando licitum esse sic definit Concilium Tridentinum: *Si quis dixerit Ecclesiam*

errare, cùm multas ob causas separationem inter conjuges quoad thorum, seu quoad cohabitationem, ad certum incertumve tempus fieri posse decernit; anathema sit. (*Sess.* 24. *de Matrim. can.* 8.)

Propositio.

Conjux à conjuge propter adulterium ejus quoad thorum & habitationem disjungi potest.

Probatur 1°. ex totiès prolata Christi sententia, quâ permittitur uxorem propter adulterium missam facere: atqui hæc dimissio vinculi conjugalis dissolutionem non importat; siquidem mœchatur qui, dimissâ uxore, aliam duxerit; ergo intelligenda est de separatione quoad thorum & habitationem.

Prob. 2°. ex istis Christi verbis: *Si oculus tuus scandalizat te, erue eum.* (*Matth.* 18. 9.) Quem in locum animadvertunt Patres, hìc præcipere Christum ut qui oculorum instar nobis sunt carissimi, quales sunt parentes, filii, uxor, abjiciantur, cùm ruinæ spiritualis nobis occasionem proximam præbent: atqui per adulterium conjuges sibi invicem ruinæ spiritualis causa esse possunt; ergo, &c.

Propositio II.

Præter adulterium plures esse possunt legitimæ divortii causæ.

Probatur. Ex dictis dimitti potest conjux, quando sit ruinæ spiritualis causa: atqui multi sunt præter adulterium casus in quibus id contingere potest; ut 1°. si alter conjugum à fide catholica defecerit, & alteri periculum immineat ne subvertatur ipsius fides: qui enim de Matrimonio dixit: *Quamobrem relinquet homo patrem*

ſuum & matrem, & adhærebit uxori ſuæ, profectò non dixit: *Relinquet homo Deum, & adhærebit uxori ſuæ.* 2°. Si conjux alterum impellat ad peccandum, ita ut cum eo vivere nequeat ſine manifeſto Deum graviter offendendi periculo: tunc enim locum habet illud Chriſti præceptum: *Si oculus tuus ſcandalizat te, erue eum & projice abs te.* 3°. Propter immoderatam ſævitiam, ut ſic declarat Innocentius III: *Si tanta ſit viri ſævitia, ut mulieri trepidanti non poſſit ſufficiens ſecuritas provideri, non ſolùm non debet illi reſtitui, ſed ab eo potiùs amoveri.* (*Decretal. pag.* 638.) 4°. Rei capitalis accuſatio per calumniam ab uno conjuge alteri intenta. Senatuſconſultum 16 Jul. 1695, ſeparationem decernit in gratiam mulieris expoſtulantis, quòd ipſius maritus eam ſuppoſiti partûs falsò accuſaviſſet. (*Œuv. du Chanc. d'Agueſſeau, tom.* 3. *pag.* 199.) Alio 1. Febr. 1716. judicio conceſſum eſt divortium uxori apud Judicem conquerenti, quòd ſuus conjux eam immeritò prorsùs arguiſſet ejus vitæ inſidiatam eſſe. 5°. Si alter conjugum alteri infamiam intulerit: ſic Caſtellanæ Pariſiorum Curiæ (*du Châtelet*) ſententia 18 Decemb. 1773, & a ſupremo Senatu confirmata, ſeparationem pronunciat in favorem mulieris, quam maritus adulterii temerè inſimulaverat. (*Cauſes célèbres, tom.* 56. *pag.* 73.) Alia ſunt in eodem genere Senatuſconſulta, nempè 26 Maii 1777, (*Ibid. tom.* 88. *cauſ.* 267.) & 7 Septemb. 1782. (*Gazette des Tribunaux, tom.* 14. *an.* 1782. *num.* 38. *art.* 1.)

Quæres 1°. an divortium ob adulterii cauſam ſemper licitum ſit.

Reſp. quoſdam excipi caſus 1°. Si conjux uterque ejuſdem criminis reus fuerit: tunc enim valet hæc juris regula: *Paria crimina mutuâ compenſatione delentur.* Ita definitum eſt ab Alexandro III, & ab Innocentio III. Idem longè ante docuerat

docuerat S. Auguſtinus: *Nihil eſt iniquius*, inquit, *quàm cauſâ fornicationis dimittere uxorem, ſi & ipſe* (maritus) *convincitur fornicari.* (*Lib.* 1. *de ſerm. Domini in monte, cap.* 16. *n.* 46. *tom.* 3. *part.* 2. *pag.* 185.)

2°. Si vir occaſionem & cauſam dederit uxoris adulterio, ſive ipſi denegando quæ ad vitam ſunt neceſſaria, ſive à domo eam repellendo, aut aliâ quâcumque ratione duriùs & injuſtè cum ea agendo; 3°. ſi vir uxoris adulterio conſenſerit, ad illudve eam impulerit: tunc enim non minùs viro imputari debet, quàm mulieri; 4°. quando res ſine crimine eſt, ut ſi mulier per vim oppreſſa fuerit; 5°. ſi conjux conjugem adulterum, poſt cognitum ejus crimen, ad thorum receperit: hæc enim agendi ratio vim reconciliationis habet; 6° cùm uxor virum ſuum probabiliter mortuum, ob longam ejus abſentiam, bonâ fide exiſtimans alteri nupſerit.

Quæres 2°. utrùm teneatur conjux innocens conjugem adulterum dimittere.

Reſp. 1°. Si conjux adulterii reus certa aut veriſimilia emendationis ſigna præbeat, conjux innocens ad divortium non tenetur, imò debet interdùm ex lege caritatis adulterum retinere.

Prob. prima pars ratione quam affert S. Thomas: *Cùm enim dimiſſio uxoris fornicantis introducta ſit ad corrigendum uxoris crimen per talem pœnam, pœna autem corrigens non requiratur, ubi emendatio jam præceſſerit; ſi mulierem pœniteat ſceleris, vir non tenetur eam dimittere.* (*In* 4. *diſt.* 35. *art.* 2.) Præterea Chriſtus interrogatus an liceat uxorem quacumque ex cauſa dimittere, reſpondet eam non eſſe dimittendam, niſi ob fornicationem: atqui tùm interogatio, tùm reſponſio rem licitam ſignificant, non verò præceptam. Verùm ſi illa dimiſſio imperata non fuerit, maximè ubi agitur de conjuge adultero quidem, ſed pœnitente,

Prob. secunda pars, quòd nimirùm aliquandò teneatur ex caritate conjux innocens conjugem adulterum, sed pœnitentem retinere. Debet enim maritus uxoris saluti, quantum potest, consulere; (idem asserendum de uxore erga maritum:) atqui ipsius saluti ut consulat, aliquandò necesse est adulteram conjugem non dimittere: si, v. g. periculum sit ne ejecta mulier in desperationem, propter inustum sibi dedecus, incidat; vel ne egestate, aut aliâ quâlibet impellente causâ, in nova sese conjiciat adulteria; ergo tunc ex officio caritatis tenetur maritus eam retinere: *Postquàm enim Christus*, ait Augustinus: *dixit adulteræ*: nec ego te condemnabo; vade, deinceps noli peccare; *quis non intelligat debere ignoscere maritum, quod videt ignovisse Dominum, nec jam se debere adulteram dicere, cujus pœnitentis crimen divinâ credit miseratione deletum?* (*Lib. 2. de adult. conjugii, tom. 6. cap. 6. pag.* 407.)

Resp. 2°. Si verò uxor in adulterio contumaciter hæreat, & crimen manifestum sit, tenetur maritus eam dimittere, ne tanto crimini consensum dare cum scandalo videatur: quod nunquam licitum est. Si crimen occultum sit, debet maritus uxorem saltem à thori societate repellere; alioqui fieret ejus peccati conscius, ipsiusque saluti nimiâ indulgentiâ noceret, nedùm consuleret.

Quæres 3°. an conjugum separatio quoad thorum privatâ ipsorum autoritate fieri possit.

Resp. separationem *quoad thorum* fieri posse, non expectatâ Judicis sententiâ. Jure enim naturali licitum est innocenti, debitum conjugale ei non reddere, qui fidem nuptialem adulterio violavit; ita S. Thomas. (*In 4. dist. 35. art. 1. in corp.*) Ad illud verò non sufficit mera criminis suspicio, sed requiritur certitudo moralis. (*Ibid. ad 4. & lib. 2. Decretal. tit. 23. cap. 12.*)

DISSERTATIO V.

De impedimentis Matrimonii.

OBSERVANDUM est 1°. Matrimonii impedimenta, alia dici *prohibentia* quæ illicitum, alia *dirimentia* quæ non illicitum duntaxat, sed etiam irritum faciunt Matrimonium; non quòd semel ratum & validum dissolvant: Matrimonium enim ex jure divino indissolubile est; sed quòd impediant ne ratum sit & validum.

Observandum 2°. Reges & Principes Christianos jure sibi proprio posse impedimenta constituere, quæ civilem Matrimonii contractum dirimant. 1°. Quia Principes Christiani possunt quidquid possunt principes Ethnici; siquidem Baptismus & fides Principum suos in subditos potestatem non imminuunt: atqui possunt Ethnici Principes jure sibi proprio impedimenta constituere quæ civilem Matrimonii contractum dirimant; ergo, &c.

2°. Eâdem pollet autoritate Princeps in Matrimonium, quatenùs est contractus civilis, quâ in alios contractus, venditionis, emptionis, locationis, & ceteros similes: atqui Princeps, prout bonum societatis exigit, potest aliis contractibus conditiones apponere, quibus omissis, vel illiciti fiant, vel etiam invalidi; ergo, &c.

3°. Jure sibi proprio id possunt Principes, quod ad commune Reipublicæ bonum necessarium est; ad illud enim potissimùm instituta fuit regia potestas: atqui postulat aliquandò totius Reipublicæ bonum, ut statuantur impedimenta quæ civilem Matrimonii contractum faciant irritum; ergo, &c.

Prob. secunda pars, quòd nimirùm aliquandò teneatur ex caritate conjux innocens conjugem adulterum, sed pœnitentem retinere. Debet enim maritus uxoris saluti, quantum potest, consulere; (idem asserendum de uxore erga maritum:) atqui ipsius saluti ut consulat, aliquandò necesse est adulteram conjugem non dimittere: si, v. g. periculum sit ne ejecta mulier in desperationem, propter inustum sibi dedecus, incidat; vel ne egestate, aut aliâ quâlibet impellente causâ, in nova sese conjiciat adulteria; ergo tunc ex officio caritatis tenetur maritus eam retinere: *Postquàm enim Christus*, ait Augustinus: *dixit adulteræ*: nec ego te condemnabo; vade, deinceps noli peccare; *quis non intelligat debere ignoscere maritum, quod videt ignovisse Dominum, nec jam se debere adulteram dicere, cujus pœnitentis crimen divinâ credit miseratione deletum?* (*Lib. 2. de adult. conjugii, tom. 6. cap. 6. pag.* 407.)

Resp. 2°. Si verò uxor in adulterio contumaciter hæreat, & crimen manifestum sit, tenetur maritus eam dimittere, ne tanto crimini consensum dare cum scandalo videatur: quod nunquam licitum est. Si crimen occultum sit, debet maritus uxorem saltem à thori societate repellere; alioqui fieret ejus peccati conscius, ipsiusque saluti nimiâ indulgentiâ noceret, nedùm consuleret.

Quæres 3°. an conjugum separatio quoad thorum privatâ ipsorum autoritate fieri possit.

Resp. separationem *quoad thorum* fieri posse, non expectatâ Judicis sententiâ. Jure enim naturali licitum est innocenti, debitum conjugale ei non reddere, qui fidem nuptialem adulterio violavit; ita S. Thomas. (*In 4. dist. 35. art. 1. in corp.*) Ad illud verò non sufficit mera criminis suspicio, sed requiritur certitudo moralis. (*Ibid. ad 4. & lib. 2. Decretal. tit. 23. cap. 12.*)

DISSERTATIO V.

De impedimentis Matrimonii.

OBSERVANDUM est 1°. Matrimonii impedimenta, alia dici *prohibentia* quæ illicitum, alia *dirimentia* quæ non illicitum duntaxat, sed etiam irritum faciunt Matrimonium; non quòd semel ratum & validum dissolvant: Matrimonium enim ex jure divino indissolubile est; sed quòd impediant ne ratum sit & validum.

Observandum 2°. Reges & Principes Christianos jure sibi proprio posse impedimenta constituere, quæ civilem Matrimonii contractum dirimant. 1°. Quia Principes Christiani possunt quidquid possunt principes Ethnici; siquidem Baptismus & fides Principum suos in subditos potestatem non imminuunt: atqui possunt Ethnici Principes jure sibi proprio impedimenta constituere quæ civilem Matrimonii contractum dirimant; ergo, &c.

2°. Eâdem pollet autoritate Princeps in Matrimonium, quatenùs est contractus civilis, quâ in alios contractus, venditionis, emptionis, locationis, & ceteros similes: atqui Princeps, prout bonum societatis exigit, potest aliis contractibus conditiones apponere, quibus omissis, vel illiciti fiant, vel etiam invalidi; ergo, &c.

3°. Jure sibi proprio id possunt Principes, quod ad commune Reipublicæ bonum necessarium est; ad illud enim potissimùm instituta fuit regia potestas: atqui postulat aliquandò totius Reipublicæ bonum, ut statuantur impedimenta quæ civilem Matrimonii contractum faciant irritum; ergo, &c.

Observandum 3°. posse Ecclesiam impedimenta Matrimonium dirimentia instituere : sic enim a Concilio Tridentino definitum est : *Si quis dixerit Ecclesiam non potuisse constituere impedimenta Matrimonium dirimentia, vel in iis constituendis errasse, anathema sit.* (*Sess.* 24. *de Matrim. can.* 4.) Et verò in eam rem si nihil juris esset Ecclesiæ, cùm hujusmodi impedimenta apposuit, procul dubio reclamassent Principes Christiani : atqui tamen, nedùm aliquandò reclamaverint, ea perlibenter admiserunt : quinimò ut ab Ecclesia inducerentur interdùm postulârunt. Quis enim nesciat Carolum IX, v. g. Galliæ Regem, per Oratores suos apud Tridentinam Synodum egisse, ut irrita declararet Matrimonia filiorumfamilias sine parentum consensu contracta ?

De illius potestatis ecclesiasticæ origine, naturâ & objecto non leviter disputant Theologi & Jurisperiti ; cùm autem hæc controversia nihil vel parùm utilitatis in praxi habeat, eâ prætermissâ, ad ipsorum impedimentorum expositionem, quorum cognitio longè utilior est, properamus. Quæ circa materiam hanc erunt præcipua, quatuor in capitibus explanabimus ; primum erit de prohibentibus ; secundum, de dirimentibus impedimentis ; tertium, de dispensatione circa Matrimonii impedimenta ; quartum de modo quo se gerere debeant Confessarii vel Parochi cum iis quos impedimento dirimente constringit animadvertunt.

CAPUT PRIMUM.

De impedimentis Matrimonii quæ dicuntur prohibentia.

IMPEDIMENTA prohibentia quatuor sunt hoc versiculo expressa :

Ecclesiæ vetitum, tempus, sponsalia, votum.

Quibus addi potest fidei sive doctrinæ diversitas, si nempè alter conjugum sit non quidem infidelis, quod est impedimentum dirimens ; sed Hæreticus, alter verò Catholicus.

Ecclesiæ vetitum est prohibitio ab Episcopo vel Parocho facta nubere volentibus, ne Matrimonium contrahant. Id præsertim locum habet, cùm de nuptiis suspicio est, ne quo laborent impedimento : tunc enim ad Episcopum vel Parochum pertinet nuptiarum dilationem decernere, donec res comperta fuerit. Quòd si, spreto Superioris mandato, nuptias accelerent, graviter quidem peccabunt ; sed eam ob causam non dissolvetur Matrimonium, nisi in iis deprehensum fuerit aliquod impedimentum dirimens.

Tempus de quo hic agitur, illud est per quod ne celebrentur nuptiæ vetat Ecclesia : *Ab Adventu Domini*, ait Concilium Tridentinum, *usque ad diem Epiphaniæ, & à feria quarta Cinerum, usque in octavam Paschatis inclusivè, antiquas solemnium nuptiarum prohibitiones diligenter ab omnibus observari Sancta Synodus præcipit.* (*Sess.* 24. *de reform. matr.* 10.) Scilicèt congruum non visum est Ecclesiæ, ut quibus diebus debent Christiani animas suas affligere, nuptiarum occasione indul-

geant conviviis, aliisque lætitiæ signis, sine quibus optendum esset ut fideles suas nuptias semper celebrarent.

Votum quod obstat ne licita fit nuptiarum celebratio, est simplex promissio Deo facta, vel continentiæ in sæculo servandæ, vel Religionem aliquam profitendi, vel Ordinem sacrum recipiendi. Hujusmodi votum illicitum quidem facit Matrimonium, quia nefas est fidem Deo datam violare; sed contractum non dirimit, ut jure canonico statuitur.

Sponsalia cum aliquo legitimè contracta, nisi juridicè dissoluta fuerint, illicitum faciunt cum altero Matrimonium, quia non licet datam alicui fidem frangere; contractum verò non dirimunt, quia fortius est nuptiarum, quàm sponsalium vinculum, ut alibi dicturi sumus.

Nunc superest ut exponamus quid sentiendum sit de Catholicorum cum Hæreticis Matrimonio; qua de re sit

PROPOSITIO I.

Matrimonia Catholicorum cum Hæreticis sunt quidem valida, sed prohibita.

Probatur prima pars. Illa Matrimonia sunt valida quæ nec divino, nec ecclesiastico, nec civili jure declarantur irrita: atqui Matrimonia Catholicorum cum Hæreticis, nec, &c. Non quidem jure divino; licèt enim hæc conjugia Deus non semel prohibuerit, nullibi tamen ea ita vetat, ut pro irritis haberi velit: non etiam jure ecclesiastico vel civili, cùm neutrius proferri queat decretum generale, quo eadem Matrimonia declarentur nulla; imò ex jure canonico apertè colligitur valere hujusmodi conjugia; siquidem ex tot Canonibus qui illa prohibuerunt, nullus conjuges à quibus contrahuntur, à se invicem divelli jussit; ergo, &c.

Prob. secunda pars. Vetat Scriptura ne quis peccandi periculum spontè adeat: *Qui amat periculum, in illo peribit:* (*Eccli.* 3. 27.) atqui Catholicorum cum Hæreticis Matrimonia, eos variis peccandi periculis objiciunt. Et 1°. quidem periculo fidei amittendæ; sermo quippè Hæretici propter intimam & perpetuam, quæ ex conjugio nascitur societatem, in animam faciliùs serpit & admittitur: *Sæpe illecebra mulieris*, inquit S. Ambrosius, *decepit etiam fortiores maritos, & à Religione fecit discedere.* (*Lib.* 1. *de Abraham, cap.* 9. *n.* 84. *t.* 1. *pag.* 309.) *Quis dubitet*, ait Tertullianus, *obliterari quotidiè fidem commercio infideli?* (*Lib.* 2. *ad uxorem, cap.* 3. *pag.* 168.) 2°. Periculo pravæ educationis liberorum: hos enim sibi eripi ægrè patitur pars hæretica. Neminem latet filios plerumque malos parentum mores æmulari, & rarò contingere ut ab errore quem cum nutricis lacte imbiberint, ad veritatem revocentur. 3°. Periculo rixarum & contentionum, quæ nunquam acerbiores sunt & diuturniores, quàm ubi de Religione agitur; iis addi debet certa Sacramenti profanatio, si matrimonii Sacramentum Hæreticus suscipiat; ergo, &c.

Prætereà legibus ecclesiasticis prohibita sunt hujusmodi conjugia. Sic, v. g. statuit Concilium Chalcedonense Œcumenicum: *Neque copulari debet nuptura Hæretico, aut Judæo, vel Pagano, nisi fortè... promittat se ad orthodoxam fidem transferre.* (*Act.* 15. *can.* 14. *tom.* 4. *Concil. pag.* 776.) Idem vetant aliæ complures Synodi.

PROPOSITIO II.

Catholicorum cum Hæreticis Matrimonia non ita sunt prohibita, ut nunquam possint ex dispensatione permitti.

Probatur 1°. argumento à simili. Eadem est

ratio conjugiorum cum infidelibus & cum hæreticis, quoad periculum subversionis in fide, pravæ educationis, & discordiarum inter conjuges: atqui tamen videmus quædam, ipso permittente Deo, ac proindè licitè, inita à Judæis cum infidelibus Matrimonia. Ut enim silentio prætermittam conjugium Jacob cum filiabus Laban idololatræ, certum est nupsisse Esther Assuero Regi infideli, & quidem ex Mardochæi, sanctissimi viri, consilio; certum ex est S. Lucâ Eunicem matrem Timothei fidelem quam laudat Paulus, virum habuisse infidelem; (*Act. Apost.* 16. 2. *Tim.* 1. 5.) certum est sanctam Clotildim nupsisse Clodovæo ad fidem nondùm converso: alia multa id genus exempla occurrunt; ergo, &c.

Prob. 2°. ex Conciliis quæ iisdem in locis in quibus ea conjugia prohibent, hæc tamen aliquandò permittit posse supponunt. Laodicense ait *Non oportere eos qui sunt Ecclesiæ, indiscriminatim filios suos Matrimonio conjungere cum Hæreticis*, ut vertit G. *Hervet.* (*Can.* 10. *tom.* 1. *Concil. pag.* 1498.) Id ergo licet cum quibusdam, & adhibitâ prudenti cautione. Concilium Chalcedonense suprà laudatum prohibet fidelis cum hæretico Matrimonium, *nisi fortè promittat ad orthodoxam fidem se transferre.* Idem legitur in Synodo Agathensi an. 506. (*Tom.* 4. *Conc. pag.* 1394.) Atqui hic permittuntur Catholicorum cum Hæreticis conjugia; aliud enim est conversionem suam spondere, & aliud revera conversum esse.

Probatur 3°. Ex concessis quibusdam in ea re dispensationibus; duæ sunt maximè solemnes; prima à Clemente VIII data an. 1602 Duci Barriensi Catholico, ut duceret Catharinam Henrici IV Francorum Regis sororem, Calviniana tinctam fuligine; secunda quam concessit anno 1625 Urbanus VIII, Henriciæ Ludovici XIII sorori Catholicæ, ut Carolo I Anglorum Regi Lutherano nuberet: atqui temerarium saltem esset,

istas dispensationes ut illicitas & irritas habere, quasi potestatis suæ limites transiliissent, qui eas concessêre Summi Pontifices; habita est enim ea de re sub Clemente VIII Congregatio, in quâ variis exemplis probatum est, similes anteà concessas esse à Gregorio XIII, promovente S. Carolo Borromæo. Præterea innumera fuerunt in Galliâ nostra catholicos inter & hæreticos Matrimonia publicè contracta, quo tempore Calvinistis commisti eramus; & tamen adversùs ejusmodi conjugia nusquàm reclamatum est in Ecclesia.

Obj. 1°. intimam utriusque conjugis societatem mutuumque amorem efficere, ut periculum fidei amittendæ, & pravæ educationis liberorum, si nascantur, nunquam possit ab hæreticorum cum catholicis Matrimonio disjungi; 2°. licèt removerentur pericula hæc omnia, non posse in hujusmodi conjugiis non esse irreverentiam & profanationem Sacramenti quod ab hæretico suscipitur.

Sed argumenta hæc, quamvis gravia, non tamen sunt planè invicta. 1°. Enim esto faciat utriusque conjugis amor & individua societas, ut difficilè ab iis connubiis depellantur pericula subversionis in fide, pravæ educationis liberorum discordiarum & contentionum, non tamen efficit ut absolutè removeri non possint hujusmodi pericula. Sunt enim homines, quibus nihil minùs cordi est, quàm Religionis diversitas, & qui inter contrahendum liberam ultrò faciunt conjugi potestatem sentiendi ut ipsi libuerit, & qui solius communis convictûs & societatis desiderio ducuntur.

2°. Fatendum est Matrimonii Sacramentum homini hæretico nunquàm concedendum esse, ideoque oportere ut catholicorum cum hæreticis conjugia, non Sacerdotis benedicentis manu, sed contrahentium signis & verbis perficiantur. Eo modo celebratum Parisiis dicitur anno 1625, connubium Henriciæ Borbonicæ cum Carolo I

Angelorum Rege. Cardinalis *de la Rochefoucault* Missam celebravit coram Henricia sola & Regni Proceribus, & consuetam benedicendi formulam de industria omisit, quam nec recitare potuisset; siquidem sacrificio non intererat Procurator Regis Angliæ: iste enim post significatam Regis sui nomine per verba *de præsenti* voluntatem, Henriciam in conjugem accipiendi, in palatium episcopale sese receperat. Quâ de re legi potest historia ministerii Cardinalis *de Richelieu*, ad annum 1625.

Quæres quænam conditiones licitum faciant catholicorum cum hæreticis Matrimonium.

Resp. licitum esse, si pars Catholica justam habitura sit facultatem omnibus Religionis officiis fungendi; si nullum sit subversionis in fide periculum prudenter timendum; si nullum in contrahendo scandalum occurrat; si in bonum commune cedat; si petita & concessa fuerit à legibus ecclesiasticis immunitas; si liberorum in fide catholica institutioni satis provisum fuerit; unde illicita sunt Matrimonia cum Hæreticis eâ lege contracta, ut masculi in patris, & puellæ in matris Religione educentur.

CAPUT II.

De impedimentis Matrimonium dirimentibus.

QUINDECIM numerantur impedimenta dirimentia quæ istis versiculis continentur:

Error, conditio, votum, cognatio, crimen,
Cultûs disparitas, vis, ordo, ligamen, honestas,
Ambens, affinis, si clandestinus, & impos,
Si mulier sit rapta, loco nec reddita tuto;
Hæc facienda vetant connubia, facta retractant.

De *errore* satis dictum fuit, (*Dissert.* 1. *cap.* 4. *art.* 1.) ubi ostendimus errorem qui circa personam versatur, Matrimonium dirimere, ut si Petrus, v. g. vellet *Catharinam* ducere uxorem, cujus loco substituta fuit *Agnes*. Ratio est quòd hujusmodi error consensum penitùs tollat; nedùm enim velit Petrus cum Agnete Matrimonium contrahere, de eâ nequidem cogitat.

Conditionis nomine hîc intelligitur status servitutis; undè fit ut aliquis sub Domini potestate ita sit constitutus, ut ab eo vendi possit. Ex jure canonico, si persona libera illius cui nupsit servitutem ignoraverit, irritum fit Matrimonium; si verò sponsus liber servilem alterius conditionem, ante contractum Matrimonium noverit, tunc ratum validumque est conjugium. De conditionis impedimento plura dicere supervacaneum esset, quia status servilis in Galliâ nostrâ locum non habet.

Nunc supereſt ut de aliis impedimentis dirimentibus novem in articulis differamus.

ARTICULUS PRIMUS.

De impedimento voti.

Agitur hic de voto castitatis servandæ aut Religionis suscipiendæ. Duplex distinguitur: aliud simplex quod absque solemnioribus ceremoniis Deum inter & voventem emittitur; aliud autem solemne quod sit in Religione approbata, per solemnem illius professionem. Prius esse impedimentum prohibens duntaxat, superiori capite ostendimus; posterius autem votum contractas, postquàm emissum fuit, nuptias dirimere sic definit Concilium Tridentinum: *Si quis dixerit ... Regulares, castitatem solemniter professos, posse Matrimonium contrahere, contractumque validum esse, non obstante ...., voto, ... anathema sit.* (*Sess.* 24. *de*

Angelorum Rege. Cardinalis *de la Rochefoucault* Missam celebravit coram Henricia sola & Regni Proceribus, & consuetam benedicendi formulam de industria omisit, quam nec recitare potuisset; siquidem sacrificio non intererat Procurator Regis Angliæ: iste enim post significatam Regis sui nomine per verba *de præsenti* voluntatem, Henriciam in conjugem accipiendi, in palatium episcopale sese receperat. Quâ de re legi potest historia ministerii Cardinalis *de Richelieu*, ad annum 1625.

Quæres quænam conditiones licitum faciant catholicorum cum hæreticis Matrimonium.

Resp. licitum esse, si pars Catholica justam habitura sit facultatem omnibus Religionis officiis fungendi; si nullum sit subversionis in fide periculum prudenter timendum; si nullum in contrahendo scandalum occurrat; si in bonum commune cedat; si petita & concessa fuerit à legibus ecclesiasticis immunitas; si liberorum in fide catholica institutioni satis provisum fuerit; unde illicita sunt Matrimonia cum Hæreticis eâ lege contracta, ut masculi in patris, & puellæ in matris Religione educentur.

CAPUT II.

De impedimentis Matrimonium dirimentibus.

QUINDECIM numerantur impedimenta dirimentia quæ istis versiculis continentur:

Error, conditio, votum, cognatio, crimen,
Cultûs disparitas, vis, ordo, ligamen, honestas,
Ambens, affinis, si clandestinus, & impos,
Si mulier sit rapta, loco nec reddita tuto;
Hæc facienda vetant connubia, facta retractant.

De *errore* satis dictum fuit, (*Dissert.* 1. *cap.* 4. *art.* 1.) ubi ostendimus errorem qui circa personam versatur, Matrimonium dirimere, ut si Petrus, v. g. vellet *Catharinam* ducere uxorem, cujus loco substituta fuit *Agnes*. Ratio est quòd hujusmodi error consensum penitùs tollat; nedùm enim velit Petrus cum Agnete Matrimonium contrahere, de eâ nequidem cogitat.

Conditionis nomine hîc intelligitur status servitutis; undè fit ut aliquis sub Domini potestate ita sit constitutus, ut ab eo vendi possit. Ex jure canonico, si persona libera illius cui nupsit servitutem ignoraverit, irritum fit Matrimonium; si verò sponsus liber servilem alterius conditionem, ante contractum Matrimonium noverit, tunc ratum validumque est conjugium. De conditionis impedimento plura dicere supervacaneum esset, quia status servilis in Galliâ nostrâ locum non habet.

Nunc supereſt ut de aliis impedimentis dirimentibus novem in articulis differamus.

ARTICULUS PRIMUS.

De impedimento voti.

Agitur hic de voto castitatis servandæ aut Religionis suscipiendæ. Duplex distinguitur: aliud simplex quod absque solemnioribus ceremoniis Deum inter & voventem emittitur; aliud autem solemne quod sit in Religione approbata, per solemnem illius professionem. Prius esse impedimentum prohibens duntaxat, superiori capite ostendimus; posterius autem votum contractas, postquàm emissum fuit, nuptias dirimere sic definit Concilium Tridentinum: *Si quis dixerit ... Regulares, castitatem solemniter professos, posse Matrimonium contrahere, contractumque validum esse, non obstante ...., voto, ... anathema sit.* (*Sess.* 24. *de*

Matrim. can. 9.) Eamdem esse fori sæcularis disciplinam testantur nonnulla Supremorum Senatuum, aliorumque Tribunalium decreta quibus irrita declarantur conjugia, quæ à Monachis quibusdam & Virginibus religiosam vitam professis, per summum scelus tentata fuerant.

ARTICULUS II.

De impedimento cognationis.

Cognatio duplex distinguitur, alia *naturalis* quæ suam ex generatione carnali ducit originem, & dicitur consanguinitas; alia *spiritualis* quæ nascitur ex conjunctione spirituali, per Baptismum & Confirmationem inducta. De utraque seorsim agendum.

PARAGRAPHUS PRIMUS.

De cognatione naturali.

Cognatio naturalis, sive consanguinitas definitur *personarum ab eodem stipite descendentium vinculum*, sive arctissima conjunctio ex ejusdem sanguinis communione proveniens. In consanguinitate tria sunt consideranda, nimirùm *stipes*, *gradus* & *linea*. *Stipes*, gallicè *la souche*, est persona ex qua aliæ ducunt originem, quemadmodum ex eodem arboris trunco proceunt rami. *Gradus* est intervallum quo consanguinei inter se à communi stipite distant: sic dicitur à similitudine graduum scalæ, quos ita decurrimus, ut à proximo ad proximum fiat ascensus vel descensus.

Linea est series personarum ab eodem stipite per diversos gradus descendentium. Alia est *directa*, alia *collateralis*, sive *transversa*. *Directa* est series personarum quæ aliæ ab aliis descendunt viâ generationis, ut proavus, avus, pater, filius: dicitur

linea *descendentium*, si à stipite progrediamur ad posteros; *ascendentium* verò, si à posteris incipiendo perveniamus ad stipitem.

Linea *collateralis*, sive *transversa* est series personarum, non quæ aliæ ab aliis procreatæ fuerint; sed quæ à communi stipite descendant, ut frater & soror, consobrini & eorum filii. Hæc autem linea modò dicitur *æqualis*, cùm scilicèt personæ quarum cognatio quæritur, à stipite æqualiter distant, ut duo fratres: uno quippè gradu uterque distat à patre; modò dicitur *inæqualis*, quando nimirùm diversa est personarum à communi stipite distantia; sic frater & fratris filius sunt in linea inæquali: frater enim à patre in quo stipitem ponimus, distat uno gradu, filius verò fratris duplici gradu.

Quæres 1°. quomodò computari debeant consanguinitatis gradus.

Resp. tres eâ de re à jure canonico constitutas esse regulas.

I. Regula quæ ad lineam rectam pertinet: In linea ascendentium & descendentium tot sunt gradus quot sunt personæ, dempto stipite; v. g. pater, filius, nepos, pronepos, quatuor sunt personæ, & tres gradus constituunt. Tot sunt enim gradus in quatuor personis, quot sunt distantiæ unius ab alia: atqui in quatuor personis tres sunt distantiæ unius ab alia; cùm ibi tres sint generationes, & unaquæque generatio à communi stipite removeat; stipes autem non potest gradum facere, cùm à semetipso non distet, & spectetur ut prima totius prosapiæ radix & origo.

Ex inferiori ſtemmate hæc regula magis eluceſcet.

Petrus ſtipes.

I. Jacobus, Filius.	I. Joannes, Filius.
II. Ludovicus, Nepos, *Petit-fils.*	II. Franciſcus, Nepos.
III. Guillelmus, Pronepos, *Arrière-petit-fils.*	III. Laurentius, Pronepos.
IV. Claudius, Abnepos, *Enfant de l'arrière-petit-fils.*	IV. Vincentius, Abnepos.

Dempto ſtipite, nimirùm Petro, quatuor ſuperſunt perſonæ quæ totidem gradus & generationes efficiunt. *Claudius* & *Vincentius* abnepotes; in quarto conſanguinitatis gradu ſunt cum *Petro*; *Guillelmus* & *Laurentius* pronepotes in tertio ſunt gradu cum eodem *Petro*; *Jacobus* autem & *Joannes* filii in primo gradu ſunt cum *Petro* ſtipite.

II. Regula quæ ſpectat lineam *collateralem* æqualem, ita ſe habet: In linea *collaterali* æquali perſonæ eodem gradu à ſe invicem diſtant, quo à ſtipite communi; v. g. duo fratres inter ſe diſtant in primo gradu, quia eadem eſt eorum diſtantia à patre in quo conjunguntur: filii autem duorum fratrum inter ſe diſtant in ſecundo gradu, quia in eodem removentur à communi ſtipite, ſcilicèt ab

avo. Ratio autem ita computandi eſt, quòd conſanguinitatis radix & origo poſita ſit in conjunctione perſonarum cum ſtipite communi, non poſſunt igitur conſanguinei plus minùſve à ſe invicem diſtare, quàm à ſtipite communi.

In ſuperiori ſtemmate *Jacobus* & *Joannes* filii *Petri* ſunt inter ſe in primo conſanguinitatis gradu, quia uterque uno tantum diſtat à *Petro*, communi ſtipite. *Ludovicus* & *Franciſcus* nepotes *Petri* in ſecundo gradu ſunt conſtituti, quia uterque à *Petro* ſtipite duplici gradu disjungitur.

III. Regula. In linea *collaterali* inæquali, eo gradu à ſe invicem diſtant conſanguinei, quo recedit à ſtipite perſona quæ remotior eſt: exempli gratiâ, patruus (*oncle paternel*) & fratris filius, in ſecundo gradu inter ſe diſtant, quia patruus in primo, & fratris filius in ſecundo gradu diſtant à communi ſtipite nimirùm ab avo, cujus ille filius eſt, & hic nepos (*petit-fils*). Hujus computationis ratio eſt, quod ſi in linea collaterali inæquali, gradus repetendus eſſet à conſanguineo qui ad ſtipitem propiùs accedit, magna foret in gradibus confuſio; interdùm enim contingeret ut in primo gradu duo conſanguinei dicerentur, quorum alter in primo, & alter in tertio vel in quarto recederet à communi ſtipite, ſicque perindè ac fratres conjungerentur.

In propoſito, v. g. ſtemmate, *Jacobus* filius *Petri*, & *Franciſcus* nepos *Petri* in ſecundo gradu conjuncti ſunt, quia, licèt Jacobus uno tantùm diſtet à *Petro*, *Franciſcus* tamen ab eodem duplici gradu diſtat. Sic etiam *Ludovicus* nepos *Petri*, & *Laurentius* pronepos ejuſdem *Petri*, in tertio gradu ſeſe contingunt, quia *Laurentius* triplici gradu diſtat à *Petro*.

Ut facilè dignoſcatur quo in gradu conſanguinei ſint, qui Matrimonium ſimul contrahere volunt, hanc methodum proponit Collator Andegavenſis: *Il faut dreſſer un arbre de généalogie, & com-*

mencer par écrire au bas du papier le nom & le surnom de celui qui veut se marier, & à côté, un peu loin, le nom & surnom de celle qu'il veut épouser; mettre au-dessus de chacun les noms de leur pere & mere, mettre les noms de leur ayeul & ayeule, & continuer jusqu'à ce qu'on trouve la souche commune qui cause la parenté. (Confér. sur le Mariage tom. 2. pag. 146. édit. de 1767.)

EXEMPLE.

De Pierre Garnier, souche commune, sont issus

Robert,	1. Degré.	Jean,
Pierre,	2. Degré.	René,
Jacquine mariée à Joseph Lambert,	3. Degré.	Jacques,
Paul Lambert qui veut épouser Marie Garnier,	4. Degré.	Marie Garnier du mariage de laquelle il s'agit.

Quæres 2°. quo in gradu consanguinitas Matrimonium dirimat.

Resp. consanguinitatem in quocumque lineæ rectæ gradu dirimere Matrimonium, *& ideò nuptiæ contrahi non possunt inter patrem & filiam, vel avum & neptem*, (petite-fille)... *& usque in infinitum*, inquit Nicolaus I, ad consulta Bulgarorum; (*Cap.* 39. *tom.* 8. *Concil. p.* 530.) quod juri civili consentaneum est. (*Lib.* 1. *institut. tit. de nuptiis.*)

In linea autem *collaterali* cognatio ad quartum usque gradum, sed non ultrà, impedimentum est dirimens, nisi præcesserit dispensatio. Ita definitum est à Concilio Lateranensi IV sub Innocentio III an. 1215; illudque decretum hactenùs in Ecclesia Latina constanter observatum fuit; antèà verò diversa fuerat variis temporibus Ecclesiæ diciplina. Quatuor enim prioribus sæculis valida & licita fuerunt Matrimonia in secundo gradu contracta, sive inter consobrinos & consobrinas, id est, inter filios & filias fratrum vel sororum: *Id nec divina prohibuit & nondùm prohibuerat lex humana*, inquit Augustinus. (*Lib.* 15. *de civitate Dei*, *cap.* 16. *n.* 2. *tom.* 7. *pag.* 398.) Deindè autem invaluit consuetudo, ut consanguinitas ad septimum usque gradum esset impedimentum dirimens.

Quæres 3°. quo jure consanguinitas irritum faciat Matrimonium.

Resp. Ex communi Theologorum sententiâ, Matrimonia consanguineorum in quolibet lineæ rectæ gradu, jure non solùm ecclesiastico, sed etiam naturali irrita sunt. 1°. Quia hujusmodi conjugia naturali instinctu abhorruerunt gentes omnes benè institutæ; 2°. quia exigit naturæ ordo ut liberi semper eodem modo parentibus subditi sint: atqui si filii matrem, aut filiæ patrem in conjuges accipere possent, certè minùs posset Matrimonium liberi parentibus essent subjecti, quàm antè; quia cum iisdem duæ caro effecti, essent ipsis ferè pares; quod præsertim verum esset in filiis qui matres vel avias ducerent; tunc enim aviam vel matrem filio subjici oporteret, siquidem mulieres debent esse viris suis subjectæ; id autem natura ipsa reprobat.

De Matrimoniis autem consanguineorum in linea *collaterali* factis, præcipua difficultas spectat conjugium fratris cum sorore. Illud autem jure naturali nec prohiberi, ideòque nec dirimi videtur probabilius: quod enim jure naturali interdicitur, per

se malum est : atqui Matrimonium fratris cum sorore per se malum non est, siquidem à primis mundi exordiis permissum fuit ; alia enim fieri tunc non poterant conjugia : quis autem crediderit Deum sic genus humanum instituisse ; ut primi homines statim ipsas naturæ leges violare coacti fuerint ? Duplex autem potissimùm fuit ratio, propter quam cognationis impedimentum induceret Ecclesia ; 1°. ut refrenaretur concupicentiæ libido quæ inter consanguineos, quos simul commorari plerumque necesse est, haud dubiè exarsisset, si ipsis indiscriminatim permissa fuissent conjugia ; 2°. ut per Matrimonia cum extraneis contracta multiplicarentur necessitudinum vincula, sicque latiùs diffunderetur caritas.

PARAGRAPHUS II.

De impedimento cognationis spiritualis.

Cognatio spiritualis ea est quæ ex Baptismate & Confirmatione nascitur. Cùm enim Baptismus sit spiritualis quædam & nova generatio, in qua tùm baptisans, tùm susceptores vicem patrum gerunt, visum est dedecere ut qui baptisati sunt, aut ex fonte sacro suscepti, cum iis Matrimonium contrahant, à quibus vel baptisati, vel suscepti fuêre. Ex Concilio autem Tridentino spiritualis, hæc cognatio inducitur 1°. inter susceptores & baptisatum, ipsiusque patrem & matrem ; 2°. inter baptisantem & baptisatum hujusque patrem & matrem. (*Sess.* 24. *de reform. matr. cap.* 2.)

Cognationis spiritualis impedimentum, ut potè jure tantùm ecclesiastico inductum, ab his solis contrahitur, qui Ecclesiæ legibus subjacent. Unde sequitur 1°. infideles qui Baptismum conferunt, huic cognationi non esse obnoxios, quia ad Ecclesiam nullo modo pertinent ; 2°. hæreticos qui idem Sacramentum administrant, vel in eo sunt

sponsores, seu *patrini*, in impedimentum illud incurrere : quamvis enim sint ab Ecclesia extorres, non ideò censeri debent ab illius jurisdictione immunes, sed ei semper subjiciuntur propter impressum sibi à baptismate characterem qui nunquam deleri potest ; 3°. infidelem qui fidem amplectitur, posse licitas & validas nuptias cum ea celebrare quam baptisavit, quo tempore erat infidelis ; 4°. hæreticum, quando ad unitatem Ecclesiæ revertitur, separandum esse à conjuge quam baptisavit, vel cujus sponsor fuit in baptismo.

Quæres 1°. an cognationis impedimentum erga eos locum habeat, qui infantem, urgente necessitate, baptisaverint.

Resp. jure canonico excipi patrem qui filium à legitimâ uxore susceptum baptisat ; (*Lib.* 4. *Decretal. tit.* 11. *de cognat. spirit. cap.* Si vir.) alios verò quoscumque impedimento cognationis spiritualis obnoxios esse, quia in præfata constitutione non excipiuntur.

Quæres 2°. an procurator qui alterius nomine infantem de sacro fonte suscipit, ut non rarò fieri solet, cognationis spiritualis impedimentum subeat.

Resp. probabiliorem videri eorum sententiam, qui docent non procuratorem impedimento cognationis spiritualis obstringi, sed eum cujus nomine agit ; quemadmodùm in Matrimonio per procuratorem inito, non ipse, sed persona quam refert, affinitatem cum consanguineis conjugis contrahit. Ratio est, quia non procurator, sed ille solus à quo delegatur, censetur vicariâ ejus manu agere.

Dices : Si quis Parochus alterum Sacerdotem ad baptisandum infantem suo loco substituat, spiritualem cognationem non parochus contrahit, sed Presbyter ab eo delegatus ; ergo pariter non in susceptorem delegantem, sed in procuratorem delegatum recidit cognatio spiritualis.

Resp. Neg. conseq. & paritatem. Qui enim Parochi vice baptisat, Parochi nomine Baptismum non confert, sed solius Christi cujus est immediatus Minister, & cujus personam gerit; contrà verò procurator qui infantem de fonte Baptismatis suscipit, non suo, sed delegantis nomine agit; quapropter non ipsum, sed delegantem afficit cognatio spiritualis.

Quæres 3°. an *patrinus* & *matrina* qui interfunt, quando in Ecclesia puero, jam validè ab obstetrice baptisato, supplentur duntaxat ceremoniæ, spiritualem cognationem contrahant.

Resp. eam ab ipsis non contrahi. Hujusmodi enim cognatio non pertinet nisi ad personas de quibus loquitur Concilium Tridentinum: atqui mentionem non facit, nisi de iis qui *patrini* & *matrinæ* munere funguntur in solemnis Baptismi celebratione; tacet verò de illis qui interfunt, dum puero supplentur ceremoniæ; ergo, &c.

Quæres 4°. an *patrinus* & *matrina* pueri, quem Presbyter justis de causis sub conditione baptisat, cognationem spiritualem contrahant cum baptisato illiusque parentibus.

Resp. ea de re diversas esse Theologorum sententias: affirmans tamen probabilior videtur & tutior; probabilior quidem: *patrinus* enim & *matrina* puerum de sacro fonte reipsâ suscipiunt; tutior etiam, quia si prius Baptisma de quo dubitatur, nullum fuerit, posterius, ut potè validum, omnem procreat effectum qui Baptismo convenit, ab eo proindè inducitur cognatio spirtualis. Cum in dubiis, & maximè ubi agitur de Sacramentis, tutiorem partem eligere quisque teneatur, *patrinus* filiæ quæ fuit sub conditione baptisata, sine dispensatione non debet, vel eam, vel ejus matrem ducere uxorem.

Quod diximus de cognatione spirituali per Baptismum inductâ, idem dicendum de cognatione cui locum præbet Confirmatio, quæ spiritualis nativitatis per Baptismum inchoatæ perfectio est: ex Confirmatione tamen, nostrâ ætate, ratò nascitur impedimentum, quia *patrinos* & *matrinas* in eo Sacramento adhibendi usus ferè penitùs obsolevit.

Articulus III.

De impedimento cultûs disparis.

Quæres 1°. quid sit impedimentum cultûs disparis.

Resp. Impedimentum illud ex diversâ contrahentium Religione nascitur. Per Religionem autem disparem hic non intelligitur ea quæ fidelem ab hæretico secernit, & quam ostendimus impedimentis tantùm prohibentibus annumerari; sed agitur de Religionis diversitate, quæ baptisatum inter & non baptisatum intercedit. Cultûs ergo disparitas est, quando baptisatus Matrimonium contrahit cum muliere non baptisatâ, aut vice versâ.

Quæres 2°. an hujusmodi Matrimonia lege divinâ ita fuerint prohibita, ut nunquam valuerint.

Resp. Minimè quidem: nulla enim conjugia in Veteri Testamento tam severè interdicuntur, quàm Judæorum cum mulieribus alienigenis & infidelibus: atqui tamen Matrimonia Judæorum cum alienigenis, præsertim extra Chananæam gentem, præ ceteris Deo invisam, nunquam ita generatim vetita sunt, ut nullo in casu rata fuerint; siquidem Jacob pro uxoribus accepit filias Laban idololatræ; Joseph filiam Putipharis Ægyptiam, Moyses filiam Jethro Æthiopissam, Esther nupsit Assuero qui Gentilis erat; ergo nonnullis in circumstantiis licitum erat judæis cum Gentilibus Matrimonia contrahere.

Nullus etiam est in Novo testamento locus, qui hujusmodi Matrimonia generatim prohibeat: Nostris temporibus, ait Augustinus, *jam non putantur esse peccata hæc Matrimonia, quoniam revera in Novo Testamento nihil inde præceptum est, & ideò aut licere creditum est, aut relictum ut dubium.* (*Lib. de fide & operibus, cap.* 19. *n.* 35. *tom.* 6. *pag.* 185.)

Præterea si generatim & in quolibet casu interdicta fuissent hæc Matrimonia, ab iis procul dubio abstinuissent mulieres pietate insignes: atqui tamen contrarium certum est. Nam Eunice Timothei mater pia & fidelis erat: atqui tamen, ut jam diximus, nupserat infideli; Monica S. Augustini mater Patricio infideli juncta fuit; Clotildis christiana nupserat Clodovæo Regi Francorum, idololatriæ nexibus adhuc irretito; ergo, &c.

Quæres 3°. quonam igitur jure invectum fuerit illud impedimentum, & propter quas causas.

Resp. ex communi Theologorum sententiâ, jure tantùm ecclesiastico inductum esse hoc impedimentum dirimens, idque solâ Ecclesiæ consuetudine quæ vim legis obtinet, potiùs quàm ullius Concilii Canone quo declaretur Matrimonia fidelium cum infidelibus nulla esse & invalida. Ex iis enim quæ apud Gratianum leguntur, (*Cap.* 28. *quæst.* 1.) id unum colligi potest, nempè illicita fuisse hujusmodi conjugia, sicut & catholicorum cum hæreticis connubia.

Dirimentis autem illius impedimenti instituendi justissimæ & gravissimæ fuerunt causæ; 1°. propter periculum subversionis in fide, cujus flebile & formidandum exemplum videre est in Salomone: *Nam cor ejus depravatum est per mulieres ut sequeretur deos alienos;* (*Lib.* 3. *Reg.* 11. 4.) 2°. propter summam liberorum christianè instituendorum difficultatem; 3°. ob rixas & jurgia quæ præsertim in religionis diversitate frequentia sunt

& atrociora; 4°. demùm propter obices quos in explendis Religionis Christianæ officiis, uxori fideli opponeret maritus infidelis.

Articulus IV.

De impedimentis violentiæ, Ordinis & ligaminis.

Quia vis metum generat aliquandò ita gravem, ut eam consensûs libertatem non permittat, quæ ad Matrimonium requiritur, ideo impedimentis dirimentibus annumeratur. Metus autem gravis per violentiam illatus, Matrimonium rescindere non valet, nisi injustè, ad extorquendumque in nuptias consensum incutiatur, ut jam ostendimus. (*Dissert.* 1. *cap.* 4. *art.* 2.) Quem locum consule.

Quæres 1°. Quosnam Ecclesiæ Ministros spectet impedimentum Ordinis.

Resp. Ordinis impedimentum ad Subdiaconos tantùm, Diaconos & presbyteros speciat, quia juxta præsentem Ecclesiæ disciplinam, omnes & soli Clerici in sacris Ordinibus constituti, ad servandam continentiam ita obstringuntur, ut Matrimonium validè contrahere non possint. *Si quis dixerit*, ait Concilium Tridentinum, *Clericos in sacris Ordinibus constitutos.... posse Matrimonium contrahere, contractumque validum esse, non obstante lege ecclesiasticâ, ... anathema sit.* (*Sess.* 34. *de Matrim. can.* 9.)

Nuptias verò Clericis interdictas voluit Ecclesia, ne rerum temporalium sollicitudine, & carnalibus desideriis implicati, à Dei cultu ministeriisque ecclesiasticis distraherentur. Nam *qui sine uxore est*, ait Apostolus, *sollicitus est quæ Domini sunt, quomodo placeat Deo; qui autem cum uxore est, sollicitus est quæ sunt mundi, quomodò placeat uxori, & divisus est.* (1. *Cor.* 7. *v.* 33. & 34.)

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

Quæres 2°. quid sit impedimentum ligaminis.

Resp. Impedimentum ligaminis in eo situm est, quod conjux nequeat, vivente priori conjuge, novum contrahere Matrimonium : polygamiam enim jure tùm divino, tùm ecclesiastico prohibitam esse, alibi demonstravimus ; mulier igitur cujus maritus jamdudùm abest, & de quo nihil à multis annis audivit, non potest aliud Matrimonium inire, nisi de mariti sui obitu moraliter certa sit. Quapropter si Parochus vel minimùm dubitet an certa sint testimonia, quæ solent in iis casibus proferri, debet rem ad Episcopum, vel ad Judicem Ecclesiasticum deferre. Quòd si maritus tandem redierit, postquàm ad secundas nuptias transit, hæc, dimisso posteriori marito, debet ad priorem reverti.

ARTICULUS V.

De impedimento criminis,

Crimen Matrimonium dirimens est quibusdam in circumstantiis solum vel adulterium, vel homicidium, vel utrumque simul junctum. Et 1°. quidem *adulterium solum*, cùm scilicèt vel ante, vel post commissum hoc scelus, adulteri mutuam sibi fidem dederunt de Matrimonio post obitum conjugis innocentis contrahendo. (*Cap.* Relatum, *quæst.* 1.) Nihil autem refert, sitne promissio hæc ficta, an sincera, cùm promissio simulata quæ vera creditur, non minùs valeat ad homicidium vel adulterium impellere, quàm si vera esset : ab illis autem criminibus fideles deterrere voluit Ecclesia, cùm impedimentum de quo agitur instituit.

2°. *Homicidium solum*, cùm scilicèt ex amborum conspiratione, etiam non interveniente adulterio alter conjugum occiditur. Regulam hanc tradit Cœlestinus III. Quidam enim Saraceni captivi, occiso mulierum Christianarum viris ex earum consensu, ipsas acceperant in uxores. Interrogatus autem Summus Pontifex, an valerent hæc Saracenorum Matrimonia cum illis mulieribus per quas ad fidem conversi fuerant, sic respondit : *Hic Tiburiensis Concilii regulâ contenti sumus, asserentes quòd si in mortem ipsorum malitiosè fuerint machinatæ, licèt earum studio ad fidem accesserint, tamen nec eis adhærere debent, nec sunt, si adhæserint, tolerandi.* (*Decretal. pag.* 1275.)

3°. *Adulterium cum homicidio junctum* dirimit Matrimonium, quando scilicèt post admissum adulterium, quamvis fine datâ de futuro Matrimonio fide, conjux unius ab alterutro adultero occiditur, etiam absque alterius consensu, sive absque mutua conspiratione. Cùm enim adulterio accedit homicidium, sufficit ut alteruter homicidium perpetraverit. Sic enim decernit Alexander III : *Tibi respondemus quòd si adulter est in mortem uxoris aliquid machinatus, sive fidem dederit, sive non, quòd, eâ defunctâ, hanc* (quam adulterio polluit) *esset ducturus, secundùm Canones ab ejus consortio prohibetur, & hæc prohibitio perpetuò servanda est.* (*Decretal. pag.* 1480.)

ARTICULUS VI.

De impedimento publicæ honestatis.

Impedimentum illud oritur tùm ex sponsalibus, tùm ex Matrimonio rato, sed non consummato : *honestatis* verò impedimentum ideò dicitur, quòd Ecclesiæ inhonestum ac indecorum visum est, ut qui sponsalia vel Matrimonium cum muliere contraxit, aliam ex ejus consanguineis in uxorem accipiat.

Impedimentum istud ex sponsalibus proveniens locum non habet, quando ista non sunt valida ; si vero rata fuerint, primum gradum non excedit,

cùm ad quartum usque protenderetur ante Concilium Tridentinum. Sic autem statuit Sancta Synodus: *Publicæ honestatis impedimentum, ubi sponsalia quâcumque ratione valida non erunt, Sancta Synodus prorsùs tollit; ubi autem valida fuerint, primum gradum non excedant, quoniam in ulterioribus gradibus jam non potest hujusmodi prohibitio absque dispendio observari.* (*Sess.* 24. *de reform. Matrim. cap.* 3.) Non potest igitur aliquis Matrimonium validè inire cum sorore, matre & filia illius quâcum sponsalia contraxerat.

Etiam dissolutis ex mutuo consensu sponsalibus, superest illud impedimentum. Ratio est quia, sicut sponsalia propriâ voluntate contraxerant, sic & eadem dirimere valent sponsi: cùm autem non ex ipsorum consensu, sed ab Ecclesia sponsalibus annexum fuerit *publicæ honestatis* impedimentum, illud auferre penès solam Ecclesiam est; quinimò nec, interveniente alterutrius sponsi morte, tollitur, ut statutum est Can. *Si quis desponsaverit*, causa 37. quæst. 2.

Publicæ honestatis impedimentum Matrimonio rato, non consummato, illigatum non minùs latè patet quàm ante Concilium Tridentinum: nihil enim in hac parte mutavit; cùm igitur ante Sanctæ illius Synodi tempora, impedimentum Matrimonio rato annexum, ad quartum usque gradum pertineret, ad eumdem etiamnùm extenditur; idcircò si quis Matrimonium cum Catharina iniverit, quæ priusquàm fuerit consummatum, obiit, non poterit absque dispensatione alteram ducere uxorem, quæ Catharinam in quarto consanguinitatis gradu contingat. Ita responsum est à Pio V, Pontifice Maximo. (*Constit. an.* 1568. *Ad Romanum.*)

Articulus VII.

De impedimento affinitatis.

Quæres 1°. quid affinitatis nomine hic intelligatur.

Resp. Affinitas quædam est personarum propinquitas, seu conjunctio, quam inducit viri & mulieris coitus carnalis, sive licitus in Matrimonio, sive illicitus extra Matrimonium, modò completus sit, ad prolisque generationem idoneus. Contrahitur hæc affinitas inter maritum & consanguineos uxoris, similiterque inter uxorem & consanguineos mariti, non verò inter utriusque cognatos. Si Paulus, v. g. Catharinam duxerit uxorem, tunc Catharinæ cognati Paulo erunt affines, & viciſſim; sed inter consanguineos Pauli & consanguineos Catharinæ nulla ex ipsorum Matrimonio nascetur affinitas. *Licèt*, ait Innocentius III, *omnes consanguinei viri sint affines uxoris, & omnes consanguinei uxoris sint viri affines, inter consanguineos tamen uxoris & viri, ex eorumdem (scilicèt viri & uxoris) conjugio nulla prorsùs affinitas est contracta, propter quam inter eos Matrimonium debeat impediri.* (*Cap.* Quod super his, *extra de consanguinitate & affinitate.*) Hinc fratres & sorores unius conjugis nullo modo fratribus aut sororibus alterius fiunt affines, ideòque possunt inter se Matrimonium contrahere.

Quæres 2°. quomodò cognoscatur quo in gradu sibi affines sint duæ personæ.

Resp. in affinitate, sicut & in consanguinitate, distingui stipitem, lineas & gradus. Stipes sunt duæ personæ quæ coitu vel licito vel illicito unam carnem efficiunt, ideòque non dicuntur affines, sed principium affinitatis, sicut pater & mater sunt

consanguinitatis fons & radix. Linea est personarum quæ sibi affines sunt ordo & series. Duplex distinguitur, recta scilicèt & transversa, sive *collateralis*.

In linea recta constituuntur 1°. *ascendentes* qui parentum locum obtinent respectu aliorum quos habent ut filios. Hujusmodi sunt gallicè dicti *le beau-pere & la belle-mere, le vitric ou second mari de la mere, la marâtre ou seconde femme du pere, & les autres en remontant*, 2°. descendentes qui liberorum tenent locum, quales sunt quos gallicè dicimus *le gendre & la bru, le beau-fils & la belle-fille, & les autres en descendant*. Denique in linea transversa, sive *collaterali* numerantur *le beau-frere & la belle-sœur, les oncles, les tantes, les cousins germains, & les autres parens dans les degrés plus éloignés*.

Quo pacto æstimentur affinitatis gradus sic exponit Collator Andegavensis: *Les degrés de l'affinité se mesurent sur les degrés de la parenté, de sorte que les parens de la femme sont alliés du mari au même degré qu'ils sont parens de la femme; & il en est de même des parens du mari à l'égard de la femme. Ainsi les parens au premier degré de la femme, sont alliés au premier degré du mari, & tout de même des autres degrés.*

Pour connoître en quel degré d'affinité on est à une femme, on n'a qu'à compter en quel degré de parenté on est à son mari; parce qu'on sera allié à la femme au même degré qu'on se trouvera parent à son mari. Par exemple, si Perrine a épousé mon pere qui étoit veuf, cette belle-mere devient mon alliée au premier degré de la ligne directe; si mon frere a épousé Marie, elle devient mon alliée au premier degré de la ligne collatérale; si mon cousin germain a épousé Jacquine, elle devient mon alliée au second degré de la ligne collatérale; si mon cousin issu de germain a épousé Claudine, elle devient mon alliée au troisieme degré de la ligne collatérale: il en est de même pour les autres degrés de parenté. (*Confer. sur le Mariage.*)

Quæres 3°. quis affinitatis gradus Matrimonium dirimat.

Resp. 1°. quocumque affinitatis gradu in linea recta dirimi Matrimonium. Nullum igitur est conjugium inter socerum, *beau-pere*, & nurum, *belle-fille*; inter socrum, *belle-mere*, & generum, *gendre, mari de la fille*; inter privignum, *beau-fils*, & novercam, *belle-mere*. Hinc S. Paulus tanquam nefandi sceleris eum arguit, qui uxorem patris sui duxerat. (1. *Cor.* 5. 1.)

Resp. 2°. Matrimonium in linea *collaterali* ultra quartum affinitatis gradum jure canonico non prohiberi, cùm de conjunctione licita agitur. Quapropter vir consanguineam defunctæ uxoris in quarto vel magis proximo gradu, uxorem ducere sine dispensatione non potest; idem de uxore viciſſim dicendum erga viri mortui consanguineos.

Resp. 3°. affinitatem ex conjunctione illicitâ sive extra Matrimonium ortam, nuptias ultra secundum gradum non dirimere; ita sancitum à Concilio Tridentino. *Sancta Synodus*, inquiunt Patres, *graviſſimis de cauſis adducta, impedimentum quod propter affinitatem ex fornicatione contractam inducitur, & Matrimonium poſteà factum dirimit, ad eos tantùm qui in primo & ſecundo gradu conjunguntur, reſtringit; in ulterioribus verò gradibus ſtatuit hujuſmodi affinitatem Matrimonium poſteà contractum non dirimere.* (*Seſſ.* 24. *de Reform. Matrim. cap.* 4.) Itaque si Petrus conjunctionem illicitam habuerit cum Maria, non potest absque dispensatione Matrimonium contrahere, vel cum sorore, vel cum *nepte* (gallicè, *niece*) ipsius Mariæ, quia soror in primo & neptis in secundo est gradu, & in utroque illo gradu affinitas ex illicitâ conjunctione orta Matrimonium dirimit.

ARTICULUS VIII.

De impedimentis clandeſtinitatis, amentiæ & impotentiæ.

De primo impedimenti genere jam ſatis diximus, ubi de conjugiis clandeſtinis diſputatum fuit; ſupereſt igitur ut de aliis duobus breviter diſſeramus.

Certum eſt ad contrahendum Matrimonium jure ipſo naturali inhabilem eſſe, qui perpetuâ laborat amentiâ; ratio eſt quòd hujuſmodi homines rationis & libertatis uſum non habeant, ſine quo nullus eſſe poteſt contractus. Si tamen jam celebratum Matrimonium ſubſequatur amentia, illud non diſſolvit; quòd ſi perpetua non ſit, & per lucida rationis intervalla initum fuerit conjugium, validum erit, quia tunc adeſt ſufficiens conſenſus. Sed illud genus homines à contrahendo Matrimonio, quantùm fieri poteſt, deterreri debent; tùm propter funeſtos qui ex recurrente amentia naſci ſolent effectus, tùm quia inter primarios Matrimonii fines numeratur congrua liberorum educatio, quæ ab hominibus tantâ infirmitate laborantibus vix ac ne vix quidem expectari poteſt.

Impotentia eſt defectus quo impeditur uſus matrimonii. Multiplex diſtinguitur: alia Matrimonium antecedit, alia ſubſequitur; alia *perpetua* eſt quæ ſcilicèt nullâ arte licitâ ſanari poteſt; alia *temporalis* quæ aliquo naturali remedio poteſt ſubmoveri; alia tandem *abſoluta* eſt quæ locum habet reſpectu omnium alterius ſexûs perſonarum, & alia *reſpectiva* quæ nimirùm locum non habet, niſi quoad aliquam perſonam: iis præmiſſis, hæc ſtatui ſolent.

1°. Sola antecedens perpetuaque impotentia eſt impedimentum dirimens; tùm quia ea ſola abſolutè impedit prolis generationem quæ finis eſt Matrimonii primarius, tùm quia impotentia ſubſequens, cùm ratum ſupponat Matrimonium, non poteſt illud dirimere, ut pote jure divino indiſſolubile: quæ verò temporalis eſt, ac Medicorum arte ſanabilis, cum omnem procreandæ prolis ſpem non adimat, Matrimonium diſſolvere non poteſt, cujus *actualis* uſus ad ipſius veritatem non requiritur.

2°. Impotentia *antecedens* & perpetua impedimentum eſt dirimens, ſive *abſoluta* ſit, ſive *reſpectiva* tantùm; utraque enim fini primario Matrimonii, nempè liberorum procreationi, adverſatur.

Quæres 1°. quid facto opus ſit cùm unus conjux de alterius impotentia conqueritur.

Reſp. Si perpetuam & antecedentem eſſe impotentiam conſtet, ſtatim ſeparandi ſunt conjuges; ſi verò de impotentia vel ejus perpetuitate non conſtiterit, jure canonico conceditur triennium, ut intra illud tempus quibus poteſt licitis & honeſtis modis explorata ſit impotentia; ſi tandem certa ſit, dirimatur Matrimonium & ſeparentur conjuges, niſi fortè ſimul tanquam frater cum ſorore vivere conſentiant. Extat eâ de re Cœleſtini III reſponſum. (*Titulo de frigidis, cap. Laudabilem.*)

Quæres 2°. Si quis poſt diſſolutum impotentiæ causâ Matrimonium, alteram accipiat uxorem ex qua prolem habeat, num tenebitur eam deſerere, & redire ad priorem? Ratio dubitandi eſt, quòd perpetua non fuerit ipſius impotentia, quâ tamen ſolâ dirimitur Matrimonium.

Reſp. teſte *Fevret*, hanc eſſe Galliæ noſtræ conſuetudinem, ut diſſoluto ſemel propter impotentiam conjugio, neceſſitas non imponatur conjugi qui ad novas nuptias convolavit, ad priorem uxorem redeundi, ſi forte deſierit ea quâ laborabat

impotentia. (*Traité de l'abus*, *liv.* 5. *ch.* 4. *n.* 13.) Cujus disciplinæ hæc esse videtur ratio, quòd perpetua esse queat impotentia viri respectu talis mulieris, quæ non sit respectu alterius.

Articulus IX.

De impedimento raptûs.

Quæres 1°. quomodò definiatur raptus.

Resp. Definiri potest; *Crimen quo femina à loco tuto extrahitur, & transfertur in locum ubi raptoris potestati subest, idque vel explendæ libidinis, vel Matrimonii contrahendi causâ.*

Dicitur 1°. *crimen*, quod societati civili ita perniciosum visum est, ut Regum nostrorum Edictis pœna mortis raptoribus decernatur. 2°. *Quo femina*, sive enim virgo, sive vidua, sive uxor alicujus per vim abducatur, perindè est ad raptum, quia leges omnibus salvam facere voluerunt Matrimonii libertatem. 3°. *Extrahitur*, vel physicè per injectas manus, vel *moraliter* per minas graves; item sive per se aliquis, sive per alios feminam rapuerit, nihil interest; in iis enim omnibus modis verus adest raptus. 4°. *E loco tuto*, sive ille sit parentum tutorumve domus, sive Monasterium, sive alius quilibet locus in quo mulier, ut violentiæ subduceretur, constituta fuerat. 5°. *Vel libidinis, vel Matrimonii causâ*, in utraque enim hypothesi reperitur tota raptûs natura.

Quæres 2°. quotuplex sit raptus.

Resp. Duplex distinguitur; alius *violentiæ* modò descriptus, quo scilicèt mulier reluctans & invita, è loco tuto per vim abducitur; alius *seductionis*, cùm nempè mulier blanditiis, promissis, illecebrâ voluptatis, aut quocumque alio modo seducta

raptorem, invitis iis à quibus pendet, volens sequitur.

Quæres 3°. quid de raptu statuat Concilium Tridentinum.

Resp. Raptu dirimi Matrimonium sic pronuntiat: *Decernit sancta Synodus inter raptorem & raptam, quandiù ipsa in potestate raptoris manserit, nullum posse consistere Matrimonium. Quòd si rapta à raptore separata & in loco tuto & libero constituta, illum in virum habere consenserit, eam raptor in uxorem habeat: & nihilominùs raptor ipse & omnes illi consilium, auxilium, & favorem præbentes, sint ipso jure excommunicati.* (*Sess.* 24. *de reform. matr. cap.* 6.)

Quæres 4°. an Concilium Tridentinum novam induxerit disciplinam.

Resp. novam ex aliqua parte disciplinam ab eo fuisse institutam: raptores enim ab omni spe conjugii cum rapta in perpetuum excludebantur perveteres quosdam Canones, v. g. Meldensis Concilii an. 847, quibus consentiunt Justiani Imperatoris Novellæ, (143. & 150.) Carolique Magni Capitularia: (*Lib.* 1. *cap.* 104.) Concilium verò Tridentinum hanc juris severitatem temperavit, dum noluit impedimentum raptûs esse perpetuum; sed tamdiù solùm permanere statuit, quandiù mulier sub raptoris potestate esset: adeò ut si ab eo separata, tutoque in loco constituta, illum habere in virum consentiat, ipsi nubere validè possit; sed priusquàm raptor eam ducat uxorem, excommunicationis in quam incurrerat absolutionem debet obtinere.

Quæres 5°. an solus violentiæ raptus Matrimonium dirimat.

Resp. Theologos extraneos quos sequitur *Cabassutius*, passim contendere, juxta Concilii Tridentini mentem, solum violentiæ raptum, non

verò seductionis, sive, ut aiunt, *subornationis*, impedimentum esse dirimens; sed longè probabilior est opposita quæ apud nos viget sententia.

1°. Quia procul dubio animum habuit Sancta Synodus id avertere, quod in raptu deterius est, ac sanctitati Matrimonii magis injuriosum: atqui talis est puellæ seductio quæ adjunctum habet raptum; plerumque enim multò facilius resistitur apertæ violentiæ quæ animum exasperat, nedùm conciliet, quàm insidiosis blanditiis, promissis, voluptatis illecebris, muneribus aut aliis artibus quæ sensim junioris puellæ virtutem labefactant.

2°. Quia Patres Tridentinos non latebat, alium esse raptum qui vi apertâ, alium qui seductione fieret: atqui tamen inter raptorem & raptam nullum posse consistere Matrimonium, absolutè & sine ulla distinctione pronuntiant; quinimò nulla est distinguendi causa, quia ipsa seductio non minùs parit malum, quàm violentia, & pariter familiarum pacem conturbat, ipsisque probrum & dedecus importat.

3°. Ideò Concilium Tridentinum inter raptorem & raptam impedimentum constituit, quia ista sub raptoris potestate est, nec proindè satis sui compos, nec in loco tuto & libero: atqui in seductionis non secùs ac violentiæ raptu, mulier est in raptoris potestate, nec proindè satis sui compos, nec in loco tuto & libero juxta Concilium Tridentinum; ergo non minùs seductionis, quàm violentiæ raptus, tanquam impedimentum dirimens juxta Patrum Tridentinorum mentem habendus est.

4°. Quia Edictum Blesense ab Henrico III sub ipsis Cleri Gallicani oculis, & eodem conspirante, concinnatum, Synodi Tridentinæ mentem assequi debuit: atqui in hujus Edicti articulo 42 de raptu seductionis ita statuitur: *Voulons que ceux qui se trouvent avoir suborné fils ou filles mineures de vingt-cinq ans, sous prétexte de mariage, ou*

autre couleur, sans le gré & le consentement exprès des pères, mères, ou des tuteurs, soient punis de mort. (*Guénois, Conférences des Ordonnances, liv. 5. tit. 2. sect. 6 & 7. tom. 1. pag. 705 & 706.*) Articulus ille à Ludovico XIII confirmatus est Edicto an. 1639, (*art. 2.*) additque ista verba Princeps Christianissimus: *Conformément aux saints décrets & constitutions canoniques*, Concilii nempè Tridentini & aliorum. Quapropter à supremis Judicibus irrita & nulla declarantur Matrimonia, eo ipso quòd seductionis fraude facta esse constat.

Sed, inquiunt adversarii, hæc sola fuit Concilii mens, ut conjugiorum libertati consuleretur: stat verò tota Matrimonii libertas, cùm mulier volens & consentiens adducitur.

Resp. junioris puellæ voluntatem, dolo & illecebris quas nemo potest auferre deceptam, non satis esse sui compotem, ut eam censeatur habere libertatem, quæ ad Matrimonium requiritur: atqui ubi intervenit raptus seductionis, voluntas puellæ decepta est ac veluti incantata, & quandiù seductoris à quo rapta fuit potestati subjacet, nullus est qui dolos, illecebras, artes quibus deluditur, possit depellere; ergo meritò censetur eam omnem libertatem non retinere, quæ ad contrahendum Matrimonium necessaria est.

Quæres 6°. quænam conditiones ad raptum seductionis requirantur.

Resp. oportere 1°. ut raptor puellam verbis, precibus, blanditiis, promissionibus, circumvenerit; 2°. ut è loco tuto abducta in raptoris potestatem transierit; 3°. ut res, insciis & invitis parentibus, peracta fuerit: si enim & ipsi consenserint, non erit raptui locus; 4°. ut puellæ & filii sint *minores*, & annum 25 non excesserint: qui enim *majores* sunt, nec parentum dominio, nec seductioni censentur obnoxii.

verò seductionis, sive, ut aiunt, *subornationis*, impedimentum esse dirimens; sed longè probabilior est opposita quæ apud nos viget sententia.

1°. Quia procul dubio animum habuit Sancta Synodus id avertere, quod in raptu deterius est, ac sanctitati Matrimonii magis injuriosum: atqui talis est puellæ seductio quæ adjunctum habet raptum; plerumque enim multò facilius resistitur apertæ violentiæ quæ animum exasperat, nedùm conciliet, quàm insidiosis blanditiis, promissis, voluptatis illecebris, muneribus aut aliis artibus quæ sensim junioris puellæ virtutem labefactant.

2°. Quia Patres Tridentinos non latebat, alium esse raptum qui vi apertâ, alium qui seductione fieret: atqui tamen inter raptorem & raptam nullum posse consistere Matrimonium, absolutè & sine ulla distinctione pronuntiant; quinimò nulla est distinguendi causa, quia ipsa seductio non minùs parit malum, quàm violentia, & pariter familiarum pacem conturbat, ipsisque probrum & dedecus importat.

3°. Ideò Concilium Tridentinum inter raptorem & raptam impedimentum constituit, quia ista sub raptoris potestate est, nec proindè satis sui compos, nec in loco tuto & libero: atqui in seductionis non secùs ac violentiæ raptu, mulier est in raptoris potestate, nec proindè satis sui compos, nec in loco tuto & libero juxta Concilium Tridentinum; ergo non minùs seductionis, quàm violentiæ raptus, tanquam impedimentum dirimens juxta Patrum Tridentinorum mentem habendus est.

4°. Quia Edictum Blesense ab Henrico III sub ipsis Cleri Gallicani oculis, & eodem conspirante, concinnatum, Synodi Tridentinæ mentem assequi debuit: atqui in hujus Edicti articulo 42 de raptu seductionis ita statuitur: *Voulons que ceux qui se trouvent avoir suborné fils ou filles mineures de vingt-cinq ans, sous prétexte de mariage, ou*

autre couleur, sans le gré & le consentement exprès des pères, mères, ou des tuteurs, soient punis de mort. (*Guénois, Conférences des Ordonnances, liv. 5. tit. 2. sect. 6 & 7. tom. 1. pag. 705 & 706.*) Articulus ille à Ludovico XIII confirmatus est Edicto an. 1639, (*art. 2.*) additque ista verba Princeps Christianissimus: *Conformément aux saints décrets & constitutions canoniques*, Concilii nempè Tridentini & aliorum. Quapropter à supremis Judicibus irrita & nulla declarantur Matrimonia, eo ipso quòd seductionis fraude facta esse constat.

Sed, inquiunt adversarii, hæc sola fuit Concilii mens, ut conjugiorum libertati consuleretur: stat verò tota Matrimonii libertas, cùm mulier volens & consentiens adducitur.

Resp. junioris puellæ voluntatem, dolo & illecebris quas nemo potest auferre deceptam, non satis esse sui compotem, ut eam censeatur habere libertatem, quæ ad Matrimonium requiritur: atqui ubi intervenit raptus seductionis, voluntas puellæ decepta est ac veluti incantata, & quandiù seductoris à quo rapta fuit potestati subjacet, nullus est qui dolos, illecebras, artes quibus deluditur, possit depellere; ergo meritò censetur eam omnem libertatem non retinere, quæ ad contrahendum Matrimonium necessaria est.

Quæres 6°. quænam conditiones ad raptum seductionis requirantur.

Resp. oportere 1°. ut raptor puellam verbis, precibus, blanditiis, promissionibus, circumvenerit; 2°. ut è loco tuto abducta in raptoris potestatem transierit; 3°. ut res, insciis & invitis parentibus, peracta fuerit: si enim & ipsi consenserint, non erit raptui locus; 4°. ut puellæ & filii sint *minores*, & annum 25 non excesserint: qui enim *majores* sunt, nec parentum dominio, nec seductioni censentur obnoxii.

CAPUT III.

De dispensatione citra Matrimonii impedimenta.

Dispensationis nomine intelligimus relaxationem legis prohibentis, ne Matrimonium hoc vel illo modo contrahatur, ab eo concessam qui potestatem habet : sic, v. g. Petrus & Catharina in quarto gradu consanguinei, à conjugio simul ineundo jure excluduntur ; attamen si dispensationem obtinuerint, legitimè Matrimonio junguntur.

Quæres 1°. utrùm omnia quæ recensuimus impedimenta, possint sine ullo discrimine ab Ecclesia relaxari.

Resp. non posse : cùm enim Ecclesia in jus naturale & divinum nihil potestatis habeat, penès eam non est ab iis impedimentis eximere, quæ jure divino vel naturali constituta sunt. Sic quia impotentia naturale est nuptiarum impedimentum, non potest Ecclesia homini qui hoc impedimento laborat, nubendi facultatem concedere. Pariter quia polygamia *simultanea* jure divino prohibita est, nullâ dispensatione licitam hanc facere potest Ecclesia ; superest igitur ut ab illis tantùm impedimentis solvere possit, quæ ipsa constituit : qui enim legem tulit, illam potest vel penitùs abrogare, si id expedire judicaverit, vel in quarumdam personarum gratiam justis de causis suspendere.

Quæres 2°. utrùm quacumque de causa possit hæc dispensatio concedi.

Resp. licitæ dispensationis duas tantùm esse cau-

sas, necessitatem nimirùm, vel insignem quamdam utilitatem. *Ubi necessitas urget*, ait S. Bernardus, *excusabilis dispensatio est, ubi utilitas provocat, dispensatio laudabilis est : ..... nam cùm nihil horum est, non planè fidelis dispensatio, sed crudelis dissipatio est.* (*Lib.* 3. *de consideratione, cap.* 4. *n.* 18.)

Dispensationis legitimæ causæ vulgò censentur 1°. bonum pacis vel restituendæ, vel confirmandæ, sive inter Regna, sive etiam privatas inter familias gravibus odiis à se invicem disjunctas, vel propè diem disjungendas, nisi huic malo per Matrimonium inter consanguineos ineundum occurratur ; 2°. angustia loci ex qua fit ut incolæ penè omnes affinitate aut consanguinitate conjuncti sint ; 3°. indotatæ puellæ conditio quæ non sine incontinentiæ, vel egestatis periculo futura est, nisi consanguineo eam sine dote accipienti nupserit ; 4°. scandalum grave aut peccatum præcavendum ; 5°. bonorum in eadem familia conservatio, quæ ad aliam transferri non solent sine magnis litibus & gravi familiæ totius dispendio ; 6°. meritorum erga Ecclesiam excellentia quam remunerari decet. In his aut similibus causis legitimè conceditur dispensatio, quâ liceat intra prohibitos affinitatis vel consanguinitatis gradus nubere.

Quæres 3°. cujus sit aliquo Matrimonii impedimento laborantibus dispensationem concedere.

Resp. 1°. ubi agitur de impedimentis prohibentibus, unumquemque in sua diœcesi Episcopum dispensare, si tamen excipias castitatis perpetuæ & Religionis vota. Hæc enim duo Summus Pontifex ita sibi reservat, ut ne quidem in jubilæis universalibus, dispensandi licentiam in ea re alicui faciat.

Resp. 2°. singulos Episcopos in sua inauguratione facultatem à Christo accepisse dispensationis pro quolibet impedimento, etiam dirimente in suis diœcesibus concedendæ, nullumque esse Ca-

nonem qui potestatem hanc Summo Pontifici, exclusis Episcopis, asserat; sed usus jamdudùm invaluit, ut pro obtinendis hujusmodi gratiis, ad Romanum Pontificem plerumque confugiatur, suo juri quasi renuntiantibus Episcopis, ut rariores essent dispensationes; quemadmodùm in quorumdam scelerum reservatione factum esse diximus in Tractatu de Pœnitentia. Qua de re legi possunt, Thomassinus, (*tom.* 1. *disciplinæ Ecclesiasticæ*), & Collationes Parisienses. (*Tom.* 3. *cap.* 5.)

Resp. 3°. quosdam Episcopos ex speciali locorum consuetudine, vel privilegio apostolico dispensare, alios in quarto, alios in tertio cognationis gradu.

Resp. 4°. in usu esse ut Episcopi, etiam absque speciali privilegio dispensent, 1°. quando Matrimonium bonâ fide contractum fuit cum occulto impedimento, si nec facilis sit ad Sedem Apostolicam aditus, propter conjugum paupertatem, locorum distantiam, aliasve causas similes, nec possint conjuges citra scandalum separari, vel urgeat Dei offendendi periculum; 2°. ubi, omnibus ad Matrimonium contrahendum præparatis, & assignatâ ad nuptias die admodùm proximâ, puella ex confessione detegit se impedimento dirimente irretitam esse, & nulla præter Episcopi dispensationem patet viâ quâ gravis scandali, suspicionis & infamiæ periculum effugere possit: nisi enim tùm cessaret reservatio quæ ad summos Pontifices ex sola consuetudine pertinet, jam in perniciem animarum, non verò utilitatem verteretur.

CAPUT IV.

De modo quo sese gerere debent Confessarii vel Parochi cum iis quos impedimento dirimente constringi animadvertunt.

QUÆRES 1°. quid agere debeat Parochus, cum ei denuntiatur aliquod inter sponsos impedimentum.

Resp. Quid agere tunc debeat sic monet S. Carolus Borromæus: *Si Parocho qui Matrimonium promulgavit, aliquod denuntiatur impedimentum, quamobrem inter sponsos illud contrahi non posse dicatur; is neque ad illius Matrimonii celebrationem, neque ad aliam progrediatur denuntiationem etiamsi id impedimenti quod affertur vel falsum vel malitiosum sibi videatur, vel nullius momenti; sed rem ad Archiepiscopum deferat: si verò longiùs distat, Vicarium foraneum de impedimento quod proponitur, certiorem faciat, neque de eo quidquam antè statuat, quàm de eo quid faciendum sit, responsum acceperit.* (*Synod. Mediol.* 3. *in* 2. *part. actorum Eccles. Mediol.*) Ad feliciorem rei exitum exigere debet Parochus, ut impedimenti declaratio, & causæ quibus nititur, sibi in scripto tradantur, & à duobus testibus, ab ipsoque revelante, si fieri potest, subscribatur; debet & tacitè totius rei veritatem inquirere. Ita Cardinalis *le Camus* suis in statutis. (*Tit.* 6. *art.* 9. *Sect.* 4. *n.* 7.)

Si fama popularis nupturos alicujus impedimenti accuset, hæc sufficit ad suspendendam Matrimonii celebrationem. Ubi Parochus, rebus maturè expensis, rumores illos, ut sæpè fit, inanes esse comperit, & sponsi factum cum juramento inficiantur, tunc poterit ipsis nuptialem bene-

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

dictionem impertire ; ad Episcopum verò eos remittet, si quid solidi in iis rumoribus deprehendat. (*Ita Collator Andegavensis, tom. 1. de Matrim. pag. 150. & seq.*)

Ubi Parochus solus, etiam extra confessionem, impedimentum cognovit, quod probare nequeat, quodque negent sponsi, iis non potest benedictionem nuptialem recusare, postquàm eos à Matrimonio contrahendo deterrere conatus fuerit : testis simul & judex esset, quod minimè decet. Eo in casu ad Episcopum prudenter confugiet, ad quem maximè pertinet de hujusmodi rebus judicium.

Quæres 2°. quid agendum erit, si ex pœnitentis confessione detegatur impedimentum aliquod dirimens & secretum, quod alteri sponso prorsùs incognitum sit.

Resp. Graviter admonendus erit pœnitens ne ultrà progrediatur. Si propositum Matrimonium differri nequeat sine vel scandalo, vel maximo partium damno, à pœnitente exigere debet Confessarius, ut dispensationem ab Episcopo postulet, utque Matrimonium non contrahat, nisi priùs eam obtinuerit. Si impedimentum, quamvis secretum, alteri sponso innotuerit, prudenter curabit Confessarius ut inter eos conveniat de Matrimonii celebratione differendâ, donec à Romano Pontifice concessa fuerit dispensatio. Huic autem consilio si obtemperare detrectaverint propter scandali, vel gravis alicujus damni metum, debent saltem ad Episcopum confugere, ut ante nuptias ab eo dispensationem obtineant. Ubi verò publicum est impedimentum, Matrimonium celebrare non licet, nisi Româ venerit dispensatio, si fuerit Papæ reservata. Hanc expectare debent, quamvis omnia essent ad celebrandas nuptias parata.

Quæres 3°. si tardiùs sponsi ad pœnitentiæ tri-

bunal accesserint, ita ut tempus non suppetat ad Episcopum confugiendi, ante diem contrahendo Matrimonio præfinitam, & detegatur impedimentum aliquod dirimens, si, v. g. puella in confessione declararet se crimen cum sponsi sui fratre commisisse, dum celebrandis nuptiis parata sunt omnia ; quid in istis rerum augustiis agendum erit ?

Resp. 1°. Ut hujusmodi incommodis occurratur, debent Parochi eos qui nuptias meditantur vehementer hortari, ut maturè ad pœnitentiæ tribunal accedant. Si enim ad ipsum Matrimonii contrahendi tempus confessionem remittant, contingere poterit ut quædam impedimenta deprehendantur, quibus difficillimè, nec sine gravibus aliquandò querelis, remedium afferri solet. Quam cautionem præsertim adhibere debent Parochi, qui longiùs ab urbe episcopali distant.

Resp. 2.°. Maximè cavendum est ne aliqua suboriatur occulti criminis suspicio. Cui malo ut ocurratur, duplex remedium proponere solent Theologi : 1°. puellæ suadere poterit Confessarius, ut castitatis votum emittàt pro certo tempore, quale requiritur ad obtinendam dispensationem. Deindè suis parentibus dicet à se castitatis votum Deo factum, nec posse modò nubere, nisi priùs circa illud dispensationem obtinuerit. Eo prætextu dabitur tempus dispensationem circa impedimentum dirimens impetrandi, citra scandalum & sine ulla personæ injuria, cujus dilatum fuerit Matrimonium. 2°. Si prius remedium vel personis vel circumstantiis non conveniat, istud alterum fortè utiliùs adhibebitur : scilicèt puellæ consulere poterit Confessarius, ut Monasterium aliquod ingrediatur sub obtentu suam probandi *vocationem*, aut maturiùs de suo Matrimonio deliberandi : interim urgebitur dispensationis concessio. Ita Collatores Andegavenis & Lucionenis, D. *le Camus* Episcopus Gratianop. in Theologia morali, aliique plurimi.

Resp. 3°. Si neutrum ex iis consiliis, nec aliud quod suggerere posset prudentia, sequi sponsa voluerit, sed ulteriùs procedere, tunc ipsi gravibus verbis exponet Confessarius, quantum sit crimen Matrimonium contrahere cum impedimento dirimente, quot difficultates & pericula, quot animi sollicitudines sibi paret. Denique si eam à proposito Matrimonio deterrere nequeat, illiusque celebrationem sponsa contumaciter urgeat, non poterit Parochus suum ipsi ministerium denegare, tenebiturque eam Matrimonio jungere, ne in revelatæ Confessionis suspicionem incurrat.

Quæres 4°. quando, post celebratum Matrimonium, detegitur illud contractum fuisse cum impedimento dirimente quod publicum sit, quomodò se geret Parochus?

Resp. Conjugibus præcipiendum est ut sine ulla cunctatione sese à thoro & habitatione segregent, sicque à se invicem disjuncti vivant, donec dispensationem obtinuerint; quâ impetratâ, necesse est ut palàm in Ecclesia coram Parocho & testibus consensum renovent. Aliud enim remedium afferri non potest scandalo quod excitârunt hujusmodi nuptiæ.

Quæres 5°. Si Parochus ex conjugum confessione detegat inter illos esse impedimentum dirimens quod prorsùs occultum sit, ab iisque ignoratum, tenebiturne illos conjuges admonere, qui se legitimè conjunctos putant, quamvis ipsorum Matrimonium sit irritum & invalidum?

Resp. 1°. Aliquandò maximum est periculum ne ex impedimenti declaratione gravia nascantur incommoda, ut infamia, odium, perpetuum divortium: tunc juxta D. *de Sainte-Beuve*, aliosque plurimos, satius est impedimentum conjugibus reticere, eos in ipsorum bonâ fide relinquere, & omnia divinæ misericordiæ permittere. Credendi enim locus est hujusmodi conjuges, propter suam

bonam fidem, esse à Deo veniam consecuturos.

Erga eos autem aliter agendum erit, si impedimentum dirimens non ecclesiastici tantùm, sed juris sit naturalis; vel quando affectata est ipsorum ignorantia; cùm enim tunc non sit invincibilis, eos à peccato non excusat. In duplici illo casu erga conjuges sese gerere debet Parochus, quasi impedimentum illud reipsà cognovissent: illud enim nosse potuissent, vel suum Parochum, vel Confessarium, vel alios homines peritos consulendo.

Resp. 2°. Quando ex impedimenti declaratione nihil prævidetur periculi, quia conjuges vitam agunt verè christianam, suis Pastoribus omninò subjiciuntur, & sibi invicem sunt conjunctissimi; si moraliter certus sit Confessarius, fore ut maritus & uxor novo consensu Matrimonium suum efficiant ratum & validum, & tanquam frater ac soror vivant, donec impetrata fuerit dispensatio: tunc eos debet de impedimento admonere, ut ratas faciat ipsorum nuptias, cùm hujus rei licentiam ab Episcopo acceperit, quæ sine mora postulanda est. Interim nulla esse debet inter conjuges thori societas: ex quo enim irritum esse ipsorum Matrimonium certiores facti sunt, jam cessat bona fides, nec possunt tanquam maritus & uxor simul vivere. Dispensationem igitur obtineant necesse est, ut tanquam veri conjuges sese gerere licitè possint.

Quæres 6°. ubi impedimentum ita est occultum, ut ab eo tantùm conjuge cognoscatur qui ipsi locum dedit, quid faciet Confessarius?

Resp. Necesse est ut conjux cujus delictum impedimento locum dedit, sui Confessarii interventu ab Episcopo facultatem obtineat ipsum absolvendi, impedimentumque tollendi, ut ratum fiat Matrimonium. Si verò dispensationem concedere nequeat Episcopus, ad Romam confugien-

dum erit. Debitum conjugale nec postulare, nec reddere potest conjux reus, donec impetrata fuerit dispensatio, & nuptiæ convaluerint. Opus est præterea ut renovetur mutuus conjugum consensus. Cùm enim uterque ad contrahendum esset inhabilis, utriusque consensus pariter inanis fuit. Aliundè non efficit dispensatio ut Matrimonium anteà irritum, deinde validum sit; sed personas idoneas tantum facit ad illud contrahendum. Quamobrem hujusmodi dispensationum formulæ apponi solet hæc clausula: *De novo præstito consensu.*

Quæres 7°. quomodò eliciendus sit novus ille consensus.

Resp. Quidam Theologi putant non opus esse, ut conjux impedimenti conscius, alteri manifestet nullum esse ipsorum Matrimonium, ad obtinendum ab eo novum consensum. *Sufficit*, inquiunt, *v. g. ut vir dissimulanter petat ab uxore, ut pro sua consolatione ipsum habeat in conjugem, & ipse similiter dicat: Ego quoque volo te in uxorem habere.* Periculum enim est, aiunt illi Theologi, ne alter conjux, cognito Matrimonii vitio, novum deneget consensum, eamque ocasionem arripiat sese in libertatem restituendi.

Alii verò Theologi existimant non opus quidem esse ut reus conjux alteri impedimentum declaret, quo irritum factum est Matrimonium: sed contendunt ab eo commonendum esse alterum conjugem, ipsius consensum prorsus inanem fuisse, nisi prævideatur ex ea declaratione secutura esse incommoda iis graviora, pro quibus vitandis adhibetur. Ratio est quòd alter conjux impedimenti nescius, ignoret sibi liberum esse consensum dare vel denegare. Si Matrimonium nullum fuisse cognosceret, illud fortassis ratum facere nollet. Novus igitur quem præbet consensus, cum errore nitatur, novam non inducit obligationem.

Resp. 2°. Cum gravissimis difficultatibus obnoxia sit hæc materia, ut ab iis sese feliciter expediant Confessarius, eam quâ indiget sapientiam à *Patre luminum* postulare debet, precibus jejunio conjunctis, priusquàm conjugibus de renovandi sui consensûs modo quidquam suadeat, ipsorum ingenium, mores, indolem, propensiones & conditionem diligenter expendat; rem totam Episcopo, si fieri possit, detegat, antequàm ullum suo pœnitenti det consilium.

Tres potissimum modos proponunt Theologi; quibus in isto casu renovari possit mutuus conjugum consensus.

Primus est, quòd impedimenti conscius ignoranti generatim indicet nullum fuisse priorem consensum & novum exigat, dicendo, v. g. Suspicor te uxorem meam non esse; ideò rogo te ut propter conscientiæ meæ tranquillitatem, denuò pro conjugibus nos habeamus; quapropter ego quidem libentissimè iterum te accipio in uxorem, & opto ut ipsa etiam iterum velis pro marito me habere. Ea verò si pariter suum renovet consensum, tunc ratum erit Matrimonium.

Secundus est ut conjux qui impedimento locum dedit, alterum qui illud ignorat his vocibus amicè compellet: Ego te ita diligo, ut etiamsi inter nos Matrimonium non esset, nihilominus te acciperem in conjugem, & reipsâ nunc ita te accipio; mene pariter sic amas ut, si Matrimonio non jungeremur, denuò illud contraheres? an similiter nunc in conjugem me accipis? si respondeat alter, accipio, convalescit Matrimonium. *Ignarus enim impedimenti*, inquit Sylvius, *non solùm in Matrimonio prius contracto vult permanere, sed etiam novum inire, si primum non valuerit.*

Tertius modus est ut conjux impedimenti conscius alteri dicat, se à principio, ut par erat, non consensisse, quia ea de re non satis eruditus fuit, ideòque ex consilio Confessarii ad cons-

cientiæ ſecuritatem oportere, ut ambo invicem conſenſum renovent. Quapropter ipſe quidem vult libentiſſimè eam accipere in uxorem, & optat ut ipſa etiam iterùm velit pro marito eum habere; ſi verò ea tunc quoque ſuum conſenſum inſtauret, firmum erit Matrimonium.

Quæres 8°. ſi impedimentum quo irritum factum eſt Matrimonium hujuſmodi ſit, ut nulla impetrari queat diſpenſatio, quid agendum erit.

Reſp. Si ea impedimenti natura ſit, ut concedi nequeat diſpenſatio; ſi, v. g. oriatur ex conſanguinitate in primo gradu, ex priori Matrimonio quod adhuc ſubſiſtit, ex ſolemni Religionis voto, ex ſacris Ordinibus quibus alter conjugum erat conſtrictus: tunc abſque morâ cogendi ſunt ambo conjuges ad perpetuam ſeparationem. Curare debet bonæ fidei conjux, ut ipſius Matrimonium declaretur irritum in foro diœceſis eccleſiaſtico (*officialité*) ubi contractum fuerat: alioqui non poſſet ad novas convolare nuptias. Certum eſt, ſi conjux qui irritum eſſe ſuum Matrimonium contendit, impedimentum allegaverit juris divini vel naturalis, eum eſſe ad probationem admittendum; nulla enim eſt contra utrumque jus illud præſcriptio, nec circa hujuſmodi impedimentum diſpenſationem unquam concedit Eccleſia.

DISSERTATIO VI.

De ſolemnitatibus Matrimonii.

UT ſolemne ſit Matrimonium, præter Parochi & teſtium præſentiam, parentumque conſenſum, requiruntur *ſponſalia*, gallicè *fiançailles*, & publicæ futuri conjugii proclamationes, quæ *banna* vulgò nuncupantur; de iis duobus ultimis ſupereſt ut differamus.

CAPUT PRIMUM.

De ſponſalibus.

SPONSALIA in Rituali Pariſienſi definiuntur, *promiſſio mutua & deliberata futuri & aliquandò contrahendi Matrimonii, ſufficientibus verbis aut ſignis declarata, inter perſonas ad contrahendum habiles & idoneas.* Sponſalia duplicis ſunt generis, alia in Eccleſia coram Sacerdote, adhibitis ſolemnibus precum formulis, celebrantur; alia ſine Sacerdote inter utrumque ſponſum, voce vel ſcripto fiunt: priora dicuntur *eccleſiaſtica*, & ubicumque præcipiuntur, ſine gravi peccato prætermitti nequeunt; poſteriora ſunt merè civilia, ſive futuri Matrimonii conditiones, de quibus inter conjuges circa bona temporalia convenit, hæcque in multis Galliæ diœceſibus ſufficiunt.

Quæres 1°. quæ cauſæ ſint ſponſalia Matrimonio præmittendi.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

cientiæ ſecuritatem oportere, ut ambo invicem conſenſum renovent. Quapropter ipſe quidem vult libentiſſimè eam accipere in uxorem, & optat ut ipſa etiam iterùm velit pro marito eum habere; ſi verò ea tunc quoque ſuum conſenſum inſtauret, firmum erit Matrimonium.

Quæres 8°. ſi impedimentum quo irritum factum eſt Matrimonium hujuſmodi ſit, ut nulla impetrari queat diſpenſatio, quid agendum erit.

Reſp. Si ea impedimenti natura ſit, ut concedi nequeat diſpenſatio; ſi, v. g. oriatur ex conſanguinitate in primo gradu, ex priori Matrimonio quod adhuc ſubſiſtit, ex ſolemni Religionis voto, ex ſacris Ordinibus quibus alter conjugum erat conſtrictus: tunc abſque morâ cogendi ſunt ambo conjuges ad perpetuam ſeparationem. Curare debet bonæ fidei conjux, ut ipſius Matrimonium declaretur irritum in foro diœceſis eccleſiaſtico (*officialité*) ubi contractum fuerat: alioqui non poſſet ad novas convolare nuptias. Certum eſt, ſi conjux qui irritum eſſe ſuum Matrimonium contendit, impedimentum allegaverit juris divini vel naturalis, eum eſſe ad probationem admittendum; nulla enim eſt contra utrumque jus illud præſcriptio, nec circa hujuſmodi impedimentum diſpenſationem unquam concedit Eccleſia.

DISSERTATIO VI.

De ſolemnitatibus Matrimonii.

UT ſolemne ſit Matrimonium, præter Parochi & teſtium præſentiam, parentumque conſenſum, requiruntur *ſponſalia*, gallicè *fiançailles*, & publicæ futuri conjugii proclamationes, quæ *banna* vulgò nuncupantur; de iis duobus ultimis ſupereſt ut differamus.

CAPUT PRIMUM.

De ſponſalibus.

SPONSALIA in Rituali Pariſienſi definiuntur, *promiſſio mutua & deliberata futuri & aliquandò contrahendi Matrimonii, ſufficientibus verbis aut ſignis declarata, inter perſonas ad contrahendum habiles & idoneas.* Sponſalia duplicis ſunt generis, alia in Eccleſia coram Sacerdote, adhibitis ſolemnibus precum formulis, celebrantur; alia ſine Sacerdote inter utrumque ſponſum, voce vel ſcripto fiunt: priora dicuntur *eccleſiaſtica*, & ubicumque præcipiuntur, ſine gravi peccato prætermitti nequeunt; poſteriora ſunt merè civilia, ſive futuri Matrimonii conditiones, de quibus inter conjuges circa bona temporalia convenit, hæcque in multis Galliæ diœceſibus ſufficiunt.

Quæres 1°. quæ cauſæ ſint ſponſalia Matrimonio præmittendi.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

Resp. hoc ita fuisse institutum 1°. ut, interjecto tempore, deprehendi possit nihilne sit quod futurum Matrimonium dirimat vel prohibeat; 2°. ut sponsus uterque assiduis orationibus, præmissâque saltem pœnitentiâ, ab obtinendam Sacramenti Matrimonii gratiam sese compararent; 3°. ut Matrimonium tot incommodis, molestiis & difficultatibus obnoxium, maturiori consilio celebrarent.

Quæres 2°. quænam sit præmittendorum sponsalium necessitas.

Resp. ea non ita esse necessaria, ut nisi præcesserint, irritum sit Matrimonium: ratio est, quòd consistat in mutua corporum traditione quæ fieri potest sine prævia tradendi promissione, quemadmodùm valida est domûs venditio, sine præmisso de ea vendenda pacto; res enim quælibet validè datur, quamvis in antecessum promissa non fuerit. Graviter tamen peccaret, qui sponsalia ecclesiastica voluntariè iis in locis prætermitteret, in quibus præcipiuntur; sine peccato enim negligi non potest ritus ab autoritate legitima, & graves ob causas præscriptus, qualia sunt sponsalia.

Quæres 3°. à quibus validè sponsalia contrahi possint.

Resp. ab iis solis validè fieri, qui intelligunt quid agant: hinc ante septimum ætatis annum jure ecclesiastico irrita sunt sponsalia, quia rarò ante hanc ætatem sufficiens est deliberatio: *Pronuntiamus*, inquit Innocentius III, *inter juvenem & puellam ..... sponsalia non fuisse contracta, cùm constet puellam nondum ad septennium pervenisse.* (*Decretal. pag.* 1456.) Quamvis autem jure communi impuberum sponsalia pro ratis & veris habeantur, hodierno tamen more ad ea non facile, nec sine speciali Superioris licentiâ admittuntur, & quidem merito; septennis quippè ætas nondùm judicatur ceteris qui inter homines fieri

fieri solent contractibus perficiendis idonea, propter rationis imbecillitatem; quantò minùs igitur censeri debet contrahendis sponsalibus habilis, quæ in pactionibus humanis præcipuum obtinent locum?

Quæres 4°. quis sit sponsalium ecclesiasticorum Minister, & quæ sint ipsius erga sponsos officia.

Resp. Sponsalium ecclesiasticorum Minister solus est Parochus, aut Sacerdos qui ejus vices gerit: qua de re consentiunt omnes libri rituales. Parochi autem officium est 1°. sponsuros de fidei rudimentis interrogare; quæ si nescierint, neque ad sponsalia, neque ad Matrimonium admittendi sunt, ut præscribunt Rituale Romanum, & S. Carolus tùm in Concilio V Mediolanensi, tùm in instructionibus. 2°. Debet Parochus à desponsandis inquirere utrùm ab omni impedimento sint liberi, & ea, si quæ sit suspicio, sigillatim exponere; ipsos de Matrimonii sanctitate admonere, ne scilicèt reverentiam divino sacramento debitam lædant, & Sacerdotis qui Christi Personam gerit, benedictionem in perniciem suam convertant; debet illos de officiis quæ ad statum conjugalem pertinent certiores facere; ab iis sciscitari utrùm maturo consilio, nemine cogente, ad fidem sibi mutuò promittendam accesserint; eos monebit nihil ipsis amplius post sponsalia licitum esse, quàm anteà; contrà verò eo cautiùs ac sanctiùs vivendum quò majora iis imminent pericula, et propius instat Matrimonii celebratio. Hortabitur ut tempus inter sponsalia & nuptias interpositum, junioris Tobiæ & Saræ exemplo, in orationibus consumant quibus divinam gratiam advocent. Denique suadebit ut excludatur conviviorum apparatus, quæ ebrietatem, obscœna verba, choreas et alia id genus provocant, quibus Sacramenti gratia extinguitur.

Quæres 5°. utrùm sponsalia Matrimonii contrahendi obligationem pariant.

Resp. idem de sponsalibus, ac de quovis alio contractu esse debere judicium: atqui hæc contractuum omnium natura & conditio est, ut statim ac celebrati sunt, vim obligandi habeant, & contrahentes iis stare teneantur; pariter ergo sponsalia ex mutuo consensu pacta liberandæ fidei obligationem important: *Ex tali promissione*, inquit S. Thomas, *obligatur unus alteri ad Matrimonium contrahendum, & peccat mortaliter non solvens promissum, nisi legitimum impedimentum interveniat.* (*In 4. dist. 27. q. 2. art. 1. ad 2.*)

Quæres 6°. utrùm ad Matrimonium cogendus sit, qui datam in sponsalibus fidem exsolvere sine justa causa renuit.

Resp. 1°. eum in conscientiæ foro per absolutionis dilationem compelli debere; ratio est, quòd absolvi nequeat, qui gravis injustitiæ reus est, eamque reparare detrectat: atqui ex dictis, talis est qui datam in sponsalibus fidem frangit; ergo, &c.

Resp. 2°. eum tamen non esse in foro exteriori cogendum, propter gravia quæ ex conjugiis non satis liberè factis sequuntur incommoda. Ita statuit Lucius III, qui consultus quâ censurâ compelli debeat mulier quæ, violatâ juramenti religione, huic nubere renuit cui se nupturam interposito juramento promiserat, sic respondet: *Cùm libera esse debeant Matrimonia, monenda est potiùs mulier, quàm cogenda, cùm coactiones difficiles soleant exitus frequenter habere.* (*Decretal. pag.* 1431 & 1432.) Talis est apud nos ecclesiastici fori jurisprudentia: unde per censuras non compellitur sponsus ad Matrimonium, quamvis nullam habeat resiliendi causam; sed *Officialis*, postquàm omnem operam frustrà navavit, ut eum ad saniorem mentem reducat, mulctam pecuniariam ipsi imponit, pauperibus erogandam: ii sunt ipsius potestatis limites. Ad laicum enim Judicem recurritur, qui

de resarciendis illatis hâc perfidiâ damnis pronuntiet.

Quæres 7°. quænam sint dissolvendorum sponsalium causæ.

Resp. Plurimæ sunt quas seorsim exponemus.

CAUSA I.

Solvuntur sponsalia ex mutuo liberoque sponsorum consensu, quo sese invicem ab implendæ promissionis obligatione liberos faciunt; modò tamen sint puberes. Nequeunt enim impuberes, etiam ex mutuo consensu, à vinculo sponsalium eximi, idque prudenter statutum, ne scilicèt propter puerilis ætatis levitatem et inconstantiam, nova sæpiùs contrahant sponsalia & rescindant.

CAUSA II.

Cùm sponsorum alter Religionem aliquam ingreditur, sponsalia dirimuntur ex parte illius qui in sæculo remanet, & cui proindè licitum est, non expectatâ alterius professione, cum alio contrahere, sed minimè dirimuntur ex parte illius qui Religionem ingressus est; si ergo solemnia non emittat vota, debet fidem datam servare, cùm alter petierit.

Prob. prima pars, quia sponsus per suum in Religionem ingressum declarat se juri suo renuntiare, dum statum amplectitur qui sociari non potest cum ejusdem juris usu; ergo qui in sæculo remanet à contracto debito solvitur; durum enim esset eum toto plerumque anno incertum professionis tempus expectare.

Prob. secunda pars, 1°. quia in Religionem ingressus, nec inhabilem facit ad Matrimonium, nec probat sponsum alterum qui in sæculo remanet juri suo renuntiare; 2°. quia jure canonico

sponsalium dissolutio soli Religionis professioni tribuitur; 3°. quia sic instituì debent leges, ut non pateat fraudi aditus: pateret autem in hypothesi contraria, cùm unicuique, ut à sponsalium jugo liber fieret, satis esset Religionis habitum induere, paulò post exuere, & cui vellet nubere.

CAUSA III.

Certum est per sacros Ordines receptos dirimi sponsalia, quia Matrimonium excludunt, ut alibi probavimus: non solvuntur autem per Ordines Minores ex parte viri; tùm quia id nullo jure statuitur; tùm quia eos Ordines qui nullum pariunt vinculum, recipiendi facilitas latum dolis & fraudibus aditum aperiret.

An verò per simplex castitatis votum dissolvantur sponsalia, disputant Theologi. Utraque sententia insignes habet defensores; sed longè probabilior videtur eorum opinio, qui negant in casu de quo agitur dirimi sponsalia. 1°. Quia ita docet S. Antoninus: *Si sponsalia præcedunt votum castitatis, tunc votum non impedit, vel dirimit sponsalia.* (3. *part. tit.* 1. *cap.* 10. *sect.* 2.) 2°. Quia ex vulgata juris regula, non licet votum cum alterius injuria emittere: atqui gravem injuriam alteri infert, qui post sponsalia votum castitatis emittit; ergo non valet hujusmodi votum, nec dirimit sponsalia: Deus enim coli non vult cum alterius injuria. 3°. Quia in sententia quam refellimus, obligationem quam pariunt sponsalia facilius esset eludere; sponsis enim quos iniit fœderis pigeret, in promptu foret castitatem Deo vovere. 4°. Quia non debet nova dirimendorum sponsalium causa induci sine Ecclesiæ decreto: atqui nullâ Ecclesiæ lege sancitum est, ut votum castitatis sponsalibus supervenieus eadem dissolvat.

Objiciunt adversarii 1°. S. Thomam qui sic pronuntiat; *Propter votum simplex castitatis sunt sponsalia dirimenda; (Supplem. q. 43. art. 3. ad 1.)* 2°. S. Antoninum cujus hæc sunt verba: *Si duo vincula disparis potentiæ imcompossibilia contrahantur, fortius repellit minùs forte: (ubi suprà.)* atqui fortius est vinculum voti, quàm promissionis homini factæ, etiam juramento confirmatæ; 3°. in sponsalibus subintelligi conditionem hanc, *nisi meliorem statum elegerint*: atqui status castitatis conjugali præstat.

Resp. Hæc argumenta non videri satis gravia: 1°. enim verba S. Thomæ de voto quod sponsalia præcesserit intelligi possunt, sicque ab insignibus nonnullis ejus discipulis accipiuntur, & saltem sunt æquivoca; non possunt igitur expressam S. Antonini suprà laudati autoritatem elidere; 2°. non fortius est vinculum quod nullum est: atqui nullum est castitatis votum simplex post sponsalia factum; siquidem non sine gravi alterius injuria emittitur, fraudique latam aperit viam; 3°. fatentur adversarii, saltem plures, non posse desponsatum sine alterius partis libero & maturo consensu, simplicem, id est, sine adjuncto voto, cælibatûs statum amplecti: atqui tamen melior est statu conjugali; ergo non possunt adversarii in suæ opinionis gratiam afferre generalem hanc conditionem, quam volunt in sponsalibus subintelligi, *nisi meliorem vitæ statum elegerint.*

CAUSA IV.

Dirimuntur sponsalia per subsequens Matrimonium cum alio contractum; tùm quia ita declarat Gregorius IX: *Matrimonium non potest separari intuitu desponsationis de futuro, etiamsi juramentum intervenerit*; (*Lib. 4. Decretal. tit. 1. cap. 31. pag. 1444.*) tùm quia Matrimonium est vinculum quibuscumque sponsalibus fortius: qui tamen hujusmodi Matrimonium contraheret, gravissimè contra justitiam peccaret, fidem in sponsalibus obligatam violando.

Sed aliud esse debet judicium de secundis sponsalibus, quæ prima dissolvere non possunt: posteriora enim nulla sunt & invalida, quia contra fidem alteri datam cum gravi illius injuria contrahuntur. Hæc tamen de eo intelligenda sunt, qui ad secunda spolia transiit: alter enim sponsus innocens à fide data liber evadit. Nam perfidus qui novis sese obstringit sponsalibus, palàm testatur se prioribus renuntiare.

CAUSA V.

Dissolvuntur sponsalia per affinitatem supervenientem, sive *carnalis* illa sit, v. g. quia sponsus rem habuit cum suæ sponsæ consanguineâ in primo vel secundo gradu; sive *spiritualis*, quia de sacro Baptismatis fonte filium sponsæ suscepit. Ratio est, quia inter eos non potest consistere Matrimonium propter affinitatem illam quæ, ut jam diximus, est impedimentum dirimens.

CAUSA VI.

Constat apud omnes, si desponsatorum alteruter in fornicationem incidat, hoc crimen ad sponsalium dissolutionem sufficere; quia, juxta regulam juris in Sexto, *frustrà sibi fidem quis postulat ab eo servari, cui fidem à se præstitam servare recusat.* Hæc autem dirimendorum sponsalium facultas soli competit innocenti, non reo: ut enim alia fert juris regula, *nemo ex delicto meliorem suam conditionem facere potest*: meliorem autem faceret reus, cui propter crimen suum liceret resilire. Quapropter si puella sponsum, licet violatæ fidei reum, ad conjugium compellere velit, is tenebitur obsequi, vel damnum compensare.

CAUSA VII.

Si sponsus absque consensu sponsæ, domicilium

in aliam civitatem transferat, vel in regionem dissitam commigraverit, potest sponsa fidem alii dare; rem ita definit Alexander III: *Qui præstito juramento promittunt se aliquas mulieres ducturos, & postea ..... dimittunt terram, se ad alias partes transferentes, ... liberum erit mulieribus ad alia se vota transferre.* (*Lib. 4. Decretal. tit. 1. cap. 5. pag.* 1422.) Prætereà sponsus inconsultam dimittens sponsam, & aliò se conferens, censetur illius amicitiam aspernari, suoque in eam juri renuntiare.

Si tempus inter contrahentes præfixum fuerit, hoc elapso, resilire ei licitum est per quem non stat quominùs celebretur conjugium, quia ex juris regula, *contractus ex conventione legem accipere dignoscuntur*; cùm ergo contractus sub eo pacto initus est, ut cuique contrahenti liberum esset post certum tempus resilire, non peccat qui jure suo utitur.

Quidam tamen casum excipiunt, in quo mora sponsi esset planè extra culpam, qui ex jure non dissolvuntur sponsalia, nisi ex parte illius *per quem non stetit quin ad statutum tempus Matrimonium consummaverit*, id est contraxerit. (*Ibid. cap. 22. pag.* 1436.) Atqui ubi sponsus sine ulla culpa moram facit, per eum non stat quominùs contrahatur Matrimonium. Nonne inhumana videretur sponsa quæ suam promissionem revocaret, quia sponsus ipsâ quâ nubendum erat die non adfuit, quòd patrem morientem inviserit, vel tumulo mandaverit? Aliter verò sentiunt nonnulli Theologi: tunc saltem consulendus est Judex ecclesiasticus qui dissolutioni non acquiescet, nisi deprehendat sponsos mentem à se invicem alienam & aversam gerere, & ideò datam resiliendi occasionem vel prætextum arripere.

CAUSA VIII & IX.

Cùm adversùs sponsalia ante annos pubertatis contracta reclamant puberes, ipsorum dissolutionem obtinent. Huic enim tenellulæ ætati id privilegii leges concessêre. Ad sponsalium etiam dissolutionem sufficit notabilis rerum mutatio. Ratio est, quia promissio non obligat ultra promittentis intentionem : atqui sponsi non censentur Matrimonium sibi mutuò polliceri, nisi sub tacitâ saltem hac conditione : *Modò res in eodem statu permanserit, vel modò non contigerit insignis rerum mutatio.* Itaque dissolvi poterunt sponsalia, cùm alteruter contrahentium in lepram, paralysim, aut cæcitatem inciderit ; item quando notabilis deformitas, qualis est alicujus membri mutilatio, supervenit : idem dicendum de bonorum jactura, & fortunæ subversione ; ut si quis ex divite factus sit pauper. Locum etiam habet dissolutio, cùm aliquid ex iis quæ diximus, vel aliud simile anteà latens, post sponsalia detegitur, ut quando puellam quæ putabatur legitima, nobilis, dives, virgo, talem non esse comperitur ; quia in hac hypothesi gravis est rerum mutatio respectu ignorantis.

Quæres ultimò, possintne ante Matrimonii celebrationem sponsus & sponsa in eadem domo vivere.

Resp. eos graviter esse commonendos, ut ab omni familiaritate abstineant, utque simul eo tempore non commorentur, quod inter sponsalia & Matrimonii celebrationem elapsurum est. Quantis enim malis occasionem præbere soleat illud consortium, testatur experientia, eheu nimiùm frequens! Sub Matrimonii quantociùs contrahendi spe, in antecessùm contaminatur Sacramenti sanctitas ; dumque prævertuntur jura Matrimonii, violantur. Quapropter *hortatur sancta Synodus*, inquiunt

Patres Tridentini, *ut conjuges ante benedictionem sacerdotalem in templo suscipiendam, in eadem domo non cohabitent.* (*Sess.* 24. *de reform. matr. cap.* 1.) Concilium etiam Mediolanense VI sub S. Carolo, sic jubet : *Episcopi cura sit pœnis & censuris quas arbitratu suo constituerit, sancire ne sponsi priùsquàm Matrimonium in Ecclesia ..... celebraverint, non modò simul non habitent ; sed ne ullo quidem modo mutuâ consuetudine, commerciove utantur.* (*Tom.* 15. *Concil. pag.* 743.)

CAPUT II.

De Bannorum promulgatione.

BANNORUM promulgatio, vel potiùs *bannum* publica est proclamatio, seu monitio futuri inter tales personas Matrimonii, coram frequenti populo facienda. Quo sæculo inceperit illius promulgationis ritus incertum est. Cùm ad vitanda incommoda quæ ex clandestinis conjugiis nascuntur, usus invaluisset quibusdam in Galliarum Ecclesiis, Matrimonia coram universa plebe denuntiandi, Concilium Lateranense IV an. 1215 specialem illam quorumdam locorum consuetudinem, in alias Ecclesias generaliter invexit.

Quæres 1°. quibus de causis instituta sit bannorum promulgatio.

Resp. id factum ob multas & graves causas ; 1°. ut excluderentur conjugia clandestina ; 2°. ut detegantur Matrimonii, si quæ sint, impedimenta ; 3°. ne filiifamilias sine parentum consensu Matrimonia contrahant ; 4°. ut creditoribus hypothecariis qui à suo jure per Matrimonium excide-

rent, detur facultas seſe debitoris sui nuptiis opponendi ; 5°. ut fideles de futuro conjugio præmoniti, cœlestem in sponsos benedictionem suis precibus alliciant ; quod ut præstet, à Pastoribus invitari debet populus christianus.

Quæres 2°. utrùm necessaria sit bannorum proclamatio.

Resp. eam necessariam esse 1°. jure ecclesiastico: Concilium enim Tridentinum, Lateranensis Synodi vestigiis inhærens, præcipit *ut in posterum, antequàm Matrimonium contrahatur, ter à proprio contrahentium Parocho, tribus continuis diebus festivis in Ecclesia, inter Missarum solemnia publicè denuntietur inter quos Matrimonium sit contrahendum. (Sess. 24. de reform. Matrim. cap. 1.)*

2°. Jure civili, Regum scilicèt nostrorum Edictis, & maximè Blesensi ubi Henricus III sic jubet : *Ad occurrendum abusibus & damnis quæ ex Matrimoniis clandestinis oriuntur, decernimus fore ut subditi nostri cujuscumque status, qualitatis & conditionis existant, contrahere validè non possint Matrimonium sine publicis bannorum promulgationibus, factis tribus diversis diebus festis, cum competenti temporis intervallo.* (Guénois, *art.* 4. *tom.* 1. *pag.* 705.)

Quamvis autem certum videatur hanc fuisse regiorum Edictorum, & maximè Blesensis, mentem, ut solâ proclamationis omissione irritum fieret Matrimonium, contrariam tamen nostrâ ætate receptam esse jurisprudentiam sic asserit posterior *Fevret* Scholiastes : *On peut avancer que selon la jurisprudence de notre temps, le défaut seul de la publication des bans ne rend pas nul un Mariage contracté entre majeurs, avec toutes les autres formalités. (Traité de l'Abus, tom. 2. p. 319.)*

Quæres 3°. quo tempore banna promulgari debeant.

Resp. hæc *tribus continuis diebus festis* denuntianda esse, juxta Concilium Tridentinum, & quidem inter Missarum solemnia, propter majorem populi concursum. Hæc autem verba : *tribus continuis diebus festis*, non sic accipienda sunt, ut banna tribus quæ proximè se contingunt festis, Paschatis, v. g. vel Pentecostes, proclamari debeant. Dies enim plena, vel inter promulgationes singulas ; vel inter secundam & tertiam, pro varia locorum consuetudine, debet intercedere : quinimò inter ultimam proclamationem, & Matrimonii celebrationem interjiciendum est aliquod temporis intervallum ; quod ita constitutum est ; ut detur ad denuntiandum impedimentum, si quod fuerit, tempus sufficiens.

Quæres 4°. quo in loco fieri proclamationes oporteat.

Resp. 1°. In propria utriusque contrahentis Parochia fieri debent. 2°. Si alteruter vel uterque contrahens ex alia diœcesi migraverit, & in Parochia ubi nunc residet, per annum integrum non fuerit commoratus, tunc banna in iis etiam Parochiis promulganda sunt, in quibus ante suam migrationem habuit domicilium. Idem erga eos faciendum est, qui non ex alia quidem diœcesi, verùm ex alia ejusdem diœcesis Parochia venerunt, si in ea quam incolunt Parochia sex menses completos non transegerint. 3°. Banna minorum, qui scilicèt 25 ætatis annum nondùm complevêre, non in Parochia tantùm in qua *de facto* commorantur denuntianda sunt, sed etiam in parentum, tutorumve aut curatorum Parochia, ubi juris domicilium habent. 4°. Si nupturi æquale duobus in locis, intra eamdem diœcesim, domicilium habeant, in utroque proclamanda sunt banna, nisi jam à sex mensibus in loco versentur, ubi conjungendi sunt. 5°. Famulorum conjugia in suorum dominorum Parochiis sunt publicanda.

Quæres 5°. à quo faciendæ sint illæ denuntiationes, & quid præcavendum sit.

Resp. banna nonnisi à proprio contrahentium Parocho, vel ab eo quem ad illud munus designaverit, esse denuntianda : idem potest Vicarius. Hæc autem à Parocho sunt observanda : 1°. minorum banna nunquam proclamet, nisi de parentum tutorumve consensu certus fuerit ; 2°. nec banna, nisi petierint ipsimet nupturi, promulgabit, ne alieni id ipsorum nomine ad risum vel probrum postulent ; qui tamen si institerint, requiret ut postulationem hanc suo chirographo muniant ; 3°, si concessa fuerit, aut concedenda speretur duplicis aut unius banni immunitas, fideles admonebit ut si quid revelandum habeant, id facere quantociùs festinent ; 4°. cavebit ne ipsa postremæ denuntiationis die, sponsos Matrimonio jungat sine speciali Episcopi licentiâ, propter rationem quam suprà exposuimus.

Quæres 6°. quam obligationem fidelibus importent bannorum denuntiationes.

Resp. eos ad impedimenti cujuscumque, etiam prohibentis, si quid noverint, revelationem teneri. 1°. Quia debent, quantùm possunt, impedire ne Sacramentum profanetur, Matrimoniique usus in peccatum vertatur : atqui utrumque illud malum ut avertant, impedimenta, non dirimentia tantùm, sed etiam prohibentia revelent necesse est. 2°. Tenentur fideles Ecclesiæ præcipienti morem gerere, & præsertim in re gravi : atqui de manifestandis Matrimonii impedimentis extat præceptum Ecclesiæ, quod unicuique à Parocho denuntiatur, quando nuptias meditatas proclamat. Præterea mandatum illud est de re gravissima, cùm eo spectet ut Sacramenti sanctitati proximique saluti consulatur ; ergo, &c. 3°. Quia nolle impedimentum cognitum detegere, idem est ac pravè nubentium iniquitati & sacrilegio consentire, peccatisque omnibus ex illicito Matrimonio secuturis : peccant verò non ii solùm qui malè agunt, *sed etiam qui consentiunt facientibus*, ut testatur Apostolus. (*Rom.* 1.)

Quæres 7°. quinam sint à revelandi obligatione immunes.

Resp. ab ea lege eximi 1°. Confessarios quibus per sacramentalem confessionem impedimentum cognitum fuerit ; quia *majus est vinculum Sacramenti Pœnitentiæ quolibet hominis præcepto*, ait S. Thomas, (2. 2. *quæst.* 70. *art.* 1. *ad* 2.) 2°. Qui impedimentum norunt, quia de re ista consilium ab iis petitum est, quales sunt Parochi, Doctores, Advocati ; vel ratione professionis suæ, ut Medici, Chirurgi, Obstetrices : ii enim omnes si frangant secreti fidem, tota perturbabitur Respublica, consiliis præcludetur omnis aditus, quia nemo erit quem in rebus arduis & difficilibus tutò liceat interrogare. 3°. Qui sine propriâ sui ipsius infamiâ, vel alio gravi damno non possunt impedimentum detegere : tales sunt ii qui criminis participes fuerunt ; item famuli quibus, si herum suum prodant, imminent mors, jactura quædam gravis, &c. In dubio prudenter se gerit qui sapientem Confessarium, quandoque & Episcopum ea de re consuluerit.

Quæres 8°. an repetendæ sint bannorum proclamationes, si Matrimonium plures in menses differatur.

Resp. Rituali Romano ita præscribitur : *Si infra duos menses post factas denuntiationes, Matrimonium non contrahatur, denuntiationes repetantur, nisi aliter Episcopo videatur.* Idem jubet Synodus V Mediolanensis sub S. Carolo : quibusdam tamen in locis non iterantur, nisi Matrimonii procrastinatio tres aut quatuor, imò sex menses, ut Parisiis, excesserit. Illius instituti ratio est, quòd

fieri possit ut qui, post factas denuntiationes, Matrimonium notabili temporis intervallo differunt, in aliquod impedimentum incurrerint.

Quæres 9°. utrùm à bannorum promulgatione quemquam eximere interdùm liceat.

Resp. id aliquandò licitum esse: illæ enim denuntiationes sunt juris humani duntaxat: atqui ea est legum humanarum conditio, ut relaxari possint, cùm id postulant graves causæ. Prætereà ita decernitur à Concilio Tridentino, à quo vel etiam integra denuntiationum remissio, Episcopi *prudentiæ & judicio relinquitur.* (*Sess.* 24. *de reformat. Matrim. cap.* 1.) Quamvis autem Edicto Blesensi generatim prohibeatur, ne à bannis immunitas possit obtineri, nisi post factam primam proclamationem, ubique nihilominùs receptum est, posse aliquando sponsos à tribus bannis liberos fieri. Id probat Fevreti interpres multis Senatûs Parisiensis decretis. (*Tom.* 1.) Quædam tamen sunt diœceses in quibus nunquam conceditur triplex hæc dispensatio, quia id vetant statuta.

Quæres 10°. cujus sit dispensationem hanc concedere.

Resp. facultatem hanc ex jure ordinario penès solos Episcopos esse, quorum scilicèt prudentiæ & judicio rem illam permittit Tridentina Synodus. Idem tamen possunt Vicarii generales, nisi id sibi reservaverit Episcopus; ut potè quorum una & eadem sit potestas cum episcopali. Quemadmodùm autem ex gravissimis rationibus legem de nuptiis proclamandis instituit Ecclesia, ita nonnisi propter urgentes causas fieri debet illius relaxatio. Quâ in re maturum judicium, summamque prudentiam adhibere debet Episcopus, cujus arbitrio hujusmodi dispensationes commisit Tridentina Synodus.

DISSERTATIO VII.

De Matrimonii usu licito vel illicito.

Quæres 1°. an conjuges in eo quod spectat ad debitum conjugale, sibi invicem obsequi teneantur.

Resp. Tenetur quilibet conjux alteri debitum legitimè petenti reddere, sic jubente Apostolo: *Uxori vir debitum reddat: similiter autem & uxor viro. Mulier sui corporis potestatem non habet, sed vir: similiter autem & viri sui corporis potestatem non habet, sed mulier. Nolite fraudare invicem, nisi fortè ex consensu, ad tempus, ut vacetis orationi.* (1. *Cor.* 7. *v.* 3. 4. 5.) Quilibet ergo conjugum ex justitia tenetur alteri debitum legitima de causa postulanti reddere, ac proinde sub peccato mortali; tùm quia sic obligat virtus justitiæ in gravi materiâ, qualis est ista; tùm quia ex denegato hujusmodi debito multa imminent pericula, nempè incontinentiæ, rixarum, odii & similia.

Hinc asserit S. Antoninus, *esse mortale in denegante debitum petenti omninò, si non habeat causam rationabilem excusantem.* (3. *part. tit.* 1. *cap.* 21. §. 7.) Videtur tamen hanc recusationem aliquandò, propter materiæ levitatem, à peccato mortali excusari posse, si nimirùm conjux non adeò anxiè petat, & dilationem facilè concedat, nec adsit incontinentiæ periculum.

Quæres 2°. quibus ex causis illicitus esse queat actus conjugalis.

Resp. variis ex causis illicitum esse potest debitum conjugale vel petere, vel reddere, scilicèt ratione

finis, temporis, damni imminentis, impedimenti, dubii.

Quæres 3°. quandonam ratione finis illicitus sit actus conjugalis.

Resp. *Duobus solis modis*, inquit S. Thomas, *conjuges absque omni peccato conveniunt, scilicèt causâ procreandæ prolis, & debiti reddendi, aliàs autem semper est peccatum ibi ad minùs veniale.* (*in 4. distinct. 31. quæst. 2. in corp. art. 2.*) Culpâ igitur non vacat actus conjugalis ubi non exercetur nisi captandæ voluptatis causâ. Non illicita quidem est delectatio quæ ex Matrimonii usu percipitur, quemadmodùm nec ea quam in sumendis alimentis experimur: sicut vero peccat qui in cibis adhibendis solam quærit voluptatem, quia finem à natura præscriptum invertit; sic neque culpâ caret, qui in actu conjugali solâ ducitur voluptate. Hinc Innocentius XI istam quorumdam Catuistarum propositionem an. 1679 damnavit: *Opus conjugii ad solam voluptatem exercitum omni prorsùs culpâ caret, ac defectu veniali.*

Quid autem de eo sentiendum est qui Matrimonii usum non adhibet, nisi ut propriæ incontinentiæ periculum effugiat?

Resp. eâ de re unanimem prorsùs non esse Theologorum doctrinam: sed numero & autoritate prævalet eorum sententia, qui conjugem de quo agitur culpæ venialis expertem non esse affirmant. S. Augustinus expendens hæc Apostoli verba, *Iterùm revertimini in idipsum* (Matrimonii usum), *ne tentet vos satanas propter incontinentiam vestram: hoc autem dico secundùm indulgentiam*, sic docet: *Putari posset non esse peccatum misceri conjugii, non filiorum procreandorum causâ, quod bonum est nuptiale, sed .... etiam .... ut fornicationis ...., mortiferum malum ... devitet infirmitas; posset .., hoc putari non esse peccatum, nisi addidisset* (Apostolus): Hoc autem dico secundùm veniam, non

secundùm imperium. *Quis autem jam esse peccatum neget, cùm dari veniam facientibus, apostolica autoritas fateatur?* (*Enchirid. cap 78.*)

Eadem est S. Fulgentii doctrina: *Maculam*, inquit, *contrahit .. quisquis non pro sola generatione, sed etiam propter fragilitatem carnis, suæ miscetur uxori.* (*Epist. 1. cap. 3. & 4.*) Ita sentiunt S. Bonaventura (*in 4. distinct. 31. art. 2. quæst. 2. ad 1. n. 24.*); S. Thomas cujus ista sunt verba: *Si aliquis per actum matrimonii intendat vitare fornicationem.., in se ... hoc est peccatum veniale, nec ad hoc est Matrimonium institutum, nisi secundùm indulgentiam quæ est de peccatis venialibus.* (*in 4. dist. 31. art. 2. ad 2.*) Ratio est quòd naturalis nuptiarum finis sit liberorum procreatio. *Numquid* autem *hoc non est peccatum*, inquit S. Augustinus, *amplius quàm liberorum procreandorum necessitas cogit, exigere à conjuge debitum? Est quidem peccatum.* (*Serm. 51.*) Præterea qui Matrimonio utitur ad compescendos ignes libidinis, concupiscentiæ obsequitur quam oratione & piis operibus refrenare posset.

Quæres 4°. utrùm actus conjugalis fieri possit illicitus ratione temporis sacri.

Resp. Ita sentiunt ex SS. Patribus plurimi: *Paulus Apostolus*, inquit Innocentius I Papa, *ad Corinthios scribit dicens*: Abstinere vos ad tempus, ut vacetis orationi; *& hoc utique præcipit laicis*, (*Can.* Proposuisti, *dist. 82.*)

S. Thomas: *Actus matrimonialis, ... quia rationem deprimit, propter carnalem delectationem, hominem reddit ineptum ad spiritualia, & ideò in diebus in quibus præcipuè spiritualibus est vacandum, non licet petere debitum.* (*Supplem. quæst. 64. art. 5. in corp.*)

S. Bonaventura: Debitum conjugale *reddi potest sine omni culpa in illis diebus festis, dùm tamen reddatur cum displicentia & dolore; peti autem non potest sine culpa.* (*In 4. dist. 31. part. 3. quæst. 2. in corp.*)

S. Antoninus : In diebus sacris *exigens debitum non peccat mortaliter ; sed veniale potest esse, nisi hoc faceret in contemptum Festi vel Ecclesiæ, quia tum mortale esse potest ; sed reddens in nullo peccat, quia tenetur ad hoc de necessitate.* (*Part.* 3. *tit.* 1. *cap.* 21. §. 7.) Cùm enim actus conjugales animam deprimant, ad Deique obsequium tardam & hebetem efficiant, quonam tempore ab iis magis abstinendum est, quàm eo quod Deus suo cultui specialiter consecratum voluit?

Quæres 5°. an liceat debitum conjugale petere vel reddere, cùm uxor naturali laborat infirmitate, quæ certis temporibus propria est mulieribus.

Resp. Id esse illicitum unanimes docent Theologi cum S. Thoma qui ita pronuntiat : *Quando mulier patitur fluxus menstruorum, ... prohibitum est ad talem accedere, & similiter prohibitum est mulieri in tali fluxu debitum petere.* (*In* 4. *dist.* 32. *art.* 2. *quæst.* 2. *in corp.*) Utrùm verò peccatum illud mortale sit, an veniale tantùm, non convenit inter Theologos. Existimant non pauci eum lethaliter peccare, qui ad mulierem in eo statu positam accedit, 1°. quia adversùs hujusmodi actum Scriptura mortis pœnam constituit, tùm in conjugem qui debitum reddit, tùm in eum qui exigit. *Qui coierit cum muliere in fluxu menstruo, interficientur ambo de medio populi sui.* (*Levit.* 20. 18.) 2°. Quia inde plurimum vitii & deformitatis trahit proles nascitura : ita sentiunt S. Bonaventura, Alexander Alensis, Petrus Soto, & alii.

E contrario multi, ut Paludanus, Caietanus, Dominicus Soto, in casu de quo agitur non agnoscunt nisi culpam venialem. Interdictionem quæ Levitici cap. 20. legitur, partim ceremonialem & judicialem, partim moralem esse opinantur. Quatenus ceremonialis & judicialis, sub gravi peccato & pœnâ Judæos obligabat, verùm per legem evangelicam abrogata est : quatenus mora-

lis, inquiunt, christianos obligat quidem, at sub peccato veniali tantùm. Prætereà negant fœtum quidquam vitii inde contrahere, & quotidianam opponunt experientiam. Denique, juxta S. Thomam, inquiunt, peccat maritus qui actum conjugalem extorquet, minimè verò uxor, quæ reluctans & veluti coacta, conjugis intemperantiæ servit, ne eum in exitialis incontinentiæ periculum conjiciat. *Finaliter*, ait S. Doctor, *si vir non desistit à petitione, debet* (uxor) *debitum reddere poscenti.* (*In* 4. *dist.* 32. *quæst.* 1. *art.* 2.) Numquid verò uxorem pronuntiaret innoxiam, si mortaliter peccare virum censuisset? Huic S. Thomæ sententiæ adhærendum esse putat Habertus. Utramque opinionem exponit Jueninus, verùm à ferendo judicio cautus abstinet.

Quæres 6°. quandonam Matrimonii usus ratione damni sit illicitus.

Resp. Non licitus est cùm inde imminet vitæ aut gravis ægritudinis periculum. Se habet enim debitum conjugale sicut alia justitiæ debita, quæ tanto cum incommodo non obligant. Prætereà nemo vitæ suæ dominus est, & illius tuendæ curam quisque sibi habet à natura impositam. *Vir*, inquit S. Thomas, *tenetur uxori reddere debitam in his quæ ad generationem prolis spectant, salvâ tamen prius incolumitate personæ.* (*In* 4. *dist.* 32. *art.* 1. *in corp.* & *ad* 2. *quæst.* 1.) Quamobrem non tenetur conjux sanus debitum leproso petenti reddere, si Medicorum judicio id fieri nequeat sine gravi contagionis periculo.

Quæres 7°. utrùm viro liceat ad uxorem gravidam accedere.

Resp. in casu proposito mortaliter peccare ambos conjuges, si perimendi fœtûs periculum adsit. *Imitentur*, inquit S. Hieronymus, *saltem pecudes, & postquàm uxorum venter intumuerit, non perdant*

filios. (*Lib.* 1. *contra Jovinianum, cap. ult.*) Si verò periculum illud abfuerit, veniale saltem peccatum est in exigente. *Hieronymus*, ait S. Thomas, *vituperat accessum viri ad uxorem imprægnatam, non tamen ita quòd semper sit peccatum mortale, nisi fortè quandò probabiliter timetur de periculo abortûs.* (*In* 4. *dist.* 31. *in fin.*) Juxta S. Antoninum *potest exigi debitum in dicto casu absque mortali: sed ubi esset periculum probabile abortûs, nec debet exigi, nec reddi, aliàs esset mortale.* (*Part.* 3. *tit.* 1. *cap.* 21. §. 4.)

Quæres 8°. an tempore puerperii sive purgationis mulieris, debitum conjugale petere liceat.

Resp. Quæstionem hanc sibi ab Augustino Anglorum Apostolo propositam ita solvit Gregorius Magnus: *Mulieres, cùm purgationis tempus priùs transierit, viris suis non debent admisceri* (*Ad interrog. Aug. cap.* 10.) Id licitum non esse ait Sylvius *partim ob mulieris indispositionem, partim ob nocumentum prolis jam natæ, vel ejus quæ nasci posset; ... si tamen tali tempore congrediantur, non videtur esse mortale, nisi aliquod damnum inde sit rationabiliter timendum,* (*in supplem. quæst.* 64. *art.* 7.) si, v. g. probabile sit lac maternum quo infans alitur, actu conjugali tunc ita vitiari, ut grave damnum puero inferatur.

Quæres 9°. an mulier quæ hactenùs mortuos edidit filios, ab usu Matrimonii teneatur abstinere.

Resp. Quidam Theologi, inter quos Sylvius, contendunt sub peccato mortali illicitum esse conjugibus, in eo casu debitum petere vel reddere, etiam ad vitandum grave incontinentiæ periculum; quia scilicèt iis alia non desunt remedia, quibus uti debent in alterutrius conjugis absentiâ vel infirmitate.

Alii verò plures inter quos eminet D. *de Sainte-Beuve*, (*tom.* 3. *cas.* 151.) docent citra culpam

posse conjuges uti Matrimonio, & peccare uxorem si marito petenti debitum pertinaciter deneget. Quæ sententia videtur anteferenda. Non semel enim accidit, ut mulier quæ pluriès abortum fecerat, tandem feliciter pariat. Testatur ibidem D. *de Sainte-Beuve*, sibi cognitam fuisse mulierem, quæ post quinque aut sex abortus, duas fausté edidit filias, tempore quo scribebat Matrimonio junctas. Prætereà sæpè abortus ex culpa conjugum accidunt, qui ultra modum nuptiis utuntur. Hæc enim intemperantia nocet absolutæ fœtûs conformationi, & mulieris vires ita debilitat, ut partum edere non valeat. Denique fœtûs incolumitati aliquandò non satis consulunt mulieres, dum, v. g. uterum arctiùs constringunt, ne gravidæ videantur, vel nimia deferunt onera.

Quæres 10°. an possit debitum petere conjux qui cum alterius conjugis in primo vel secundo gradu consanguineis affinitatem ex delicto sciens & volens contraxit.

Resp. Non potest donec dispensationem obtinuerit: per illud enim delictum suo jure excidit. Ita sancitum est cap. 1. *de eo qui cognovit*, ubi sic decernitur: *Si quis cum filiastra sua* (belle-fille) *scienter fornicatus fuerit, nec à matre debitum petere potest; & si petat, uxor non tenetur reddere.* Non potest tamen debitum alteri conjugi denegare, qui non fuit iniquitatis particeps. Iste enim, ut potè innocens, jure suo fraudari non debet.

Quæres 11°. quid conjugibus licitum aut vetitum sit, cùm occurrit dubium an valeat Matrimonium.

Resp. 1°. si dubium leve sit, nullaque probabili ratione innixum, tunc *explosâ, & quidem ad Pastoris sui consilium, conscientiâ levis & temerariæ credulitatis, licitè potest dubitans, non solùm reddere, sed exigere debitum conjugale.* Ita Innocentius III. (*Cap.* 44. *de sent. excomm.*) Ibi notandum

explodendam esse hanc dubitationem, quia non licet contra conscientiam agere.

Resp. 2°. Si grave dubium de nuptiarum veritate eas præcesserit, dubitans reddere debitum poterit, non verò petere: reddere quidem, qui enim bonâ fide rem possidet, eâ proprer malam alterius fidem non spoliandus est: atqui conjux qui nullam habet de Matrimonii veritate dubitationem, bonâ fide rem suam, id est, alterius conjugis corpus, possidet; ergo, &c. Prætereà sic Lucius III Papa statuit: *Si aliquis vel aliqua de morte prioris conjugis adhuc sibi existimat dubitandum, ei qui sibi nupsit debitum non deneget postulanti, quod à se tamen noverit nullatenùs exigendum.* (*cap. 2. de secundis nuptiis.*) Ex ultimis autem hujus capitis verbis liquet non posse dubitantem debitum petere; alioqui fornicationis periculo sese exponeret, dum illud declinat ab eadem petitione abstinendo; partem igitur sequi debet tutiorem.

Si verò uterque conjux Matrimonium ineundo an validum esset graviter dubitaverit, neuter debitum exigere debet aut reddere. Uterque enim prudenter dubitat an corpus alterius sit suum. Prætereà in casu præcedenti ideò licitum est reddere debitum conjugi postulanti, quia iste, ut potè bonæ fidei possessor, jure suo non spoliandus est: atqui cùm ambo pariter dubitarent de Matrimonii veritate dum illud inierunt, neuter est bonæ fidei possessor; neuter ergo debitum reddere potest, donec adhibitâ, quæ par est, diligentiâ, suum exuerit dubium.

Resp. 3°. Si Matrimonium consummatum subsecuta fuerit gravis dubitatio, & post seriam inquisitionem perseveret, inter se dissident Theologi. Alii cum *Pontas* (ad verbum *devoir*, cas. 17.) contendunt tunc abjiciendum esse dubium tanquam inane, & debitum exigi posse. Alii verò existimant eamdem esse dubii verè permanentis ac nascentis rationem. Unde, juxta ipsos, debitum

reddi quidem debet conjugi qui non dubitat, at illud ab eo exigere non licet. Quæ opinio & tutior videtur & probabilior.

1°. Enim nemini licet manifesto fornicationis discrimini sese exponere: atqui debitum exigendo, in illud periculum sese conjiceret, qui post seriam investigationem dubitare pergit, an, v. g. prima uxor sua verè mortua sit. Graviter enim incertus est an sua sit ea ad quam accedit, siquidem totum quod instituit examen, ipsius dubium nulla ex parte imminuit.

2°. Juxta D. *Pontas* & alios, qui adhibitâ sufficienti inquisitione, rei veritatem assequi non potuit, ideò suam dubitationem, ut vanam, abjicere potest, quia eum ab omni peccato excusat ignorantia invincibilis: atqui hæc ratio, inquit D. *Collet*, nulla est, & in ambiguo ludit. Qui enim, rebus maturè excussis, dubitare pergit, veritatem ignorat quidem, cùm nesciat, v. g. an reipsà prior conjux obierit; sed eum invictè non latet peccandi periculum cui sese objicit; graves quippè ob rationes incertus est annon vivat prima uxor.

Hinc colliges, si in eodem dubio versentur ambo conjuges, neutri licitum esse debitum reddere.

PARS II.

De Sacramento Matrimonii.

De præsenti argumento quatuor erunt capita: in 1°. utrùm admittendum sit verum & propriè dictum Matrimonii Sacramentum expendemus; in 2°. de illius materia & forma; in 3°. de Mi-

explodendam esse hanc dubitationem, quia non licet contra conscientiam agere.

Resp. 2°. Si grave dubium de nuptiarum veritate eas præcesserit, dubitans reddere debitum poterit, non verò petere: reddere quidem, qui enim bonâ fide rem possidet, eâ proprer malam alterius fidem non spoliandus est: atqui conjux qui nullam habet de Matrimonii veritate dubitationem, bonâ fide rem suam, id est, alterius conjugis corpus, possidet; ergo, &c. Prætereà sic Lucius III Papa statuit: *Si aliquis vel aliqua de morte prioris conjugis adhuc sibi existimat dubitandum, ei qui sibi nupsit debitum non deneget postulanti, quod à se tamen noverit nullatenùs exigendum.* (*cap. 2. de secundis nuptiis.*) Ex ultimis autem hujus capitis verbis liquet non posse dubitantem debitum petere; alioqui fornicationis periculo sese exponeret, dum illud declinat ab eadem petitione abstinendo; partem igitur sequi debet tutiorem.

Si verò uterque conjux Matrimonium ineundo an validum esset graviter dubitaverit, neuter debitum exigere debet aut reddere. Uterque enim prudenter dubitat an corpus alterius sit suum. Prætereà in casu præcedenti ideò licitum est reddere debitum conjugi postulanti, quia iste, ut potè bonæ fidei possessor, jure suo non spoliandus est: atqui cùm ambo pariter dubitarent de Matrimonii veritate dum illud inierunt, neuter est bonæ fidei possessor; neuter ergo debitum reddere potest, donec adhibitâ, quæ par est, diligentiâ, suum exuerit dubium.

Resp. 3°. Si Matrimonium consummatum subsecuta fuerit gravis dubitatio, & post seriam inquisitionem perseveret, inter se dissident Theologi. Alii cum *Pontas* (ad verbum *devoir*, cas. 17.) contendunt tunc abjiciendum esse dubium tanquam inane, & debitum exigi posse. Alii verò existimant eamdem esse dubii verè permanentis ac nascentis rationem. Unde, juxta ipsos, debitum

reddi quidem debet conjugi qui non dubitat, at illud ab eo exigere non licet. Quæ opinio & tutior videtur & probabilior.

1°. Enim nemini licet manifesto fornicationis discrimini sese exponere: atqui debitum exigendo, in illud periculum sese conjiceret, qui post seriam investigationem dubitare pergit, an, v. g. prima uxor sua verè mortua sit. Graviter enim incertus est an sua sit ea ad quam accedit, siquidem totum quod instituit examen, ipsius dubium nulla ex parte imminuit.

2°. Juxta D. *Pontas* & alios, qui adhibitâ sufficienti inquisitione, rei veritatem assequi non potuit, ideò suam dubitationem, ut vanam, abjicere potest, quia eum ab omni peccato excusat ignorantia invincibilis: atqui hæc ratio, inquit D. *Collet*, nulla est, & in ambiguo ludit. Qui enim, rebus maturè excussis, dubitare pergit, veritatem ignorat quidem, cùm nesciat, v. g. an reipsà prior conjux obierit; sed eum invictè non latet peccandi periculum cui sese objicit; graves quippè ob rationes incertus est annon vivat prima uxor.

Hinc colliges, si in eodem dubio versentur ambo conjuges, neutri licitum esse debitum reddere.

PARS II.

De Sacramento Matrimonii.

De præsenti argumento quatuor erunt capita: in 1°. utrùm admittendum sit verum & propriè dictum Matrimonii Sacramentum expendemus; in 2°. de illius materia & forma; in 3°. de Mi-

nistro ; in 4°. de ipsius effectibus disputabitur. Priusquàm verò eas quæstiones aggrediamur, quid sit Matrimonii Sacramentum definiendum est. Matrimonium est *viri & mulieris conjunctio, individuam vitæ consuetudinem continens;* (*Institut. lib.* 1. *tit.* 9. *sect.* 1.) idcircò Sacramentum nuptiis consecrandis destinatum, meritò definitur à Catechismo Lugdunensi an. 1767, multisque aliis : *Sacramentum à Christo Domino institutum ad sanctificandam viri & mulieris legitimam conjunctionem.*

CAPUT PRIMUM.

Utrùm admittendum sit verum & propriè dictum Matrimonii Sacramentum.

NULLUM esse in nova lege Matrimonii Sacramentum à Christo institutum affirmant Lutherus, (*Lib. de captivit.*) & Calvinus. (*Lib.* 4. *instit. cap.* 19. *n.* 34.) Contra quos sit

PROPOSITIO.

Verum proprièque dictum in nova lege Matrimonii Sacramentum agnoscendum est.

ARG. I. *Ex Ecclesiæ tùm Latinæ, tùm Græcæ consensione.*

Ecclesiam tùm Latinam, tùm Græcam, ac proindè universam Ecclesiam, errasse absque impietate dici non potest : atqui ante exortas Lutheri & Calvini hæreses, Ecclesia tùm Latina, tùm Græca verùm agnovit Matrimonii Sacramentum.

Prob. prima pars, quæ Ecclesiam Latinam spectat.

spectat. In Concilio Lateranensi III an. 1179, cui interfuerunt Episcopi 302, vetitum est *ne pro benedictionibus nubentium, sive aliis Sacramentis conferendis, aliquid pretii exigatur.*) *Tom.* 10. *Concil. pag.* 1512.) Lucius III Summus Pontifex qui obiit anno 1185, sic declarat : *Qui de Baptismate, ... Matrimonio, vel reliquis ecclesiasticis Sacramentis aliter sentire aut docere non metuunt, quàm sacro-sancta Romana Ecclesia prædicat, ... vinculo perpetui anathematis innodamus.* (*Decretal. pag.* 1673.) Concilium Constantiense quod ab anno 1414 ad annum 1418 habitum est, & cui adfuêre trecenti & ampliùs Episcopi, definivit (*Sess.* 15.) septem esse Sacramenta, iisque proindè Matrimonii Sacramentum annumerari.

Martinus V, in constitutione quæ ad calcem hujus Synodi exstat, præcipit ut qui in hæresis suspicionem venerunt, interrogentur *an credant quòd Christianus contemnens susceptionem Sacramentorum Confirmationis, vel Extremæ Unctionis, vel solemnisationis Matrimonii, peccet mortaliter.* (*Tom.* 12. *Concil. pag.* 269.)

Denique Concilium Tridentinum sic pronuntiat : *Si quis dixerit Matrimonium non esse verè & propriè unum ex septem legis evangelicæ Sacramentis, à Christo Domino institutum, sed ab hominibus in Ecclesia inventum, neque gratiam conferre, anathema sit.* (*Sess.* 24. *de Matrim. can.* 1.) Ergo, cùm Matrimonii Sacramentum impugnare cœperunt Lutherus & Calvinus, ipsius fides in Ecclesia Latina vigebat.

Prob. secunda pars quæ Ecclesiam Græcam spectat. 1°. Simeon Thessalonicensis doctrinæ famâ nulli ætatis suæ secundus, & qui paulò ante Concilium Florentinum vixit, sic habet : *Septem sunt ..... Sacramenta quæ ab eodem Spiritu Sancto vim operandi habent, nimirùm Baptismus .... Matrimonium.* (*Lib. de septem Sacramentis, cap.* 33.)

Vide Arcudium (*Lib.* 1. *de Bapt. cap.* 2.) Quis verò crediderit Simeonem Sacramentis quæ per Spiritum Sanctum operantur, nuptiarum Sacramentum fuisse annumeratum, nisi communis hæc fides apud Græcos viguisset? Quis in animum sibi inducat fore ut ceteri errorem dissimulassent, sive Episcopi, sive sacerdotes, si nullum agnovissent Matrimonii Sacramentum?

2°. Vix solutum erat Concilium Florentinum, cùm Eugenius IV in lucem edidit decretum pro instructione Armenorum, in quo Matrimonii Sacramentum inter vera legis novæ Sacramenta constituit: atqui tamen nullus Græcorum Præsulum qui Florentiæ tunc aderant reclamavit; licèt verò paulò post multa contra Florentinam Synodum Romanamque Ecclesiam scripserint, nihilominùs de Sacramento Matrimonii omninò siluêre: quorsùm verò? nisi quia in admittendo hoc Sacramento cum Latinis concordes erant, & fidem Ecclesiæ in Eugenii decreto agnoscebant.

3°. Cùm Wittembergenses Theologi Lutherani, ut Orientalem Ecclesiam suas in partes adducerent, ad *Jeremiam* Patriarcham Constantinopolitanum Augustanam Confessionem misissent, omnemque operam adhibuissent ut ipsius suffragium extorquerent, nedùm emendicatam hanc approbationem obtinuerint, gravem ejus censuram experti sunt. Sic enim à Jeremia responsum est: *Orthodoxi in Ecclesia Catholica Christiani Sacramenta numero septem admittunt; Baptismum scilicèt, ... & Matrimonium.* (*Apud Arcudium, ubi suprà.*)

4°. Idem dogma variis in Synodis Græci confirmârunt, maximè autem in Constantinopolitana an. 1642, ubi sic pronuntiatum fuit: *Negat* (Cyrillus Leucaris) *Ecclesiæ Sacramenta, Sacerdotium, ... honorabiles nuptias: quæ omnia & sacra & divinam gratiam conferentia, antiqua nobis Traditio reliquit.* (*Tom.* 11. *Concil. Hard. pag.* 174.) Ergo, cùm Lutherus & Calvinus Matrimonii Sacramento bellum indixêre, dogma contrarium in Ecclesia, tùm Latina, tùm Græca, erat receptissimum. Vel igitur certa est quam defendimus doctrina, vel universam turpiter in re gravissima errasse Ecclesiam dicendum est: atqui illud posterius vel suspicari grande esse nefas; ergo verum esse in nova lege Matrimonii Sacramentum sine ulla dubitatione credendum est.

ARG. II. *Ex Augustino.*

Alios Patres, brevitatis causâ, prætermittimus. Matrimonii Sacramentum passim commendat S. Augustinus: *In Christianorum nuptiis*, inquit, *plus valet sanctitas sacramenti, quàm fecunditas uteri.* (*Lib. de bono conjug. cap.* 18. *tom.* 6. *pag.* 332.) *Bonum nuptiarum per omnes gentes atque homines in causa generandi est; ..... quod autem ad populum Dei pertinet, etiam in sanctitate Sacramenti.* (*Ibid. cap.* 24.) *In Ecclesia nuptiarum non solùm vinculum, sed etiam Sacramentum commendatur.* (*Lib. de fide & operib. cap.* 7. *tom.* 6. *pag.* 170.) Atqui Sacramenti nomen stricto sensu hic usurpat Augustinus, non verò latiori tantùm, sive prout Matrimonium signum est conjunctionis Christi cum Ecclesia; quo sensu de Matrimonio dixit Apostolus: *Sacramentum hoc magnum est; ego autem dico in Christo & in Ecclesia.* (*Ephes.* 5. 32.) Ibi enim S. Doctor christiano ritui quo Matrimonium consecratur, specialem quamdam Sacramenti rationem attribuit, quæ infidelium conjugiis non conveniat; sicque alia ab aliis distinguit: atqui Matrimonio cuilibet humano id commune est, ut sit Sacramentum latiùs sumptum, eo nempè sensu quòd intimam Christi cum Ecclesia conjunctionem significet; ergo, cum Augustinus Christianorum Matrimonium ab infidelium conjugiis eo titulo discriminet, quod Sacramentum sibi adjunctum habeat, necesse est ut *Sacramenti* nomen stricto sensu in prædictis locis acceperit.

Dices 1.°. Si Matrimonium Sacramento propriè dicto consecraretur, virginitate perfectius foret: atqui id posterius falsum est; ergo & prius.

Resp. Neg. maj. Alicujus enim rei perfectio ex unica quadam ejus circumstantia non petitur, sed ex omnibus simul. Porrò Matrimonium, licèt Sacramento nobilitatum, plura habet quæ conjugalem conditionem minùs perfectam efficiant, quàm virginitatis statum; variis scilicèt curis & sollicitudinibus animum distrahit, quæ ad vacandum Deo minùs expeditum faciunt hominem, quàm virginitas.

Dices 2°. Sacramentum non opponitur Sacramento: atqui Matrimonii Sacramentum opponeretur alteri Sacramento, sacræ nimirùm Ordinationi: ergo; &c.

Ref. Neg. min. A Matrimonio enim non eam ob causam arcentur sacris Ordinibus initiati, quòd Matrimonii & Ordinationis Sacramenta ita secum pugnent, ut simul consociari nequeant; sed quia ad castitatem perpetuò servandam jure ecclesiastico obstringuntur, qui sacros Ordines susceperè. Clericum enim Deo militantem non decet *implicare se negotiis sæcularibus*. (2. *Tim.* 2. 4.)

Quæres 1°. an Matrimonium & Sacramentum ita sint unum & idem, ut alterum ab altero disjungi nequeat.

Resp. varias esse eâ de re opiniones. 1°. Affirmant non pauci, ut Thomas Sanchez, (*Lib.* 2. *de Matrim. disput.* 10. *n.* 6.) eâ ratione ducti, quòd ex institutione Christi ratio Sacramenti ita fuerit contractui conjugali illigata, ut ab eo divelli & distrahi non possit. 2°. Alii fatentur quidem vera esse posse, etiam apud fideles, Conjugia quæ Sacramenti rationem non habeant, si nempè christiano ritu non celebrentur; contendunt verò Matrimonium Sacramenti naturam induere, nec ab illo distingui, quotiès eo ritu perficitur quem Christus instituit, & adhibere

consuevit Ecclesia; Matrimonium enim, inquiunt, hoc modo celebratum, ad Sacramenti dignitatem Christus evexit. 3°. Nonnulli existimant Matrimonium ita esse ex natura sua à Sacramento diversum, ut cum eo nunquam confundi debeat.

Quæres 2°. quas rationes afferunt postremi illi Theologi.

Ref. Multas afferunt quas raptim exponemus.

1°. Matrimonium, inquiunt, à jure canonico definitur: *Maris & feminæ conjunctio, individuam vitæ consuetudinem retinens.* (*Decretal. lib.* 2. *tit.* 23. *cap* 11. *pag.* 790.) Atqui in ea definitione nihil est quod Sacramentum designet; Sacramentum enim, ut norunt omnes, est ritus sensibilis à Christo Domino institutus, & cui conferendæ gratiæ virtus illigata est; ergo, &c.

2°. Christus Matrimonii naturam non immutavit, sed illud tantummodò revocavit ad primam ejus institutionem. Cùm in terris degeret, in usu erant apud Judæos polygamia & divortium; utrumque his verbis abrogavit: *Erunt duo in carne una. Quod Deus conjunxit, homo non separet.* Præterea Sacramentum instituit quod nuptiis sanctitatem conferret: *Matrimonium*, inquit Concilium Tridentinum, *in lege evangelica veteribus connubiis gratiâ præstat.* (*Sess.* 24. *in exposit. doctrinæ de Sacram. Matrim.*) Eadem igitur etiamnùm est Matrimonii natura, quæ ante legem evangelicam erat; scilicèt nihil aliud est quàm viri & mulieris conjunctio: atqui hæc conjunctio distinguitur à Sacramento ad consecrandas nuptias destinato; quemadmodùm aliud est panis, & aliud ritus exterior quo benedicitur.

3°. Pergunt iidem Theologi: Valida & rata sunt infidelium conjugia, & cùm Religionem Christianam amplectuntur, non iterantur eorum connubia. *Per Sacramentum Baptismi non solvuntur conjugia, sed dimittuntur peccata.* (*Lib.* 4. *Decretal.*

tit. 20. cap. 9. pag. 1559.) *Ces deux Eglises ; (l'Eglise Grecque & l'Eglise Latine,)* ait Collator Parisiensis, *n'ont jamais cru que le Mariage des infidelles ne fût pas légitime, ni qu'il cessât d'être bon, quand ils se convertissoient.* (*Tom. 1. p. 30.*) Atqui profectò Matrimonium infidelium verum non esse novæ legis Sacramentum ; ergo, &c.

4°. Valent hæreticorum conjugia, ita ut duo conjuges Calviniani, ejuratis suis erroribus, ad Ecclesiam revertentes, novum celebrare Matrimonium non cogantur. *Le Mariage des hérétiques*, inquit Autor Collationum Parisiensium, *aussi bien que leur Baptême, est très-bon. On peut autoriser ce sentiment par la discipline de l'Eglise, qui n'a jamais remarié les hérétiques, lorsqu'avant leur conversion ils avoient été mariés légitimement.* (*Tom. 1. pag. 36.*) Atqui nemo dixerit Calvinistarum conjugium esse novæ legis Sacramentum, siquidem Matrimonii Sacramentum à Christo institutum rejiciunt ; ergo naturæ prorsùs diversæ sunt Matrimonium & Sacramentum Matrimonii ; nec alterum cum altero confundendum est ; alterum enim sine altero milliès extitit.

5°. Ante Concilium Tridentinum frequentia erant clandestina conjugia. Dum verò ea prohibet Sancta Synodus, simul vera & valida declarat, quæ huc usque facta fuerant. *Dubitandum non est*, inquit, *clandestina Matrimonia, libero contrahentium consensu facta, rata & vera esse Matrimonia, quandiu Ecclesia ea irrita non fecit, & ..... eos Sancta Synodus anathemate damnat, qui ea vera ac rata esse negant. Sess. 24. de refor. Matrim. cap. 1.*) Porrò hujusmodi connubia titulo Sacramenti novæ legis decorari non possunt ; qui enim ea contraxêre, ad Ecclesiam non convenerant, ut Sacerdotis benedictionem acciperent ; ergo in ipsamet Ecclesia fuerunt conjugia absque Sacramento valida ; ergo aliud est Matrimonium, & aliud Sacramentum Matrimonii.

6°. Denique innumeros allegant Galliæ nostræ Catechismos, qui Sacramentum Matrimonii ab ipso Matrimonio apertè secernunt. Huic interrogationi, quid est Matrimonium ? sic respondet Catechismus Montis-Pessulani : *C'est une société légitime entre l'homme & la femme, que Dieu même a établie pour la multiplication du genre humain ;* en Matrimonium. Si verò nunc quæsieris quid sit Sacramentum Matrimonii, sic tibi respondebit Catechismus Parisiensis : *C'est un Sacrement qui donne la grâce pour sanctifier la société légitime de l'homme et de la femme.* Eidem interrogationi eodem modo respondent Catechismi Lectoracensis, (*de Lectoure,*) an. 1689 ; Blesensis an. 1728 ; Suessionensis an. 1696 ; Ambianensis an. 1691 ; Remensis an. 1692 ; Vesuntinus an. 1698 ; Carnotensis an. 1699 ; Augustodunensis an. 1703, Sagiensis, (*de Seez*) an. 1731 ; Trecensis an. 1733, Lugdunensis an. 1767, & alii benè multi. Ex Catechismorum igitur doctrinâ constat, inquiunt, Sacramentum & Matrimonium res esse longè diversas : Sacramentum nuptiis sanctitatem confert, sed ipsum non est Matrimonium.

Quæres 3°. quid iis Theologis objiciatur, & quid respondeant.

Resp. Ipsis objicitur 1°. Scholasticorum aliter opinantium multitudo.

Respondent cum Cano : *Theologorum Scholasticorum, etiam multorum, testimonium ..... non plus valet ad faciendam fidem, quàm ratio ipsorum ; ..... non enim numero hæc judicantur, sed pondere.* (*Lib. 8. de loc. Theolog. cap. 4.*)

Objicitur 2°. illud Patribus, Summis Pontificibus, & Conciliis esse frequentissimum, ut Matrimonium appellent Sacramentum.

Respondent hujus locutionis duplicem potissimùm afferri posse rationem. 1°. Matrimonium à SS. Patribus sæpissimè Sacramentum vocatur eo sensu,

quo dicit Apostolus : *Sacramentum hoc magnum est ; ego autem dico in Christo & in Ecclesia ;* seu juxta textum græcum, *in Christum & in Ecclesiam.* (*Ephes.* 5. 32.) Quia scilicèt conjugium humanum est signum & symbolum intimæ Christi cum Ecclesia conjunctionis.

2°. Cùm Matrimonium & Sacramentum in Ecclesia simul jungantur, totum quoddam morale efficiunt, quod *à parte nobiliori* quæ sita est in Sacramento, denominari potest. Ubi verò Matrimonium dicitur Sacramentum, hæc appellatio non eo sensu accipienda est, quod conjugium ipsum sit Sacramentum. Ex jure enim tùm civili, tùm canonico, *Matrimonium consensus facit* : atqui consensus ille ante Sacerdotis benedictionem datur ; Matrimonium igitur priùs existit quàm Sacramentum. Idcircò Ritualia Colonienſe, Argentoracense (*de Strasbourg*,) & alia sic habent : *Matrimonium per vos contractum, ego tanquam Minister Dei .... benedico.* Ut tollatur omnis ambiguitas, quod Matrimonium facit, ab eo ritu distinguendum est, quo Christianum efficitur. Verum quidem est, inquiunt, conjugium, quatenùs Christianum, ante Sacramentum non existere ; siquidem Christianum dici & esse non potest, nisi accesserit Sacerdotis benedictio ; Matrimonium verò in se & physicè spectatum prius est Sacramento : Sacerdos enim conjugium quod nondùm existit consecrare non potest.

Objicitur 3°. Si Matrimonium ipsum non est Sacramentum, quorsùm passim in Catechismis, passim in Ritualibus dicitur, conjugium à Christo fuisse ad dignitatem Sacramenti evectum ?

Reponunt iis verbis id unum significari, nempè à Christo institutum fuisse Sacramentum quo nuptiæ consecrarentur. Catechismis enim familiare est dicere, Sacramentum Matrimonii à Christo esse constitutum, ut legitimam viri & mulieris conjunctionem *sanctificaret.* Si ergo Sacramenti nomine ipsum Matrimonium intelligi velis, hic erit Catechismorum & Ritualium sensus, nempè *Matrimonium Matrimonio sanctificari ;* quod certè ridiculum est. Quisquis Theologorum quorum sententiam exponimus rationes diligenter perpenderit, eas minimè contemnendas esse fatebitur.

CAPUT II.

De materia & forma Sacramenti Matrimonii.

Cum in præsenti quæstione nihil ab Ecclesia definitum habeamus, incredibile est quanta sit opinionum varietas, salvâ semper & integrâ hujus Sacramenti veritate. *In materia & forma hujus Sacramenti statuenda,* inquit Melchior Canus, *adeò sunt inconstantes & varii, adeò incerti & ambigui* (Scholastici Theologi) *ut ineptus futurus sit qui in tanta illorum varietate ac discrepantia, rem aliquam certam, constantem, exploratam conetur efficere.* (*De locis Theol. lib.* 8. *cap.* 5.)

Ex opinionibus penè innumeris, quæ circa rem adeò ancipitem propositæ sunt, duas tantùm exponemus quæ principem locum obtinent.

Prima quæ in scholis videtur aliis prævaluisse, eorum est qui materiam statuunt in legitimo contrahentium consensu, formam in benedictione Sacerdotis. Materia Sacramenti, inquiunt, est pars illius magis communis, quæ potest esse vel non esse Sacramentum, prout forma ipsi accesserit vel non accesserit : atqui mutuus legitimusque partium consensus, signo quodam exteriori declaratus, est Sacramenti Matrimonii pars magis communis, & quæ potest esse vel non esse Sacramentum. Si enim cum forma, sive beendictione Sacerdotis, conjuncta sit, ad Sacramenti dignitatem evehitur ;

si verò formâ destituatur, tunc nihil aliud erit quàm consensus sive contractus civilis.

Hæc autem opinio nonnullis non parùm displicet. Mutuus, inquiunt, legitimusque contrahentium consensus est quidem Matrimonii causa efficiens, juxta illud juris, tùm civilis, tùm canonici, effatum: *Matrimonium consensus facit*; sed assignari non potest tanquam ipsius Sacramenti materia. Propterea si Matrimonii Sacramentum ab ipso Matrimonio prorsùs distinctum sit, illius materia sita esse nequit in mutuo & legitimo partium consensu, sive in contractu civili: atqui Sacramentum Matrimonii ab ipso Matrimonio prorsùs distinguitur. Ad eam opinionem iis adducuntur rationibus quas suprà exposuimus.

Secunda opinio eorum est qui Matrimonium à Sacramento, sive ab eo ritu exteriori distinctum volunt, quem ad consecrandas nuptias Christus instituit; ii verò Sacramenti hujus materiam in manûs impositione, & formam in benedictione Sacerdotis constituunt. Cùm enim Sacerdos, inquiunt, sit illius Sacramenti Minister, nonne satius est materiam & formam quærere in ritu exteriori quem adhibet, quàm in actibus contrahentium? atqui in ritu exteriori quem usurpat Presbyter Sacramentum Matrimonii conferens, nihil præter manûs impositionem, & verba quibus nuptias consecrat, reperias quod materiæ & formæ locum teneat.

Prætereà, inquiunt, hæc doctrina venerandæ Traditioni maximè congruit, quæ ubi de administrando Matrimonii Sacramento agitur, & manûs impositionem & benedictionem sacerdotalem frequens commemorat. *Cui manum imponet Presbyter*, ait S. Clemens Alexandrinus, *cui benedicet? non mulieri quæ est ornata, sed alienis capillis, ac per hoc alii capiti.* (*Lib.* 3. *Pædagogi*, *cap.* 11. *pag.* 182. *tom.* 1. *Edit. Oxon. Poteri. an.* 1715. *pag.* 291. *n.* 5.)

Innocentius I hæc habet: *Benedictio quæ per*

Sacerdotem super nubentes imponitur. (*Tom.* 2. *Concil. pag.* 1251.)

Siricius Papa: *Illa benedictio*, inquit, *quam nupturæ Sacerdos imponit, apud fideles cujusdam sacrilegii instar est, si ullâ transgressione violetur.* (*Tom.* 2. *Conc. pag.* 1019.)

Denique, pergunt iidem Theologi, hic exponendæ materiæ & formæ modus Ritualibus Libris omninò est accommodatus. Parisiensis ita jubet: *Extensâ manu, dicet* (Sacerdos)... *Deus Abraham, & Deus Isaac, & Deus Jacob, ipse vos conjungat, impleatque benedictionem in vobis, &c.* (*pag.* 359.) Atqui ibi occurrit 1°. materia Sacramenti, nempè manûs impositio, *extensâ manu*; 1°. forma, nimirùm Sacerdotis precatio. Eadem verba in multis aliis Ritualibus adhibentur, vel similia. Sunt enim qui præcipiunt ut, pronuntiatis his verbis: *Ego vos in Matrimonium conjungo, in nomine Patris, &c. Minister extollens manum dexteram*, nubentibus benedictionem impertiat; alii, ut Bituricensis, præscribunt ut Sacerdos, prolatis his verbis, *Ego vos in Matrimonium conjungo*, signum crucis manu dexterâ super nubentes effingat, dicens: *In nomine Patris, &c.* Porrò hæc verba, *manum extendere, manum extollere, signum crucis dextrâ efficere suprà nubentes*, quid aliud sonant, quàm manûs impositionem?

Nonnulli quidem Rituales Libri de manu suprà conjuges extendendâ vel attollendâ mentionem expressam non faciunt, sed ritum illum præcipere censentur, dum jubent Presbyterum hæc verba proferre: *Ego vos in Matrimonium conjungo, in nomine Patris, & Filii, & Spiritûs Sancti*; Sacerdos enim dum eas voces pronuntiat, *in nomine Patris, &c.* manum extollit, & suprà nubentes signum crucis dextrâ exprimit. Ultima hæc opinio, si defensorum numerus spectetur, aliis inferior est; si verò quibus nititur rationes ponderentur, alias vincere fortè videbitur.

CAPUT III.

De Ministro Sacramenti Matrimonii.

INTER Catholicos movetur hæc quæstio, nec spectat ad Lutheranos & Calvinistas qui, cùm Matrimonii Sacramentum negent, nullum illius Ministrum agnoscunt. Duas autem in partes distrahuntur Scholastici Theologi; alii volunt non alios esse Sacramenti Ministros, quàm ipsos contrahentes, sive illud quisque sibi, sive alter alteri administret; alii autem quibus suffragamur, docent hujus Sacramenti, sicut & ceterorum, esse solum Sacerdotem.

PROPOSITIO.

Solus Sacerdos est legitimus Sacramenti Matrimonii Minister.

Probatur 1°. Ille solus est Sacramenti Matrimonii legitimus Minister, ad quem solum pertinet eam nubentibus dare benedictionem, quæ est Sacramento *essentialis* : atqui solius est Sacerdotis benedictionem nuptialem impertiri, eaque est Sacramento Matrimonii *essentialis*.

Et 1°. quidem solus Sacerdos benedictionis nuptialis Minister est, ut innumeris constat monumentis, ex quibus pauca tantùm seligimus. juxta S. Ambrosium, *Conjugium sacerdotali benedictione sanctificari oportet.* (*Epist.* 19. *n.* 7. *tom.* 2. *p.* 844.) Concilium Carthaginense an. 398, cui interfuit Augustinus, sic jubet : *Sponsus & sponsa benedicend sunt à Sacerdote ....qui cum benedictionem acceperint, eâdem nocte pro reverentia ipsius benedictionis in virginitate permaneant.* (*Can.* 13.) Siricius Papa IV sæculo, *Illa* inquit, *benedictio quam nupturæ Sacerdos imponit, apud fideles cujusdam sacrilegii instar est, si ullâ transgressione violetur.* (*Ubi suprà*) Epistola decretalis quæ Evaristo Papæ adscribitur, affirmat *hunc esse morem, ut uxor ...à Sacerdote benedicatur.* (*Tom.* 1. *Concil. pag.* 534.) Concilium Colonienſe I an. 1536, docet in Matrimonio, *accedente sacerdotali precatione, conferri donum Spiritûs Sancti, quo vir diligat uxorem amore casto, sicut Christus dilexit Ecclesiam.* (*Tom.* 14. *Concil. pag.* 541.)

Unde sic argumentari licet : Ille solus est benedictionis nuptialis Minister, cui soli tribuitur à Conciliis, Patribus & Summis Pontificibus : atqui benedictio nuptialis soli Sacerdoti vindicatur, &c. ergo 1°. solus Sacerdos est benedictionis nuptialis Minister.

2°. Hæc benedictio ritus est *essentialis*; benedictio enim quæ in administrando Matrimonii Sacramento constanter fuit observata; benedictio quâ *conjugium sanctificari oportet*, benedictio *pro cujus reverentia* conjuges ad certum tempus *in virginitate permanere debent*; benedictio quæ *absque sacrilegio nullâ transgressione violari potest*; hujusmodi, inquam, benedictio omnes ritûs *essentialis* characteres habet : atqui talem esse nuptialem benedictionem constat ex testimoniis modò prolatis; quinimò Sacramentis aliis eam annumerat Concilium Lateranense IV : *Horribile est*, inquit, *quòd... pro benedicendis nubentibus, seu aliis Sacramentis, aliquid exigatur.* (*Decretal. pag.* 1609.) Ergo 2°. benedictio conjugum ritus est Sacramento *essentialis*; aliundè verò solius est Sacerdotis eam impendere; solus igitur legitimus est Sacramenti Matrimonii Minister.

Prob. 2°. ex Conciliis. Eboracense an. 1466 sic definit : *Septem sunt gratiæ Sacramenta, quorum dispensatores sunt Ecclesiæ Prælati.* (*Tom.* 13.

Concil. pag. 1426.) In Enchiridio quod Synodi Colonienſis juſſu an. 1536 promulgatum eſt, hæc leguntur: *Quantò magis putandum eſt in nova lege Sacerdotes, qui legatione pro Chriſto funguntur, legitimos hujus Sacramenti (Matrimonii) Miniſtros eſſe!* Concilium Cameracenſe an. 1567, *Cùm conſtet*, inquit, *in Matrimonio habendam eſſe rationem, non ſolùm divinæ inſtitutionis, ſed etiam Sacramenti & gratiæ quam in illo conſequuntur fideles, admonendos eſſe duximus Parochos hujus Miniſtros*, &c. (*Cap.* 1. *de Matrimonio.*) In Actis Eccleſiæ Mediolanenſis dicitur, *Parochum ex officio adminiſtrare Sacramenta quinque, nempè Baptiſmum, Euchariſtiam, Pœnitentiam, Matrimonium & Extremam Unctionem.* (*part.* 4. *ſect.* 1. *p.* 409. *Edit. Lugd. an.* 1683.)

Unde colligitur iſtud argumentum : Ille ſolus eſt Sacramenti Matrimonii legitimus Miniſter, cui ſoli hunc titulum aſſerunt Concilia : atqui ſoli Sacerdoti, & maximè Parocho, hujus Sacramenti miniſterium vindicant Concilia ; ergo, &c.

Prob. 3°. Rationibus Theologicis. 1°. Doctrina antiquior recentiori debet anteponi : atqui longè recentior eſt doctrina quæ contrahentes ipſos facit hujus Sacramenti Miniſtros ; cùm ne unus quidem à Veteribus allegari poſſit, qui prioribus decem Eccleſiæ ſæculis ſententiam hanc admiſerit.

Contrà verò quotquot de Matrimonii Sacramento diſſeruêre, illius adminiſtrandi poteſtatem ſolis attribuunt Sacerdotibus ; ergo, &c.

2°. Aliorum Sacramentorum ex lege ordinaria Miniſtri ſunt ſoli Sacerdotes, quia ſoli generatim ab Apoſtolo dicuntur myſteriorum divinorum diſpenſatores : *Sacramenta*, inquit S. Thomas, *in quibus gratia confertur, diſpenſare ad ſolos Sacerdotes pertinet.* (*Supplem. quæſt.* 22. *art.* 2 *in corp.*) Atqui nulla ſat gravis eſt cauſa, propter quam unum Matrimonii Sacramentum à lege communi excipiatur, ipſiuſque adminiſtratio laicis tradatur.

Multas alias rationes legere eſt apud *Drouin* (*Tom.* 2. *de re Sacramentaria.*)

Quæ objici ſolent difficultates prætermittimus, in iis enim tanquam certum ſupponitur, Matrimonium & Sacramentum unam eamdemque rem eſſe, ita ut alterum ab altero non diſtinguatur : atqui illud ſaltem incertum eſt. Nonnulli quippè Theologi graviſſimis freti rationibus quas ſuprà expoſuimus, docent Matrimonium & Sacramentum duo eſſe prorsùs diverſa. Prius enim, ut tradunt plerique Catechiſmi, nihil aliud eſt quàm legitima viri & mulieris conjunctio ; poſterius verò eſt ritus, vel ſignum ſenſibile quo nuptiæ conſecrantur. Ut autem nonnulla quæ ad praxim pertinent exponantur, variæ proponendæ ſunt quæſtiones.

Quæres igitur 1°. quis Sacerdos ſit Sacramenti Matrimonii Miniſter.

Reſp. Miniſtrum illius Sacramenti eſſe Parochum, quibus in locis receptum eſt Concilium Tridentinum, vel probata diſciplina quam de conjugiis clandeſtinis ſic præſcribit : *Qui aliter quàm præſente Parocho, vel alio Sacerdote, de ipſius Parochi ſeu Ordinarii licentia, & duobus vel tribus teſtibus Matrimonium contrahere attentabunt, eos ſancta Synodus ad contrahendum omninò inhabiles reddit, & ejuſmodi contractus irritos & nullos eſſe decernit.* (*Seſſ.* 24. *de reform. Matrim. c.* 1) Porrò diſciplinam hanc apud nos Gallos receptam eſſe ex multis Regum noſtrorum Edictis conſtat. Parochus autem à quo conſecrari debent nuptiæ, eſt Parochus domicilii alterutrius contrahentis.

Quæres 2°. quis ſit Parochus vagorum qui fixum non habent domicilium.

Reſp. Parochum eorum qui incertas habent ſedes, v. g. juniorum opificum aut mendicorum, eſſe Parochum loci in quo contrahitur, modò

tamen celebrandi Matrimonii facultatem ab Ordinario, id est, Episcopo, acceperit: eâ verò non antè uti debet, quàm diligenti inquisitione constet eos nullo detineri impedimento, ut sic jubet concilium Tridentinum: *Multi sunt qui vagantur, ... & ut improbi sunt ingenii, primâ uxore relictâ, aliam & plerumque plures, illâ vivente, diversis in locis ducunt. Cui morbo cupiens sancta Synodus occurrere, ... Parochis præcipit ne illorum Matrimoniis interfint, nisi priùs diligentem inquisitionem fecerint, & re ad Ordinarium delatâ, ab eo licentiam id faciendi retinuerint.* (*Sess. 24. de reform. Matr. cap. 7.* (In eo sitae est hæc inquisitio, quòd à vagis Matrimonium contrahere meditantibus exigantur instrumenta quibus constet 1°. de eorum Baptismo; 2°. de patris et matris obitu; 3°. de consensu ab iisdem vel dato, vel secundùm leges postulato, si adhuc vivant; 4°. de morte uxoris, si quam antè duxerint.

Quod spectat ad viros militares, vetat Ludovicus XIV Edicto anni 1683, ne quis Parochus absque Inspectoris generalis licentiâ scripto declaratâ, exercituum, ut aiunt, *Officiarios* Matrimonio conjungat. Quamvis in hâc parte nihil quoad milites sanxerit Codex Militaris, graviter redargueretur Parochus qui eos absque Ductoris (*Capitaine*) consensu Matrimonio copularet; prout à legionum Tribunis (*Colonels*) didicisse testatur Collator Andegavensis. His peractis, duo præstat Episcopus: 1°. per dispensationem eos à lege domicilii eximit; 2°. permittit Parocho ad quem recurrerunt contrahentes, ut eos conjungat.

Quæres 3°. an possit Parochus inferiori Sacerdoti potestatem facere Sacramenti illius administrandi.

Resp. posse, ut constat tùm ex concilii Tridentini verbis superiùs adductis; tùm ex quotidianâ consuetudine: quinetiam obtinuit usus, ut Parochorum Vicarii Sacerdotes alios ad conferendum Matrimonii Sacramentum delegent. Cùm autem illud sit contrà regulam istam generalem: *delegatus non potest delegare*, ex præsumpto tacitoque Parochorum consensu id fieri necesse est. Ut tamen omnis scrupuli tollatur occasio, optandum est ut Parochi qui ordinarii sunt Sacramenti hujus Ministri, Vicariis facultatem concedant alios ipsorum in locum subrogandi Sacerdotes qui eorum, cùm opus erit, vicibus fungantur.

CAPUT IV.

De effectibus Sacramenti Matrimonii.

Cum Sacramentorum legis evangelicæ prorsùs omnium eam esse vim & efficaciam ostenderimus, ut homini benè comparato gratiam conferant, nullum potest esse dubium quin Matrimonii Sacramentum conferendæ gratiæ sit instrumentum. In quo autem sita sit hæc gratia, quæritur.

Annotandum verò, ut sæpè monuimus, gratiam sanctificantem, vel esse *primam* quæ scilicèt hominem ex peccatore justum facit; vel *secundam* quæ nimirùm hominis jam justi sanctitatem justitiamque auget ac perficit.

Propositio I.

Matrimonii Sacramentum non confert gratiam sanctificantem primam.

Probatur. Gratia sanctificans prima ea est quâ deletur peccatum mortale, & homo justus efficitur: atqui Sacramentum Matrimonii hujusmodi

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ®
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

gratiam non impertit, quia non est Sacramentum mortuorum, sed vivorum qui scilicèt gratiâ justificante, in quâ sita est animæ vita, jam sunt ornati. Puríssimam enim Christi cum Ecclesia conjunctionem, quantùm possunt, exprimere debent conjuges ; divinum autem illud exemplar, ut par est, adumbrare non poterit ipsorum Matrimonium, nisi in statu justitiæ & sanctitatis celebretur ; ergo, &c.

Quapropter qui de nuptiali fœdere cogitant, à Pastoribus sedulò sunt admonendi, 1°. ut peccata sua diligenter & quàm primùm confiteantur, neque ad ipsam penè conjugii diem differant, quâ nec edoceri nec probari satis possunt ; 2°. ut, acceptâ reconciliationis gratiâ, Sacramenti Matrimonii effectum non impediant, conviviis, choreis, lasciviisque cantilenis indulgendo ; 3°. ut instar junioris Tobiæ, Deo priùs per caritatem juncti, ad altare ita accedant, ut cum eodem dicere ex animo possint : *Et nunc, Domine, tu scis quia non luxuriæ causâ accipio .... conjugem, sed solâ posteritatis dilectione, in quâ benedicatur nomen tuum in sæcula sæculorum.* (*Tob.* 8. 9.)

PROPOSITIO II.

Matrimonii Sacramentum iis à quibus piè suscipitur, gratiam secundum comfert quæ malis in nuptias per primi hominis peccatum invectis medeatur.

Probatur. Secramentum enim Matrimonii, cùm sit Sacramentum vivorum, nonnisi gratiam secundam conferre debet, sive novam gratiæ sanctificantis accessionem quæ iis malis remedium afferat, quibus nuptias vitiavit primorum parentum flebile peccatum.

1°. Enim, ut ait celeberrimus *Drouin*, quem hic sequimur ducem, ex Adami & Evæ peccato

nata est concupiscentia quæ nuptias deturpavit, & quâ fit ut conjuges re bonâ malè utantur, & per imperiosam libidinem extra moderatum Matrimonii usum rapiantur : atqui pessimo huic malo medetur gratia Sacramenti, per quam conjugibus virtus datur, conjugale officium castè & moderatè explendi, fidem conjugii inviolatè servandi, omnemque immunditiam fugiendi. Hinc Sacerdos nuptiis benedicens Deum precatur, *ut det sponsis temperantiam, ... ut corroboret illos, ut simul perfectam animæ & corporis custodiant castitatem.*

2°. Ex duo primi parentes in Deum rebelles fuerunt, nuptias perturbavit discordia. Ex illa enim rebellione contigit ut vir potestate suâ abutendo, uxorem famulæ loco habeat, uxorque vice suâ maritum contemnat, eique subjici recuset ; hinc rixæ innumerabiles, & querelæ domesticæ natæ sunt : atqui huic malo occurrit Matrimonii Sacramentum, eam impertiendo caritatem quâ vir uxorem diligat, sicut Christus dilexit Ecclesiam, & uxor viro ex amore subdita sit, ut Ecclesia subjecta est Christo. Hinc Sacerdos Deum sic orat : *Benedic, Domine, præsentiâ tuâ invisibili istud servorum tuorum Matrimonium ; da illis pacificam conversationem, caritatem mutuam ; .... sit inter ipsos vera pax, concordia, tranquillitas quam impetus passionum turbare non possint.*

3°. Graves ærumnæ, anxietates, sollicitudines Matrimonium comitantur, & infaustæ sunt primi peccati appendices, in cujus ultionem sic adversùs Adamum pronuntiavit Deus : *In sudore vultûs tui vescéris pane* ; & adversùs mulierem : *In dolore paries.* (*Genes.* 3. *v.* 16. 19.) Hùc etiam pertinet hæc Apostoli sententia : *Tribulationem carnis habebunt hujusmodi.* (1. *Cor.* 7. 28.) Atqui contrà illas ærumnas præsens suppetit in Matrimonii Sacramento remedium, quo fit ut patienter tolerentur, & faciliùs sustineatur grave nuptiarum jugum. Idcircò Minister nuptias consecrans : *Effunde*,

inquit, *Domine, super illos bona in vitâ suâ, ut glorificent nomen sanctum tuum, ... & dies suos in felicitate transigant; ..... descendant super illos benedictiones cœlestes.*

4°. Primorum parentum culpa, in eos etiam infantes qui ex legitimis nascuntur nuptiis, per generationem traducitur: atqui gratia Sacramenti primigeniæ huic labi remedium adhibet; efficit enim ut conjuges veræ Religionis cultores, pro liberis à se carnaliter genitis, spiritualem Baptismi regenerationem obtineant, eosque verbo & exemplo divinam legem edoceant, pièque instituant. Hinc Sacerdos, *Det vobis Deus*, inquit, *filios benedictionis & sanctitatis, ut quod generatio ad mundi ediderit ornatum, regeneratio ad Ecclesiæ perducat augmentum.*

Quòd si cujuspiam animum de iis Sacramenti effectibus dubitatio subeat, pergit *Drouin*, propterea quòd experimento penè quotidiano compertum sit, plerosque in facie Ecclesiæ Matrimonio conjunctos, omnibus quæ recensuimus bonis carere, sæpèque infeliciùs ac sceleratiùs ipsis gentibus vivere; discat ille non Sacramentum Matrimonii quod sanctum est, sed ipsos conjuges accusandos esse, qui vel impiè ad illum accedunt, vel acceptam in eo suscipiendo gratiam suâ culpâ amiserunt. Si enim de sanctitate & gratia Sacramenti ideò dubitare fas est, quia multi, eo recepto, non sunt meliores, nullum erit Sacramentum de quo moveri non possit eadem difficultas, ne exceptis quidem Baptismate & Eucharistiâ, quæ licèt receperint mali Christiani, aliis interdùm sunt vitiosiores; dicendum igitur Sacramentum Matrimonii, ut alia, gratiam quidem conferre, sed iis qui benè præparatum pectus afferunt; non debent igitur, si gratia desit, ipsa Sacramenta accusari, sed qui ea malè suscipiunt.

TRACTATUS

DE

ACTIBUS HUMANIS.

ACTUS qui ab homine exerceri solent, duplicis sunt generis, nempè *actus hominis* & *actus humanus*. Actus *hominis* dicitur quiquid fit, animo non advertente, & sine ullo rationis consilio; tales sunt dormientium & infantium actiones, & illæ etiam quæ à vigilantibus & adultis peraguntur ex affectûs cujusdam rationem occupantis impetu, aut citra mentis attentionem & voluntatis arbitrium. Actus verò *humanus* ille est qui fit ab homine dum humano modo agit; id est, cum animo advertente, voluntatisque consilio & deliberatione.

De priori actuum genere silebimus; cùm enim rationis judicio & arbitrio non subjiciantur, nullâ bonitate vel malitiâ morali affici possunt. De solis itaque actibus humanis dicturi sumus, eorumque principia & proprietates exposituri.

inquit, *Domine, super illos bona in vitâ suâ, ut glorificent nomen sanctum tuum, ... & dies suos in felicitate transigant; ..... descendant super illos benedictiones cœlestes.*

4°. Primorum parentum culpa, in eos etiam infantes qui ex legitimis nascuntur nuptiis, per generationem traducitur: atqui gratia Sacramenti primigeniæ huic labi remedium adhibet; efficit enim ut conjuges veræ Religionis cultores, pro liberis à se carnaliter genitis, spiritualem Baptismi regenerationem obtineant, eosque verbo & exemplo divinam legem edoceant, pièque instituant. Hinc Sacerdos, *Det vobis Deus*, inquit, *filios benedictionis & sanctitatis, ut quod generatio ad mundi ediderit ornatum, regeneratio ad Ecclesiæ perducat augmentum.*

Quòd si cujuspiam animum de iis Sacramenti effectibus dubitatio subeat, pergit *Drouin*, propterea quòd experimento penè quotidiano compertum sit, plerosque in facie Ecclesiæ Matrimonio conjunctos, omnibus quæ recensuimus bonis carere, sæpèque infeliciùs ac sceleratiùs ipsis gentibus vivere; discat ille non Sacramentum Matrimonii quod sanctum est, sed ipsos conjuges accusandos esse, qui vel impiè ad illum accedunt, vel acceptam in eo suscipiendo gratiam suâ culpâ amiserunt. Si enim de sanctitate & gratia Sacramenti ideò dubitare fas est, quia multi, eo recepto, non sunt meliores, nullum erit Sacramentum de quo moveri non possit eadem difficultas, ne exceptis quidem Baptismate & Eucharistiâ, quæ licèt receperint mali Christiani, aliis interdùm sunt vitiosiores; dicendum igitur Sacramentum Matrimonii, ut alia, gratiam quidem conferre, sed iis qui benè præparatum pectus afferunt; non debent igitur, si gratia desit, ipsa Sacramenta accusari, sed qui ea malè suscipiunt.

TRACTATUS

DE

ACTIBUS HUMANIS.

ACTUS qui ab homine exerceri solent, duplicis sunt generis, nempè *actus hominis* & *actus humanus*. Actus *hominis* dicitur quiquid fit, animo non advertente, & sine ullo rationis consilio; tales sunt dormientium & infantium actiones, & illæ etiam quæ à vigilantibus & adultis peraguntur ex affectûs cujusdam rationem occupantis impetu, aut citra mentis attentionem & voluntatis arbitrium. Actus verò *humanus* ille est qui fit ab homine dum humano modo agit; id est, cum animo advertente, voluntatisque consilio & deliberatione.

De priori actuum genere silebimus; cùm enim rationis judicio & arbitrio non subjiciantur, nullâ bonitate vel malitiâ morali affici possunt. De solis itaque actibus humanis dicturi sumus, eorumque principia & proprietates exposituri.

PARS PRIMA.

De Actuum humanorum principiis.

PER actuum humanorum principia intelligimus quæcumque ad ipsos formandos concurrunt. Duplicis sunt generis, *interna* scilicèt quæ in homine, & *externa* quæ extra hominem posita sunt. De utrisque seorsim differendum.

DISSERTATIO I.

De principiis Actuum humanorum internis.

PRINCIPIA actuum humanorum interna sunt voluntas & conscientia. Voluntas definiri potest animæ facultas quæ bonum ab intellectu propositum sectatur, vel malum aversatur. Conscientia, prout hic accipitur, internum est judicium rationis, hoc vel illud à nobis faciendum esse vel omittendum pronuntiantis. De utrâque differendum est, & 1°. quidem de voluntate; 2°. de conscientia.

CAPUT PRIMUM.

De Voluntate.

VOLUNTAS spectari potest, vel quatenùs vult simpliciter, vel quatenùs vult liberè; eam sub duplici hoc respectu expendemus duobus in articulis quorum alter erit de voluntario, & alter de libero.

ARTICULUS PRIMUS.

De voluntario.

Voluntarium est actus qui à voluntate proficiscitur cum aliquâ cognitione. Antequàm enim aliquid velit aut agat voluntas, id cognoscatur necesse est; unde tritum hoc proverbium: *Ignoti nulla cupido.* Hùc etiam spectat illud Augustini: *Certè amari aliquid, nisi notum, non potest.* (*Lib.* 10. *de Trinit. cap.* 1. *n.* 2. *tom.* 8. *pag.* 889.)

Voluntarium dividitur 1°. in *perfectum* quod oritur ex plena perfectaque voluntatis propensione, ita ut nullo modo reluctetur; & in *imperfectum* quod fit quidem ex voluntatis consensu, sed non sine aliquâ repugnantiâ, qualis est actus mercatoris, ingruente tempestate, merces suas in mare projicientis; 2°. in *directum* & *indirectum*. Voluntarium *directum* est illud quod in seipso à voluntate intentum fuit, ut si quis inimicum suum sciens & volens pugione mactaverit. *Indirectum* vocatur illud quod, non quidem in seipso volumus, sed tantùm in ejus causa.

Ut autem effectus censeatur in sua causa volun-

tarius & crimini detur, tres vulgò requiruntur conditiones. Prima est, ut agens prævideat, aut prævidere possit & debeat effectum ex hâc vel illâ causâ esse consecuturum. Secunda est, ut agens effectum impedire queat ejus causam auferendo: *Quis enim peccat*, ait Augustinus, *in eo quod nullo modo caveri potest?* (*Lib.* 3. *de lib. arb. c.* 18. *n.* 50.) Idcircò reus est qui aut apud se retinet, aut alteri vendit obscœnam tabellam quæ pravis cogitationibus dat occasionem; sic graviter peccat mulier quæ, etiam sine mala intentione, utque consuetudini obsequatur, aperto sinu incedit, quia tunc fit *diaboli janua*, inquit Tertullianus. (*Lib.* 1. *de cultu feminarum*, *cap.* 1. *pag.* 150.) Tertia conditio est, ut operans teneatur causam auferre vel non ponere. Ideò non peccat Parochus qui Confessiones excipiendo, pravas cogitationes experitur invitus, modò debitâ cum prudentiâ interroget.

Nunc inquirendum est quid tollat aut minuat voluntarium. Quoniam verò propensioni quæ est una voluntarii conditio, opponuntur coactio & metus; & quia intellectûs cognitioni quæ altera voluntarii dos est, adversatur ignorantia, ideò juxta receptum in Scholis morem, expendemus utrùm coactio, metus, & ignorantia voluntarium tollant, an verò tantùm imminuant.

PARAGRAPHUS PRIMUS.

Utrùm coactio tollat voluntarium.

Ad solvendam hanc quæstionem observandum est, 1°. actus humanos alios appellari *elicitos*, alios autem *imperatos*. Actus *eliciti* sive *interiores* dicuntur ii qui ab ipsa, vel potiùs in ipsa voluntate peraguntur: talia sunt amor, odium, &c. Ita vocantur quia suntà voluntate tanquam à principio eliciente. Actus *imperati* sunt ii quos imperat quidem voluntas, sed qui aliarum facultatum ministerio exercentur, ut deambulatio, membrorum flexio, &c.

Observandum 2°. coactionem seu violentiam, vel *absolutam* esse, cùm scilicèt aliquis vim inferenti resistit quocumque potest modo; vel *secundum quid*, ut aiunt Scholæ, quando nimirùm vim patiens resistit quidem, sed minùs efficaciter quàm posset. His prænotatis, fit

PROPOSITIO I.

Voluntas cogi non potest quoad actus elicitos.

Probatur. Voluntas cogi non potest, nisi quoad actus qui fieri possunt, ipsâ invitâ: atqui actus elicitus nunquam fieri potest, invitâ voluntate, siquidem hujusmodi actus ab ipsa & in ipsa voluntate perficiuntur.

Præterea repugnat idem esse, simul & non esse: atqui voluntas cogi non potest, quin idem sit simul & non sit, id est, quin voluntas idem velit simul & nolit. Vellet quidem, cùm juxta institutam hypothesim cogatur aliquid velle; nollet autem: illa enim non vult quæ totâ vi suâ reluctatur & resistit; atqui si voluntas aliquid velle cogeretur, jam totâ vi suâ reluctaretur & resisteret, ut satis ex se patet; ergo, &c.

At, inquies, Deus, ut potè supremus rerum omnium, ac proindè voluntatis humanæ, dominus, nonne potest illam invitam compellere ut aliquid velit? Nonne id S. Paulo contigit, qui ex infensissimo Religionis Christianæ hoste, subitò factus est ejusdem acerrimus defensor?

Resp. potentissimum Numen non ita voluntatem humanam compellere, ut invita velit, quod certè omninò repugnat; sed in eam ita agere, ut incipiat velle quod anteà nolebat, & efficaci propensione in illud sese ferat, à quo priùs abhorrebat. Denique tunc mutatur affectus voluntatis, non cogitur voluntas.

Propositio II.

Voluntas cogi potest quoad actus imperatos.

Probatur. Voluntas cogi potest quoad illos actus qui, ipsâ invitâ, fieri possunt: atqui actus qui dicuntur *imperati*, fieri possunt, invitâ voluntate. Hujusmodi enim actus sunt ii qui non immediatè peraguntur à voluntate, sed à facultatibus corporeis quæ ipsius imperio subjiciuntur: atqui actus illi aliquandò fiunt, voluntate prorsùs reluctante, ut videre est in homine qui truditur in carcerem; ergo, &c.

Propositio III.

Actus qui fit ex coactione absoluta, *nullo modo est voluntarius; secùs verò si fiat ex coactione quæ fit* secundùm quid *duntaxat.*

Probatur prima pars Actus qui fit, voluntate omninò retinente, nullo modo est voluntarius: atqui actus qui coactione absolutâ extorquetur, fit voluntate omninò reluctante; siquidem hujusmodi coactio tunc tantùm locum habet, cùm voluntas, quantùm potest, resistit; ergo, &c.

Prob. secunda pars. Quia ubi voluntas pro suis viribus non resistit, ibi superest aliqua ratio voluntarii, major vel minor, prout magis vel minùs reluctatur aliquis: atqui cùm violentia seu coactio nonnisi *secundùm quid* infertur, tunc voluntas pro suis viribus non restitit; siquidem supponimus penès eam esse, ut fortiùs obsistat; ergo, &c. Hinc collige nihil peccare feminam cui tùm interiùs, tùm exteriùs, quantùm potest, retinenti stuprum infertur; culpâ autem non vacare mulierem quæ, licèt mente reluctetur, exteriùs tamen omni virium conatu aggressorem repellere non studet.

Paragraphus II.

Utrùm metus tollat voluntarium.

Metus est animi trepidatio propter malum imminens, vel futurum. Alius est gravis quo scilicèt grande malum reformidatur, quales sunt membrorum mutilatio, carcer, bonorum proscriptio, damnatio ad triremes, infamia. Hujusmodi metus dicitur in constantem fortemque virum cadens, quia eo percelluntur ipsi constantes viri. Alius est levis quo vel leve malum timetur, vel si grave sit, nullum est probabile illius subeundi periculum. Quapropter timor ille est hominis meticulosi & ignavioris proprius, nec virum fortem afficit. Ad æstimandam verò metûs gravitatem aut levitatem, habenda est ratio sexûs, ætatis, conditionis. Potest enim timor quidam in viro levis censeri, qui in juveni, vel in muliere, propter minorem animi constantiam gravis meritò putaretur.

Certum est 1°. metum levem nullo modo tollere voluntarium, cùm nec intellectûs cognitionem, nec voluntatis electionem præripiat. Certum est 2°. metum gravem, si ejusmodi sit, ut mentem de suo statu dejiciat, & rationis usum adimat, voluntarium omninò perimere, ut satis patet. Controversia igitur non potest esse, nisi de metu gravi, quo stante, manet homo sui compos, ut vulgò contingit.

Propositio.

Metus gravis, quo stante, manet homo sui compos, non prorsùs tollit voluntarium, sed minuit.

Probatur prima pars. Illud non omninò perimit voluntarium, quod neque ex parte intellectûs cognitionem, neque ex parte voluntatis propensionem adimit: atqui metus gravis, quo stante, manet homo sui compos, neque, &c. Id patet

in mercatore qui, sæviente tempestate, naufragii metu perculsus, merces suas in mare dejicit ; cognoscit enim & pretium suarum mercium, & vitæ periculum in quo versatur, & actionem ipsam quâ scilicèt merces suas in fluctus devolvit. Hanc tamen liberè eligit, quia vitam suam pluris facit & impensiùs amat, quàm merces suas ; ergo, &c.

Hinc collige à peccato mortali non immunes esse eos qui, ob gravem metum aliquid perpetrant, ex naturâ suâ malum & vitiosum ; idcircò graviter peccaret Christianus, qui tormentorum metu fidem abnegaret. Quæ enim per se mala sunt nullo, vel etiam amittendæ vitæ, metu honestari possunt.

Prob. secundâ pars. Id minuit voluntarium quod minuit voluntatis propensionem in illud quod agitur: atqui metus gravis, &c. Quæ enim ex eo metu fiunt, plurimam adjunctam habent repugnantiam, ut patet exemplo mercatoris jam proposito : nam vellet merces suas in mare non projicere, si absque vitæ periculo eas retinere posset ; ergo metus gravis minuit voluntarium. Quapropter in Synodo tùm Ancyrana, tùm Nicæna benignius cum iis actum est, qui suppliciorum & mortis metu fidem Christianam ejuraverant, quàm cum aliis qui sponte cesserant.

Ex eo quòd metus gravis voluntarium non penitùs tollat, inferendum est eum qui ex solo pœnarum metu peccatum refugit, suam in illud propensionem retinere ; quemadmodùm qui ex mortis formidine crumenam minitanti latroni porrigit, suam in pecuniam affectum non exuit : unde celebre est illud Augustini effatum : *Qui gehennas metuit, non peccare metuit, sed ardere.* (*Epist.* 145. *n.* 4. *tom.* 2. *pag.* 471.)

Objic. 1°. adversùs primam propositionis partem : Matrimonium & votum solemne ex metu gravi facta, invalida sunt : atqui ideò sunt invalida, quòd nullo modo sint voluntaria ; ergo in iis quæ sunt ex metu gravi nihil est voluntarii.

Resp. Neg. min. Matrimonium & votum solemne in casu de quo agitur, non ideò declarantur invalida, quia nullo modo sunt voluntaria ; sed quia non prodeunt ex voluntatis consensu satis libero. Enim verò cùm hujusmodi contractus perpetuum inducant vinculum, sapienter à legibus cautum est ne valeant, quando non fiunt ex voluntate satis libera. Quot scilicèt incommoda sequerentur ex Matrimonio & Religionis voto, si vim obligandi retinerent, etiàm quando metu gravi extorquentur ! Timor ille, quamvis voluntarium penitùs non extinguat, illud tamen plurimùm imminuit ; ac proindè eum impedit plenum voluntatis consensum quem res tanti momenti exigit.

Obj. 2°. qui propter metum gravem, periculum, v. g. vitæ amittendæ, sacro non interest die festo, non peccat : atqui non peccat, nisi quia metus ille voluntarium & libertatem perimit ; ergo metus gravis, &c.

Resp. Neg. min. Qui enim ex metu gravi quoddam vel Ecclesiæ, vel aliquandò Dei ipsius præceptum non observat, à culpa non excusatur propter voluntatis & libertatis defectum ; sed quia tunc cessat legis obligatio quæ tanto cum incommodo locum non habet. Hinc præceptum quod obligandi vim semper retinet, infringi sine culpâ nunquam potest, etiamsi ex gravissimo metu id fiat. Peccat, v. g. qui ex metu quocumque pejerat.

PARAGRAPHUS III.

Utrùm ignorantia tollat voluntarium.

Ignorantiæ nomine generatim intelligitur cognitionis defectus sive privatio. In varias species distribuitur. En præcipuæ :

1°. Ex parte subjecti dividitur in *vincibilem* quæ nimirùm superari potest ; & *invincibilem* quæ adhibitâ quâlibet diligentiâ depelli non potest. Ignorantia autem vincibilis duplex est, *affectata* & *crassa*.

Affectata est ea quâ aliquis de industriâ vult nescire, ad liberiùs peccandum; ut si quis consilium in re dubiâ non petat, ne ab ea abstinendum esse comperiat, Ignorantia *crassa* dicitur ea quâ directè quidem non intendit aliquis legem ignorare; verùm ad illam ediscendam debitâ non utitur diligentiâ, ut si nesciat quibus diebus jejunandum sit, quia Missæ Parochiali interesse negligit.

2°. Ignorantia ex parte objecti, alia est *juris*, alia *facti*. Ignorantia *juris* in eo locum habet, qui nescit legem aliquam divinam vel humanam existere. Ignorantiâ *facti* laborat qui legem compertam quidem habet, sed nescit hoc vel illud factum esse legi contrarium; ut si quis, cognitâ lege quæ dirimit Matrimonium in quodam affinitatis gradu contractum, ignoret eam quam duxit uxorem esse sibi affinem.

Propositio I.

Quæ fiunt ex ignorantia vincibili, sunt voluntaria totidemque peccata, si mala sint.

Probatur. Quidquid fit ex ignorantia voluntaria, profectò sua in causa voluntarium est: atqui ignorantia vincibilis est voluntaria, adjunctumque habet explicitum vel implicitum voluntatis consensum: siquidem penès hominem est eam expellere, debitam scilicèt adhibendo diligentiam; ergo quidquid fit ex ignorantia vincibili, sua in causa voluntarium est, & si quidpiam mali fit, verum erit peccatum, levius aut gravius pro gravitate præcepti & negligentiâ discendi.

Propositio II.

Ignorantia quælibet prorsùs invincibilis tollit voluntariam, & à peccato excusat.

Probatur 1°. ex S. S. Augustino & Thoma. S. Augustinus hoc principium statuit, rationi

maximè consentaneum: *Dicere peccati reum teneri quemquam, quia non fecit quod facere non potuit, summæ iniquitatis est.* (*Lib. de duabus anim. cap.* 12. *n.* 17. *tom.* 8. *pag.* 87.) *Quis peccat in eo quod nullo modo caveri potest?* (*Lib.* 3. *de libero arbit. cap.* 18 *n.* 5. *tom.* 1. *pag.* 630.) Atqui nisi ignorantia invincibilis penitùs tolleret voluntarium, & à peccato eximeret, reus teneretur homo quia non fecit quod facere non potuit, & peccaret in eo quod nullo modo caveri potest. Quis enim ab eo caveat quod, adhibitâ quâlibet diligentiâ, cognoscere non potest? Denique, *non tibi deputatur ad culpam*, ait S. Doctor, *quòd invitus ignoras; sed quòd negligis quærere quod ignoras.* (*Ibid. cap* 19. *n.* 53. *pag.* 631.) Porrò qui in ignorantia invincibili versatur, invitus ignorat, nec quærere negligit quod ignorat: siquidem ut veritatem detegeret, debitam non prætermisit diligentiam.

Idem docet S. Thomas: *Si talis sit ignorantia*, inquit, *quæ omninò sit involuntaria, sive quia est invincibilis, sive quia est ejus quod quis scire non tenetur, talis ignorantia omninò excusat à peccato.* (1. 2. *q.* 76. *art.* 3. *in corp.*) Atqui ibi desertè asserit S. Doctor *involuntariam* esse, à peccatoque excusare ignorantiam, quando *invincibilis* est.

Prob. 2°. ex Concilio Tridentino: *Deus*, inquit, *impossibilia non jubet:* (*Sess.* 6. *de justific. cap.* 11.) atqui nisi ignorantia *invincibilis* à peccato excuset, Deus jubet impossibilia. Præcipit enim ut à peccatis omnibus abstineamus, & proindè ab iis etiam quæ ex ignorantia insuperabili committerentur: atqui hujusmodi peccata declinare impossibile esset: cùm ea cognoscere non valeamus, ut satis patet; ergo, nisi ignorantia *invincibilis* à peccato liberaret, & voluntarium penitùs tolleret, Deus impossibilia jubere meritò censeretur: quod à Concilio Tridentino simul & à rectâ ratione prorsùs alienum est.

Quæres 1°. an esse possit ignorantia invincibilis.

Resp. ex omnium consensu dari posse ignorantiam *invincibilem*: 1°. *facti*; etenim factum est, v. g. an merces quæ in foro publico venales proftant, furto sint ablatæ; factum est, utrùm Alexander Magnus proprius fuerit Philippi Macedonum Regis filius; hæc autem, aliaque hoc genus innumera facta possunt *invincibiliter* ignorari.

2°. *Juris positivi*, etiam divini: erant enim apud Judæos divina præcepta de observando Sabbato, de sanguine non comedendo, de redimendis hominum promogenitis, de immolando quotannis Agno Paschali, &c. atqui tamen illæ & aliæ leges à Gentilibus plerisque *invincibiliter* ignorabantur, ut potè quarum nomina ne quidem audierant, nec audire potuerant. Præterea sic habet Apostolus: *Quomodò invocabunt in quem non crediderunt? aut quomodò credent ei quem non audierunt? quomodò audient sine prædicante? quomodò verò prædicabunt, nisi mittantur?* (*Rom.* 10. *v.* 14 & 15.) Quibus verbis docet Apostolus legem positivam divinam de Christo invocando, ab iis invictè nesciri quibus annuntiatum non fuit Evangelium.

De lege autem naturali quæ omnium animis à Deo infita est controvertitur. Alii enim contendunt remotiores saltem illius conclusiones, id est, quæ nonnisi difficilè ex primis principiis deducuntur, *invincibiliter* latere posse; alii verò negant: hæc autem controversia opportunius dirimetur in Tractatu de legibus, cùm de jure naturali speciatim disseremus.

Quæres 3°. utrùm ad verè proprièque peccandum necesse sit ut actu attendamus, vel saltem suspicemur malum esse quod agimus.

Hæc quæstio ut faciliùs intelligatur, observandum est à nonnullis Recentioribus duplex peccati genus distingui. Alterum *philosophicum*, alterum *theologicum* nuncupant. *Philosophicum* illud vocitant quod, licèt rectæ rationi adversetur, non

tamen est offensa Dei, nec legis divinæ infractio, quia scilicèt ab iis committitur, qui Deum non cognoscunt, vel de eo inter agendum non cogitant, sicque Deum offendere in animo non habent. Peccatum quod appellant *theologicum*, est offensa Dei legisque divinæ violatio, quia committitur ab iis qui Deum cognoscunt, & de eo inter operandum cogitant. Si quis verò suam actionem, neque rectæ rationi, neque legi divinæ adversari noverit & persentiat, dum agit, tunc propriè non peccat. Exitialem hanc doctrinam damnavit Alexander VIII, an. 1690.

PROPOSITIO.

Ad verè proprièque peccandum non requiritur, ut quod agimus malum esse advertamus vel suspicemur, vel de Deo cogitemus; at sufficit ut illud animadvertere potuerimus & debuerimus.

Prob. 1°. ex Scriptura quæ passim clamat ignorantiam Dei non efficere ut peccatis non offendatur: *Effunde iram tuam in gentes quæ te non noverunt.* (*Ptal.* 78. 11.) *Dixit insipiens in corde suo: non est Deus.* (*Psal.* 52. 1.) Quis autem negaverit ab illo insipiente Deum verè offendi? Quis crediderit ab eo non peccari *theologicè*, sic testante Prophetâ: *Corrupti sunt & abominabiles facti sunt in studiis suis.* (*Ibid.*)

Præterea passim docent Scripturæ ad offensam Dei non opus esse ut de Deo ejusque lege inter agendum cogitetur. *Non est Deus in conspectu ejus; inquinatæ sunt viæ illius in omni tempore: auferuntur judicia tua à facie ejus.* (*Psal.* 91.) *Intelligite hæc qui obliviscimini Deum, nequandò rapiat & non sit qui eripiat.* (*Psal.* 49. 24.) Dei igitur oblivio, nedùm illius offensam tollat vel minuat, eam potiùs auget, divinamque provocat vindictam.

Denique declarat Scriptura extra culpam non esse qui, dum agunt, operis sui pravitatem non attendunt, neque suspicantur. Nemo quippè Christianus dubitaverit quin graviter peccaverint, tùm Judæi qui Christum morti tradidêre, tùm ii qui Apostolos interfecêre, tùm Paulus cùm Ecclesiam Dei vexaret, tùm denique Gentiles de quibus Apostolus ait: *Semetipsos tradiderunt impudicitiæ, in operationem immunditiæ omnis*: (*Ephes.* 4. 19.) atqui tamen ii omnes, teste Scripturâ, flagitiosi sui operis malitiam neque noverant, neque advertebant. Non quidem Judæi qui Christum affixerunt cruci, cùm de iis dixerit: *nesciunt quid faciunt*; (*Luc.* 23. 34.) non Apostolorum interfectores qui arbitrabantur *obsequium se præstare Deo*; (*Joan.* 16. 2.) non Paulus qui sic testatur: *Ego quidem existimaveram me adversùs nomen Jesu Nazareni debere multa contraria agere*; (*Act.* 26. 9.) non denique Gentiles, *tenebris* scilicèt *obscuratum habentes intellectum . . . . . propter cæcitatem cordis ipsorum*. (*Ephes.* 4. 18.) Ad verum igitur & propriè dictum peccatum non requiritur ut qui agit, operis sui pravitatem cognoscat vel suspicetur.

Probatur 2°. ex peccatis quibus locum præbent conscientiæ errores: *In multis enim offendimus omnes*, inquit Augustinus, *dum putamus Deo quem diligimus placere, vel non displicere quod facimus*. (*Lib. de spiritu & littera, cap.* 36. *n.* 64. *tom.* 10. *pag.* 122.) Atqui homines ex conscientia errante peccantes, ita comparati sunt, ut se benè agere persuasum habeant, nedùm aliquid mali suis in actibus deprehendant, vel ea de re subdubitent; idque præsertim in iis patet, qui à pueritia in hæresi enutriti, hanc veluti cum lacte persuasionem traxerunt, scilicèt Religionem quam tenent unam esse veram, neque de ea ullum conscientiæ morsum experiuntur.

Prob. 3°. ex horrendis hujus doctrinæ consectariis. Eu primum: Si ad veri nominis peccatum necesse sit ut, dum agimus, operis nostri pravitatem advertamus, vel aliquis de ea scrupulus suboriatur, non peccabunt sceleratissimi homines cùm, abjecto Dei hominumque metu, immania facinora citra scrupulum, imò tranquillâ conscientiâ, committent; vel saltem tantò leviùs peccabunt, quantò minùs remordebit animus, vel quantò magis erunt *sicut equus & mulus quibus non est intellectus*: (*Tob.* 6. *v.* 17.) Atqui hæc doctrina repugnat tùm Scripturæ juxta quam *abominabilis est homo qui bibit, quasi aquam, iniquitatem*; (*Job. cap.* 15. 16.) tùm rectæ rationi quæ clamat æquum non esse, ut flagitiosissimi homines per voluntariam cæcitatem acquirant veluti privilegium non peccandi, aut saltem tantò minùs peccandi, quantò rariùs de Deo & scelerum atrocitate cogitabunt.

Secundum consectarium: Culpâ mortali vacabunt 1°. homines qui scelerum consuetudine obdurueruut: *peccata* enim, *quamvis magna & horrenda*, inquit Augustinus, *cùm in consuetudinem venerint, aut parva aut nulla esse creduntur*. (*Ench. cap.* 8. *n.* 21.) 2°. Homines rudes & imperiti qui pravis & communibus exemplis ducuntur, in iis nihil mali suspicantes: atqui tamen *ne se inde quispiam defendat*, ait S. Doctor, *quia cum pluribus facit, aut ideò non putet non esse peccata*. (*In exod. quæst.* 87.) 3°. Athei & Epicurei: dum enim gravissima perpetrant flagitia, ad legem Dei minimè attendunt, quem aut nullum esse, aut nihil præcipere reique humanas non curare sibi fingunt: quis autem hujusmodi consectaria non horreat?

Prob. 4°. ex eo quòd secum pugnet quam refellimus doctrina. Hujus enim defensores hinc docent peccatum quod vocant *philosophicum*, non esse mortale, neque pœnâ æternâ dignum; illinc confitentur peccatores philosophicos à Regno Dei excludi, quæ tamen pœna est sempiterna. Hinc contenduat Deum peccato *philosophico* non offendi

ac proindè in illa culpa non contineri aversionem à Deo : illinc tamen declarant hujusmodi peccatores à visione Dei *beatifica* esse extorres.

Prob. 5°. ex Cleri Gallicani censura, qui duas sequentes propositiones damnavit, alteram an. 1641, alteram an. 1700 : *Nunquam peccatur, nisi prævia peccati cognitione animus illustretur, ejusque vitandi studio stimuletur. -- si peccatores consummatæ malitiæ, cùm blasphemant, & flagitiis se immergunt, non habent conscientiæ stimulos, nec mali quod agunt notitiam, ... propugno eos hisce actionibus non peccare.* (*Mémoire du Clergé, edit. de 1716. tom. 1. pag. 737.*)

Solvuntur objecta.

Obj. 1°. Pharisæis ait Christus : *Si cæci essetis, non haberetis peccatum ;* (*Joan. 9. 41.*) ergo, positâ cæcitate quâ fit ut actionis malitiam non advertamus, nullum committitur peccatum.

Resp. Neg. conseq. Si enim cæcitas quâ fit ut hominem lateat actionis malitia, excusaret à peccato, jam nullum esset cæcitatis & ignorantiæ peccatum : atqui illud omninò falsum est. Nonne cæci erant & duces cæcorum Pharisæi qui Christum morti addixêre ? Quis verò dicere ausit eos non peccasse ? Damnata fuit ab Innocentio II tanquam hæretica, hæc Abailardi propositio : *Non peccárunt qui Christum ignoranter confixerunt.* (*Tom. 10. Concil. pag. 1014.*) Eumdem sic perstringit S. Bernardus : *Is forsitan qui asserit non posse peccari per ignorantiam, nunquam pro suis ignorantiis deprecatur, sed potius Prophetam irridet deprecantem & dicentem :* ignorantias meas ne memineris. (*Tract. de Bapt. cap. 4. n. 16. tom. 1. pag. 633.*) Quod spectat ad objectum Scripturæ locum, sic eum interpretatur Augustinus : *Cùm sit cæcitas ipsa peccatum, ... si vos cæcos adverteretis . . . . . & a. m dicum curreretis, . . . , non haberetis peccatum, quia veni ego auferre peccatum ; nunc verò dicitis quia videmus, & ideò peccatum vestrum manet ; quare ? quia dicendo videmus, medicum non quæritis, in cæcitate vestra remanetis.* (*Tract. 44. in Joan. n. 17. tom. 3. part. 2. pag. 594.*) In hac autem interpretatione quæ obvia est, nihil occurrit quod adversariis faveat, imò quod ipsorum opinionem non evertat.

Obj. 2°. ex Apostolo, *Usque ad legem peccatum erat in mundo : peccatum autem non imputabatur cùm lex non esset.* (*Rom. 5. 13.*) Atqui ideò non imputabatur peccatum, qui ante legem non cognoscebatur ; ergo necessaria est prævia hæc cognitio, ut opus aliquod veri peccati rationem habeat.

Resp. Dist. maj. Peccatum non imputabatur ab hominibus, sive non cognoscebatur, conc. maj. non imputabatur à Deo, neg. maj.

Hæc responsio est etiam S. Augustini, quam plurimis in locis reperire est. *Quid est, non deputabatur*, inquit S. Doctor, *nisi ignorabatur & peccatum esse non putabatur ? neque enim ab ipso Domino, tanquam non esset, habebatur, cùm scriptum sit :* Quicumque sine lege peccaverunt, sine lege peribunt. (*Lib. 1. de peccat. merit. cap. 10. n. 12. tom. 10. pag. 8.*) Et verò, si ante legem peccatum à Deo non imputaretur, omnes ergo justi erant & beati juxta illud Davidis : *Beatus vir cui non imputavit Dominus peccatum !* Atqui absurdum est ante legem omnes & singulos homines justos fuisse & beatos ; ergo falsum est ante legem peccatum à Deo non imputari.

Obj. 3°. Sic habet Augustinus : *Peccatum quod propriè vocatur peccatum, liberâ voluntate absciente committitur.* (*Lib. 3. de libero arb. cap. 19. n. 51. tom. 1. pag. 632.*) Ergo nullum est peccatum propriè dictum sine prævia illius cognitione.

Resp. Dist. ant. Committitur à sciente actum ipsum, cont. ant. à sciente actûs malitiam, neg. ant.

Si enim ad peccatum propriè dictum requireretur cognitio tùm actûs, live rei quæ geritur, tùm ejus pravitatis, nulla prorsùs essent ignorantiæ peccata : atqui illud ab Augustini doctrina est remotissimum, ut jam ostendimus, & sic ipse testatur suis in confessionibus : *Eò insanabiliùs peccabam, quòd me peccare nesciebam.* Quam adhibemus distinctionem, ipse his verbis tradit : *Quia voluit ergo fecit, etiamsi non quia voluit peccavit, nesciens peccatum esse quod fecit; ita nec tale peccatum sine voluntate esse potuit, sed voluntate facti, non voluntate peccati : quod tamen factum peccatum fuit; hoc enim factum est quod fieri non debuit.* (*Lib.* 1. *retractat. cap.* 15. *n.* 3. *tom.* 1. *pag.* 24) Ibi disertè statuit S. Doctor ad peccandum necessariam non esse voluntatem, nec proindè cognitionem *peccati*, seu pravitatis actûs ; at sufficere voluntatem & cognitionem *facti*, sive operis quod agitur, v. g. mendacii quod per se malum est, ideòque *fieri non debuit*.

Obj. 4°. S. Thomas : docet *à Theologis considerari peccatum præcipuè secundùm quod est offensa contra Deum, à Philosopho autem morali secundùm quod contrariatur rationi ;* (1. 2. *q.* 71. *art.* 6. *ad* 5.) ergo noster est S. Doctor, inquiunt peccati philosophici defensores.

Resp. Neg. conseq. Id unum dicit S. Thomas, scilicèt omne peccatum sub duplici respectu considerari posse ; alterum nempè sub quo divinæ legi, alterum sub quo sanæ rationi adversatur ; quod verissimum esse nemo diffitetur : minimè verò docet peccatum quod rectæ rationi opponitur, à Dei offensa posse disjungi. Quo in capite situs est error quem impugnamus.

Obj. 5°. Ibi nullum est peccatum propriè dictum, ubi nulla est peccandi voluntas : atqui sine Dei legisque divinæ præsenti cogitatione nulla est peccandi voluntas ; ergo, &c.

Resp. Neg. min. 1°. Quia implicitam saltem

peccandi voluntatem habet, qui divinam legem addiscere negligit, quando eam potest & debet cognoscere. *Non tibi imputatur ad culpam*, inquit Augustinus, *quòd invitus ignoras ; sed quòd negligis quærere quod ignoras.* (*Lib.* 3. *de lib. arb. c.* 18. *n.* 53.) 2°. Quia periculosum esset Deum divinamque legem cognoscere & præ oculis habere ; siquidem illa cognitio peccandi voluntatem induceret ; contrà verò utilius foret Deum ipsiusque legem ab animis nostris repellere : utriusque enim ignorantia vel oblivio, conscientiæ securitatem pareret : atqui hæc consectaria, quàm Deo legique divinæ injuriosa sint, nemo non intelligit ; ergo sine Dei legisque divinæ præsenti cognitione adesse potest peccandi voluntas.

Obj. 6°. Eò graviùs aut leviùs peccat aliquis, quò magis vel minùs compertam habet actûs pravitatem ; ergo si eam penitùs ignoret, nullum erit peccatum.

Resp. Neg. conseq. *Actualis* enim cognitio pravitatis facti alicujus, ad eamque mentis attentio, nonnisi *accidentalis* est circumstantia peccati, ut liquet ex dictis : atqui *accidentales* peccati circumstantiæ, illud quidem augere vel minuere possunt ; sed iis sublatis, non prorsùs tollitur peccatum. Certum est, v. g. eum qui furatur, eò graviùs aut leviùs peccare, quò majus vel minus inde scandalum exoritur : atqui tamen, sublato penitùs scandalo, peccatum esse non desinit furtum ; quia scandalum *accidentalis* tantùm est peccati circumstantia ; ergo pariter, licèt crescat vel decrescat peccati gravitas, prout magis vel minùs cognoscit aliquis malum esse quod agit, non tamen culpâ vacabit si actionis suæ pravitatem penitùs ignoraverit, modò eam cognoscere & advertere potuerit & debuerit.

Articulus II.

De Libero.

Duplex potissimùm distinguitur libertas, *à coactione* scilicèt & *à necessitate*. Libertas *à coactione* est immunitas ab omni violentiâ contra voluntatis propensionem illatâ. Hæc iis omnibus competit qui spontè, licèt ex naturali & interiori necessitate agant: quo sensu Deus liberè se amat, Sancti in cœlo Deum liberè diligunt, & homines in terris felicitatem liberè appetunt; quamvis enim ex necessitate naturalis inclinationis Deus sese amet, & Sancti Deum diligant, & homines felicitatem appetant, in hujusmodi tamen actus spontè voluntas prorumpit.

Libertas *à necessitate* quæ etiam dicitur libertas *electionis, indifferentiæ, arbitrii*, ea est quæ omnem necessitatem excludit tùm interiorem seu naturalem, tùm exteriorem sive *coactionis*. Eo sensu liber est qui potest agere vel non agere, hoc vel illud eligere; quia verò electio unius præ alio duobus modis fieri potest, duplex distinguitur libertas à necessitate; alia est *contradictionis* quæ est facultas eligendi alterutrum ex duobus contradictoriis, amandi vel non amandi; alia dicitur libertas *contrarietatis*, quæ est potestas eligendi alterutrum ex duobus contrariis, bonum, v. g. vel malum, virtutem aut vitium.

Cùm eò spectet Theologia moralis, ut actus humanos dirigat, de ea tantùm libertate disseremus quæ hominis propria est: quod duobus in paragraphis exequemur. In priori expendemus an homo sit liber, non à coactione tantùm, sed etiam à qualibet necessitate, & utrùm hæc libertas *ad merendum & demerendum* in statu naturæ lapsæ necessaria sit; in posteriori autem inquiremus an hominis lapsi libertas stare queat sine æquilibrio.

Paragraphus primus.

An sit in homine libertas tùm à coactione, tùm à qualibet necessitate: & utrùm hæc libertas ad merendum & demerendum *in statu naturæ lapsæ necessaria sit.*

Humanæ libertati bellum postremis hisce temporibus indixerunt Lutherus & Calvinus. Lutherus ait *liberum arbitrium esse inane vocabulum cujus res amissa sit. Ipsum originale peccatum*, inquit, *liberum arbitrium prorsùs nihil sinit posse, nisi peccare & damnari.* (*Lib. de servo arbitrio, tom. 2. pag. 441. edit. Wittemberg.*) Inde concludit Lutherus divinis decretis omnia necessario præstitui. Quod decretum vocat *fulmen* quo liberum arbitrium penitùs contritum extinctumque est. (*Ibid.*)

Calvinus pariter liberum arbitrium originali culpâ perditum esse frequens asserit: *Serva voluntas est*, inquit, *quæ propter corruptionem sub malarum cupiditatum imperio captiva tenetur, ut nihil quàm malum eligere possit, etiamsi id spontè & libenter, non externo motu impulsa id faciat.* (*Lib. 2. contra Pighium, de lib. arbit. tom. 7. pag. 154. col. 2. edit. Genev. an.* 1617.) Libertatem ergo quæ dicitur *indifferentiæ*, quâ possit homo agere vel non agere, rejicit uterque ille hæreticus, & in homine solam agnoscit libertatem à coactione. Nostrâ etiam ætate non desunt Scriptores impii, qui Philosophorum nomine prorsùs immeritò gloriantes, hominem ad bonum vel malum ineluctabili quâdam necessitate trahi doceant.

Propositio I.

Non à coactione tantùm, verùm etiam à qualibet necessitate liber est homo lapsus.

Prob. 1°. ex Scripturis: *Deus ab initio constituit hominem, & reliquit eum in manu consilii sui;... apposuit tibi aquam & ignem; ad quod volueris porrige manum tuam. Ante hominem vita & mors, bonum & malum.* (*Eccli.* 15. *v.* 14. 17 & 18.) His sanè verbis exprimitur libertas à qualibet necessitate, sive facultas hoc vel illud eligendi: atqui textus ille ad solum innocentem Adamum non pertinet, ut placet Calvino; sed etiam ad hominem lapsum. Judæos enim tunc viventes monet Ecclesiasticus, ne dicerent per Deum stare quominùs ipsi benè sapienterque viverent: *Non dixeris*, inquit, *per Deum abest.* (*Ibid. v.* 11.) Prætereà locum istum S. Augustinus ad hominem etiam lapsum accommodat: *Ecce*, inquit, *apertissimè videmus expressam humanæ voluntatis arbitrium.* (*Lib. de grat. & lib. arbit. cap.* 2. *n.* 3.)

Moyses Israëlitas sic alloquitur: *Testes invoco hodiè cœlum & terram, quod proposuerim vobis vitam & mortem, benedictionem & maledictionem; elige ergo vitam ut & vivas & semen tuum.* (*Deut.* 30. *v.* 19.) Quibus ex verbis patet hominem lapsum posse eligere vitam aut mortem, benedictionem vel maledictionem: atqui non posset utramlibet eligere, si ad alterutram quâdam necessitate impelleretur; ergo, &c.

Optio vobis datur, inquit Josue, *eligite hodiè quod placet, cui servire.... debeatis, utrùm diis*, &c. (*Josue*, 24. 15.) atqui optio, sive electio unius præ alio, probat facultatem ab omni necessitate liberam. *In iis enim quæ sunt penitùs determinata ad unum, electio locum non habet*, ait S. Thomas. (1. 2. *quæst.* 13. *art.* 2.)

Prob. 2°. ex Augustino cujus autoritate potissimùm gloriantur heterodoxi: *Habet*, inquit, *unusquisque in voluntate, aut eligere quæ bona sunt, & esse arbor bona; aut eligere quæ mala sunt, & esse arbor mala.* (*Lib.* 2. *de actis cum Felice, cap.* 4. *tom.* 8. *pag.* 488.) *Agit Deus ut velimus & ut credamus: .... sed consentire vel dissentire posse propriæ voluntatis est.* (*Lib. de spiritu & lit. cap.* 34. *n.* 60. *tom.* 10. *pag.* 120.) *Voluntatis arbitrium hùc atque illùc liberum flectitur.* (*Lib.* 2. *de peccat. merit. cap.* 18. *n.* 30. *ibid. pag.* 56.) Tandem, cùm objicerent Manichæi deliberationem in bonum & malum esse duplicis animæ indicium, *cur non magis*, inquit S. Doctor, *hoc signum est unius animæ quæ liberâ voluntate hùc & hùc ferri, hinc atque hinc referri potest?* (*Lib. de duabus animab. cap.* 13. *n.* 19. *tom.* 8. *pag.* 88.)

Porrò ille libertatem habet ab omni necessitate expeditam, penès quem est bona vel mala eligere; cujus voluntas gratiæ moventi consentire vel dissentire potest: cujus arbitrium hùc atque illùc liberum flectitur: atqui ita comparatum esse hominem docet Augustinus; ergo persuasum habuit inesse homini lapso libertatem à qualibet necessitate expeditam.

Prætereà S. Doctor ait libertatis cum gratia concordiam *ita esse difficilem, ut quando defenditur liberum arbitrium, negati Dei gratiam videatur.* (*Lib. de grat. Christi, n.* 52. *tom.* 10. *pag.* 251.) Atqui si libertas hominis in solo voluntario consisteret, eam cum divina gratia conciliare planum esset ac facillimum. Quis enim statim non concipiat voluntatem gratiâ motam, & suavissimâ boni delectatione divinitùs perfusam, sponte operari, non coactè? Si quam ergo difficultatem habet libertatis & gratiæ concordia, illud non de libertate à coactione intelligi debet, sed de sola libertate à qualibet necessitate, etiam interioris inclinationis, quæ proindè in homine lapso est admittenda.

Prob. 3°. ex Concilio Tridentino. *Si quis liberum hominis arbitrium*, inquit, *post Adæ peccatum, amissum & extinctum esse dixerit, ...anathema sit.* (*Sess. 6. de justificat. can. 5.*) Quo decreto profligatur, ut omnes norunt, Lutheri & Calvini error: atqui nunquam docuerunt illi Novatores periisse libertatem à coactione: *Voluntas .... nullâ coactione*, inquit Lutherus, *sed merâ lubentiâ facit quod facit, sive bonum, sive malum.* (*Lib. de servo arbitrio, tom. 2. pag. 426. folio recto, Edit. Wittemberg. an. 1551.*) *Si coactioni opponitur libertas*, ait Calvinus, *liberum esse arbitrium & fateor, & constanter assevero, & pro hæretico habeo quisquis secùs sentiat.* (*Lib. 2. contra Pighium, tom. 7. pag. 153. col. 2. Edit. Genev. an. 1617.*) Ergo liberum arbitrium quod Concilium definit non esse post Adami culpam amissum, est libertas, non solùm à coactione, sed etiam ab omni necessitate.

Prob. 4°. ratione: 1°. Ea libertas in homine agnoscenda est, quam testatur sensus intimus cujus testimonium certitudinem parit inconcussam: atqui testatur sensus intimus nobis inesse libertatem agendi vel non agendi. Unusquisque enim sibi conscius est, ita quædam se facere, ut possit ea non facere. Hinc de agendis deliberamus; hinc partium oppositarum commoda & incommoda pensitamus; hinc unum præ alio eligimus: quæ profecto non faceremus, si ad unum quâdam necessitate raperemur.

Et certè vix quisquam est qui, perpetrato scelere, conscientiæ stimulos non experiatur & seipsum non accuset: atqui illi conscientiæ aculei, illi interni dolores & cruciatus, quibus nocens quisque seipsum condemnat, non aliundè proficiscuntur, quàm ab intimo libertatis sensu. Quis enim unquam in iis seipsum vituperat quæ vitare non potuit? cur seipsam torquet mala conscientia, nisi quia intimè pronuntiat imputandum sibi malum quod fecit, & à quo potuit & debuit abstinere? *Pœnitendi quoque affectus*, inquit Augustinus, & *malè feciſſe pœnitentem & benè facere potuisse testatur.* (*Lib. de duab. animabus. cap. 14. n. 22.*)

2°. Apud omnes populos in usu quotidiano sunt hortationes, reprehensiones, minæ, preces, præmia & pœnæ, leges & præcepta: atqui hæc singula totidem sunt testimonia, quæ probant veram homini inesse agendi vel non agendi, bonum vel malum faciendi potestatem. Quid enim inutilius, quàm hortationes erga eos adhibere, qui ad virtutem aut vitium insuperabili quâdam necessitate pertraherentur? Quid juvat homines ad faciendum bonum, malumque vitandum precibus & minis invitare, si neutrum in eorum potestate sit? Quid inanius quàm præmia bonis, & pœnas malis decernere, quos non voluntas, sed invicta necessitas bonos faceret vel malos? quorsùm tandem leges & præcepta iis imponerentur, quos regeret fatum quoddam inevitabile. *Præcepta & leges*, inquit Augustinus, *inaniter darentur hominibus non habentibus liberum arbitrium.....quomodò jubet Deus, si non est liberum arbitrium?* (*Lib. de grat. & lib. arbit. cap. 2. n. 4.*)

PROPOSITIO II.

Ad merendum & demerendum *in statu naturæ lapsæ, non sufficit libertas à coactione; sed requiritur libertas à qualibet necessitate.*

Probatur 1°. Illud requiritur ad merendum, unde Scriptura hominis meritum repetit; atqui ex libertate, prout veram quamcumque necessitatem excludit, hominis meritum repetit Scriptura: *Beatus dives*, inquit, ... *qui potuit transgredi, & non est transgressus, facere mala, & non fecit: ideò stabilita sunt bona illius in Domino.* (*Eccli. 31. v. 8. & 10.*)

Prob. 2°. ex SS. Patribus. S. Justinus, *Non enim* (homo), inquit, *remuneratione aut laude dignus foret, si ex seipso bonum non eligeret. (Apolog. 1. n. 43. pag. 69. Edit. BB.)* S. Irenæus: *Qui operantur* (bonum) *gloriam & honorem percipient, quoniam operati sunt bonum, cùm possint non operari illud: hi autem qui illud non operantur, judicium justum excipient Dei, quoniam non sunt operati bonum, cùm possint operari illud. (Lib. 4. adversf. hæresf. cap. 37. pag. 281. col. 2. Edit. BB.)* S. Hieronymus: *Liberi arbitrii nos condidit Deus; nec ad virtutem, nec ad vitia necessitate trahimur: alioquin ubi necessitas, nec corona est.* Quem locum refert & approbat Augustinus. (*Tom. 10. p. 161.*) Augustinus ipse docet, *neminem esse vituperatione suppliciove dignum, qui.... id non faciat quod facere non potest*, & ita sentire *in orbe terrarum genus humanum. (Lib. de duab. animab. cap. 11. tom. 8. pag. 85 & 86.)* Denique S. Thomas, *Quidam posuerunt*, inquit, *quod voluntas hominis ex necessitate movetur ad aliquid eligendum.... Hæc autem opinio est hæretica. Tollit enim rationem meriti aut demeriti in actibus humanis. (quæst. 6. de malo. quæstiunc. de electione humana, in corp.)*

Ex iis autem Patrum testimoniis texitur sequens argumentum: Illud requiritur ad *merendum* & *demerendum* in statu naturæ lapsæ, sine quo nemo remuneratione, laude & supplicio dignus est; sine quo nulla est corona; sine quo ulla est in actibus humanis *meriti* aut *demeriti* ratio: atqui juxta laudatos Patres, sine libertate quæ omnem necessitatem ita excludat, ut homo possit bonum operari vel non operari, nemo remuneratione, &c. ergo, &c.

Prob. 3°. ratione. Actus humanus *meriti* & *demeriti* capax, est actus moralis qui scilicèt morum regulis subjici, ab iisque dirigi possit: atqui actus ex aliqua necessitate eliciti nequeunt morum regulis subjici, ab iisque dirigi; siquidem sunt ex

natura sua inflexibiles, nec aliter fieri possunt; ergo ut actus humanus sit *meriti* & *demeriti* capax, requiritur libertas à qualibet necessitate propriè dicta, nec sufficit immunitas à coactione, sive non satis est ut sit voluntarius.

Præterea *meritum* & *demeritum* hominis in iis tantùm actibus locum habet, qui ipsi imputari possunt: atqui actus ex aliqua necessitate facti nec possunt, nec debent homini imputari; siquidem eorum non est dominus. *Hoc* enim *quisque habere in potestate dicitur*, inquit Augustinus, *quod si vult, facit; si non vult, non facit. (Lib. de spirit. & litt. cap. 31. n. 53.)* *Sumus domini nostrorum actuum*, ait S. Thomas, *secundùm quòd possumus hoc vel illud eligere. (1 part. q. 82. art. 1. ad 3.)* Atqui in iis quæ homo ex aliqua necessitate agit, penès eum non est velle aut nolle, facere & non facere, hoc vel illud eligere; ergo nisi homo liber sit à quacumque necessitate, suorum actuum non est dominus, nec ipsi imputari debet quidquid agit, nec proindè est *meriti* & *demeriti* capax; ergo ad *merendum* & *demerendum* in statu naturæ lapsæ, requiritur libertas ab omni necessitate propriè dicta.

Corollarium.

Ex dictis sequitur homini lapso, quandiù in terris peregrinatur, inesse, ut aiunt Scholæ, *indifferentiam* tùm *contradictionis* quæ est facultas agendi vel non agendi, tùm *contrarietatis* quâ possit alterutrum ex duobus contrariis eligere, bonum scilicèt vel malum, virtutem aut vitium. Ne tamen existimes posteriorem hanc *indifferentiam* ad libertatis naturam pertinere; cùm enim sibi adjunctam habeat peccandi potentiam, libertatis est imperfectio: *& idcò ubi perfectissimum est liberum arbitrium*, inquit S. Thomas, *ibi in malum tendere non potest. (In lib. 2. sentent. dist. 25. q. 1. art. 1. ad 2.)* Deus scilicèt perfectâ libertate pollet;

atqui ab eo prorsùs exulat omnis ad peccandum *indifferentia*; hæc igitur ad libertatis essentiam non pertinet.

Idcircò S. Augustinus Julianum sic reprehendit: *Fallit te definitio tua.... dixisti enim*: liberum arbitrium non est aliud quàm possibilitas peccandi & non peccandi: *quâ definitione primùm ipsi Deo liberum arbitrium abstulisti, quem non negas.... non posse peccare. Deindè ipsi Sancti in Regno ejus liberum arbitrium perdituri sunt, ubi peccare non poterunt.* (*Lib. 6. operis imperf. cont. Julian. cap. 10. tom. 10. pag.* 1301 & 1302.) *In ipso Deo summum est liberum arbitrium, qui peccare nullo modo potest; quoniam si injustus esse posset, etiam Deus utique non esse posset.* (*Ibid. lib. 5. cap. 58. tom. 10. pag.* 1259.) Ideò autem peccandi facultas ad liberi arbitrii naturam & essentiam non pertinet quia, ut ait Augustinus, *hoc quisque in potestate habere dicitur, quod si vult facit; si non vult, non facit.* (*Lib. de spiritu & lit. n. 53. tom. 10. pag.* 115.) Atqui etiamsi abesset peccandi potentia, inde minimè sequeretur defuturam esse potestatem faciendi quod vellemus, & non faciendi quod nollemus.

Solvuntur objecta.

Obj. 1°. adversùs primam propositionem. Ille non est liber qui non habet in sua potestate vias suas: atqui homo lapsus non, &c. ut sic refellatur Jeremias: *Scio, Domine, quia non est hominis via ejus.* (*Cap. 10. v. 23.*) Ergo, &c.

Resp. Dist. maj. Qui non habet in sua potestate vias suas quoad propositum, conc. maj. quoad exitum & eventum, neg.

Reverà quidem non sunt in potestate hominis viæ suæ suaque consilia, si eorum eventum spectes, cùm omnia ex animi sententia ipsi non succedant. Consiliorum enim humanorum (exitus à summâ

summâ Dei voluntate & providentiâ pendet: consilia autem & viæ hominis penès ipsum sunt quoad propositum & electionem. Hoc enim vel illud sibi proponere ac eligere potest, ut experientiâ constat. Huic interpretationi maximè accommodantur hæc alia Scripturæ verba: *Cor hominis disponit viam suam; sed Domini est dirigere gressus ejus.* (*Proverb. 16. v. 9.*)

Obj. 2°. Homo lapsus non facit quod vult, & facit quod non vult, juxta illud Apostoli: *Non enim quod volo bonum, hoc ago; sed quod odi malum, illud facio;* (*Rom. 7. 15.*) ergo homo lapsus non est liber à quacumque necessitate.

Resp. Dist. ant. Homo non facit quod vult, & facit quod non vult, in actibus *indeliberatis*, conc. in actibus deliberatis, neg.

Actus deliberati ii sunt qui fiunt ex consilio, & post præviam deliberationem, illique sunt in nostra potestate: actus autem *indeliberati* sunt quædam cogitationes & propensiones, quæ in mente nostrâ citra concilium & deliberationem excitantur, nec rationi subjiciuntur: tales sunt quidam concupiscentiæ motus quos inviti experimur.

Porrò apud apostolum agitur de *indeliberatis* & importunis concupiscentiæ motibus quos homo patitur, non operatur; quos sentire nollet, & quibus tamen exagitatur. *Video*, inquit, *aliam legem in membris meis repugnantem legi mentis meæ, & captivantem me in lege peccati quæ est in membris meis.* (*Ibid. cap. 7. v. 23.*) Porrò subitæ illæ concupiscentiæ titillationes, cùm rationis consilium & deliberationem prævertant, non sunt actus humani de quibus solis in nostra propositione agitur.

Quamvis autem penès hominem non sit concupiscentiæ assultus à se depellere, iis tamen non consentire in ipsius potestate est. *Etsi voluntas*, ait S. Thomas, *non possit facere quin motus con-*

cupiscentiæ insurgat, de quo Apostolus dicit: Quod odi malum, illud facio, *id est, concupisco; tamen potest voluntas non velle concupiscere, aut concupiscentiæ non consentire; & sic non ex necessitate sequitur concupiscentiæ motum.* (1. 2. *quæst.* 10. *art.* 3. *ad.* 1.) Quamobrem fideles sic monet Apostolus: *Non ergo regnet peccatum in vestro mortali corpore, ut obediatis concupiscentiis ejus:* (*Ibid. cap.* 6. *v.* 12.) atqui vana prorsùs foret hæc admonitio, si concupiscentiæ motibus resistere non posset voluntas.

Obj. 3°. S. Augustinus sic docet: *Libero arbitrio malè utens homo, & se perdidit & ipsum.* (*Ench. cap.* 30. *tom.* 6. *pag.* 207.) Ergo nulla superest in homine lapso libertas.

Resp. Dist. ant. Perdidit liberum arbitrium quoad perfectionem & vires quas in statu innocentiæ habuit, conc. perdidit liberum arbitrium quoad rem & substantiam, neg.

Scilicèt contendebant Julianus & Pelagiani, eamdem esse in præsenti statu voluntatis humanæ ad bonum agendum facilitatem, quæ fuerat in homine innocente, & Adami peccato debilitatum & imminutum non esse liberum arbitrium. Unde gratiæ necessitatem minimè agnoscebant. Hanc autem plenam & expeditam ad benè agendum libertatis facilitatem periisse dicit Augustinus, & meritò quidem; cùm enim Adamo innocente nulla esset concupiscentiæ libido, nulla carnis adversùs spiritum luctatio, nulla ad malum propensio, liberrimâ gaudebat benè operandi facultate. In præsenti verò statu primi hominis peccato natura vitiata est, voluntas grandi vulnere sauciata, boni difficultas aucta, perdita gratia quæ plenam & expeditam facit benè agendi potentiam; ergo certum est liberum hominis arbitrium ab ea perfectione excidisse, quam in statu innocentiæ acceperat.

Sed non periit quoad rem & substantiam: ait enim S. Doctor hominem eodem modo liberum

arbitrium amisisse, quo seipsum perdidit: atqui homo non seipsum perdidit quoad rem & substantiam, ita ut desierit esse homo, sed tantùm quoad egregias dotes quibus in statu innocentiæ ornatus fuerat; ergo nec liberum arbitrium quoad substantiam amisit: hanc esse Augustini mentem istis verbis manifestum est: *Quis nostrùm dicat quòd primi hominis peccato perierit liberum arbitrium de humano genere? Libertas quidem periit per peccatum; sed illa quæ in Paradiso fuit.* (*Lib.* 1. *contra duas Epist. Pelag. cap.* 2. *n.* 5. *tom.* 10. *pag.* 413.)

Inst. Ille perdidit liberum arbitrium quoad rem & substantiam, qui peccat ex dura necessitate: atqui homo lapsus, &c. *Quia peccavit voluntas*, inquit Augustinus, *secuta est peccantem peccatum habendi dura necessitas.* (*Lib.* 2. *de perfect. justit. cap.* 4. *n.* 9. *Ibid. pag.* 170.) Ergo homo lapsus liberum arbitrium amisit quoad substantiam.

Resp. Dist. maj. Qui peccat ex dura necessitate physicâ, conc. ex necessitate morali tantùm, neg. maj.

Duplex itaque est necessitas, alia *physica*, alia *moralis*. Necessitas *physica* dicitur ea quæ omninò ineluctabilis est, & cui voluntas nullo modo potest resistere. Ea necessitas vocatur *moralis* quæ superari potest, licèt rarò vel nunquam vincatur. Talis est necessitas per longam consuetudinem inducta. Homo lapsus experitur quidem moralem peccandi necessitatem; quia fieri moraliter non potest ut, habitâ ratione infirmitatis humanæ, inter tot tantasque tentationes homo non peccet; sed nullâ necessitate physicâ truditur ad peccatum: si quid enim homini physicam peccandi necessitatem imponeret, maximè corroborata consuetudo: atqui tamen physicam peccandi necessitatem non invehit, & superari potest, divinâ scilicèt adjuvante gratiâ quam petere possumus & debemus: *Ut non obsit ista necessitas* (peccandi), inquit S. Doctor, *donat ille cui dicitur:* de necessitatibus

meis erue me. (*Lib.* 1. *operis imperf. cap.* 106. *tom.* 10. *pag.* 936.) Sic etiam excludit physicam peccandi necessitatem : *Qui urgetur consuetudinis pondere, ...nec ipse desperet : profundus mortuus est ; sed altus est Christus.* (*Serm.* 98. *n.* 7. *tom.* 6. *pag.* 520.)

Obj. 4°. Ille non est liber qui necessariò sequitur id quod magis eum delectat : atqui homo necessariò sequitur, &c. juxta illud Augustini effatum : *Quod amplius nos delectat, secundum id operemur necesse est.* (*In cap.* 5. *Epist. ad Galat. n.* 49. *tom.* 3. *part.* 2. *pag.* 972.) Ergo, &c.

Resp. Neg. min. Quantâcumque enim delectatione sive terrenâ, sive cœlesti alliciatur voluntas ad bonum aliquod prosequendum, in ea semper remanet vera illius deserendi potentia. Ratio est, quia præter summi boni summæque felicitatis possessionem, nihil est quod naturale hominis desiderium explere, ejusque inconstantiam prorsùs sistere possit, juxta hanc Augustini sententiam : *Fecisti nos, Domine, ad te, & inquietum est cor nostrum, donec requiescat in te.* Quandiù ergo mortalem hanc vitam agimus, nullum est bonum quod voluntatem tantâ delectatione profundat, ut immensam ejus capacitatem exhauriat ; in illud igitur prosequendum omnes vires suas non exerit voluntas, ideòque veram retinet illud rejiciendi potentiam eamque non priùs expet, quàm summâ beatitudine perfruatur ; quantâcumque ergo suavitate ad bonum aliquod eligendum invitetur & alliciatur animus, ad illud tamen amplectendum nullâ necessitate propriè dictâ trahitur.

Quod spectat ad objectam Augustini sententiam, ut probè intelligatur, duplex distinguenda est delectatio, altera scilicèt *deliberata*, altera verò *indeliberata*. Sic enim informata est mens humana, ut nihil appetat vel refugiat, quod priùs non noverit. Hæc autem rei propositæ notio, vel aliquâ bonitatis & jucunditatis specie mentem allicit & ad se invitat ; vel animum injucundo sensu afficit, qui eum ab ipsa re deterreat : *nam voluntas ipsa, nisi aliquid occurrat quod delectet atque invitet animum, moveri nullo modo potest*, inquit Augustinus (*Lib.* 1. *ad simplic. q.* 2. *tom.* 6. *pag.* 104.)

Hæc prima mentis impulsio dicitur delectatio *indeliberata*, quia voluntatis deliberationem & consensum prævertit. Aliquandò contingit ut animus duplici delectatione indeliberatâ & contrariâ moveatur ; hinc noxiis libidinum illecebris, illinc justitiæ & virtutis pulchritudine. Motus illi sunt quasi materia deliberationi subjecta, & nullum important arbitrii actum, quandoquidem inconsultâ mente exoriuntur.

Mens utrinque sic allecta liberum arbitrium exercet, quo unum præ alio eligit, alterum alteri anteponit, in eoque suavissimè conquiescit. Hæc electio dicitur delectatio *deliberata*, quæ liberum voluntatis motum significat, quo in unam partem proprio motu fertur, ceteris postpositis : porrò necesse est ut id homo amplectatur quod præ alio eligit. Quis autem non videat necessitatem hanc non esse nisi impropriè dictam, & *consequentem* ? subsequitur enim liberam voluntatis deliberationem & electionem, quæ è diversis rebus sibi objectis, hanc liberè eligit quam voluit ceteris antepositam.

Aliæ difficultates è ratione petitæ, in Philosophia morali jam contritæ fuerunt.

Paragraphus II.

Utrùm libertas humana stare possit sine æquilibrio.

Æquilibrii nomine in moralibus generatim significatur status in quo voluntas parem & æquè expeditam habet potentiam, in hanc vel illam partem sese flectendi, v. g. in bonum vel in

malum. Duplex autem à recentioribus quibusdam Theologis distinguitur æquilibrium; aliud scilicèt *inclinationis* sive propensionis; aliud *potentiæ* seu *virium*.

Æquilibrium *inclinationis* adesse dicitur, cùm voluntas paribus, & gratiæ ad bonum allicientis, & concupiscentiæ ad malum pertrahentis motibus concutitur, & æqualiter hinc & inde afficitur. Ut servetur ejusmodi æquilibrium, necesse est Deum eam subministrare gratiæ copiam & mensuram, quæ concupiscentiæ vim prorsùs adæquet.

Æquilibrium *potentiæ* seu *virium* appellatur illud quo voluntas, licèt inæqualibus gratiæ & concupiscentiæ motibus impulsa, vim habet quâ in alterutram partem, in bonum vel malum semper sese flectere æqualiter valeat; ita nimirùm ut vel minima gratia voluntati vires addat, coercendis & reipsà superandis concupiscentiæ, licèt vehementissimæ, motibus pares & æquales.

Primum æquilibrii genus defendit Cardinalis Sfondratus; secundum autem propugnârunt Molina & Suarez à quibus in ceteros sive Molinistas, sive Congruistas transmissum est. Hoc maximè principio nituntur, quod nisi æquilibrium admittas, in tuto non videatur libertas posse consistere.

PROPOSITIO I.

Prorsùs rejiciendum est æquilibrium inclinationis, seu propensionis.

Probatur. Certum est, legem novam sive evangelicam, lege veteri longè præstantiorem esse & excellentiorem. Eam enim ob causam appellatur *lex gratiæ. Lex per Moysen data est; gratia & veritas per Jesum Christum facta est.* (*Joan.* 1. *v.* 17.) Atqui in sententia quam refellimus, ex parte gratiæ nihil erit discriminis inter legem novam & veterem. Ad naturam enim hominis

pertinet libertas, ut docent fides ipsaque ratio; libertas autem sine æquilibrio inclinationis stare non potest, judice Sfondrato; æquilibrium verò illud in eo positum est, ut quot concupiscentiæ, tot gratiæ sint gradus in voluntate, quibus ad æquipondium suspendatur: & in quam voluerit partem æquali facilitate sese possit flectere, ergo si vera sit hæc doctrina, fatendum erit omnium, quotquot unquam, & in quacumque lege vixerint, hominum parem fuisse conditionem, ac proindè ex parte gratiæ nullum esse discrimen inter legem evangelicam, & legem tùm naturæ, tùm scriptam seu Mosaicam; quod certè à fide prorsùs alienum est.

Prob. 2°. Liberum arbitrium naturalem esse hominis proprietatem, nemo sanus inficiabitur: atqui in sententia quam impugnamus, liberum arbitrium non erit naturalis hominis proprietas. Libertas enim sine æquilibrio nulla est: aliundè sine gratia stare non potest æquilibrium; gratia verò non est naturale hominis bonum, quod sine summa impietate negari non potest; ex illa igitur opinione sequitur libertatem ad hominis naturam non pertinere.

Prob. 3°. Ex apertis Scripturæ testimoniis constat quosdam esse homines induratos & obcæcatos: *Induratum est cor Pharaonis.* (*Exod.* 7. 22.) De Philosophis Gentilibus sic loquitur Apostolus: *Obscuriatum est insipiens cor eorum, ... tradidit illos Deus in reprobum sensum.* (*Rom.* 1. *v.* 21. & 28.) Atqui si vera sit quam refellimus doctrina, nulli erunt homines excæcati & indurati. Numquid enim cæcus est cui splendidissimum gratiæ lumen indesinenter affulget? Numquid induratus est quem gratia tantùm emollit ad bonum, quantùm inveterata cupiditas obdurat ad malum, ut nempè servetur æquilibrium sine quo nulla est libertas?

Prob. 4°. Absurdum est eò minorem esse in homine gratiam, quò sanctior est, & eò majorem,

quò iniquior : atqui id sequitur ex doctrina quam aggredimur. Si enim constare nequeat libertas sine pari concupiscentiæ & gratiæ conflictu, necesse est ut Deus pro mensura cupiditatis dispenset gratiarum copiam ; alioqui libertatem violaturus, si à lege æquilibrii tantillùm discederet ; fit ergo aliquis insigniter malus, & ad omne nefas projectus ; in eum gratia non parcè & guttatim, sed largissimè, sed pleno veluti flumine effunditur, ut quantùm concupiscentiâ premitur, tantùm relevetur gratiâ ; quamvis igitur Beatissimam Virginem tanquam *gratiâ plenam* Angelus salutaverit, huic minùs gratiæ *actualis* collatum fuit, quàm Judæ proditori ; minùs Paulo, quàm Neroni ; minùs Moysi, quàm Pharaoni ; multò magis etiam in reprobos, quàm in prædestinatos liberalis est Deus : quæ omnia quantùm à majestate divina & veritate abhorreant, nemo est qui non videat.

Prob. 5°. Hoc inviolabile est Evangelii præceptum fugiendam omnem peccati occasionem, & omne peccatum ; *quia*, ut ait Sapiens, *qui amat periculum, in illo peribit.* (*Eccli.* 3. 27.) Atqui mandatum illud subruit æquilibrii doctrina. Quid enim periculi reformidandum habet ille cui semper præstò est gratiæ copia, quam concupiscentiæ gradibus attemperat Deus, ne scilicèt ipsa libertas unà cum æquilibrio destruatur ? Quinimò potiùs quærendæ sunt gravissimæ peccandi occasiones, quia quantò vehementior urgebit cupiditas, eò copiosior erit gratiæ largitio, ut scilicèt retineatur æquilibrium in quo sita est hominis libertas.

PROPOSITIO II.

Rejiciendum est etiam æquilibrium potentiæ seu virium.

Probatur 1°. Concilium Tridentinum definit liberum hominis arbitrium, licèt primi parentis peccato minimè extinctum, fuisse tamen viribus

attenuatum & inclinatum. (*Sess. 6. de justificat. cap.* 1.) Atqui hæc virium attenuatio & imminutio conciliari nequit cum æquilibrio potentiæ & virium. *Unde qui post peccatum Adæ æquilibrium illud propugnant, videntur esse peccati originalis obliti*, inquit Cardinalis Gotti (*Lib. de natura, quæst* 2. *dub.* 5.) Ergo, &c.

Et certè hominis lapsi voluntas in eo systemate dici non potest infirma, nisi quia vel ipsi opus est gratiæ auxilio, vel quia potentiori gratiâ indiget, quàm hominis sani & innocentis voluntas : atqui infirmi dici non potest ex eo quòd ipsi opus sit gratiæ auxilio, siquidem eo indigebat hominis etiam integri voluntas ; prætereà immeritò diceretur infirma hominis lapsi voluntas, quia necessarium ipsi foret potentius gratiæ subsidium : in opinione enim quam refellimus, gratia vel minima sufficit ad superandas quaslibet tentationes & vincendos concupiscentiæ motus vehementissimos. Supponamus igitur peccatorem gratiâ tenuissimâ & unius tantùm gradûs adjutum, superare tentationem 100 graduum, manifestum est voluntatem humanam in illa hypothesi 99 gradus virium è sua penu depromere ; ubinam ergo est ipsius infirmitas ?

Prob. 2° quia hæc sententia divinæ omnipotentiæ notionem subvertit. Ideò quippè omnipotens intelligitur Deus, quia *omnia quæcumque vult, facit in cœlo & in terra.* Ea divinitatis prærogativa in gratiæ operationibus præsertim locum habet. *Deus* enim, ut canit Ecclesia, *omnipotentiam suam parcendo maximè & miserando manifestat :* atqui, admisso æquilibrio potentiæ & virium ad mentem Molinæ & Suarez, nedùm faciat Deus quidquid vult in cœlo & in terra, magnæ è contrario imbecillitatis convincitur : volunt quippè hominem, positâ quâcumque gratiâ, esse in æquilibrio virium, ita ut non modò possit resistere, sed reipsâ resistat. Unde sequitur Deum ex infinitis potentiæ suæ thesauris, eam proferre non

posse gratiam quæ certò voluntatis consensum obtineat. Id autem quid aliud est, quàm omnipotentiam divinam penitùs labefactare? Hinc Assermetus negare non dubitavit, Deum *respectu salutis humanæ* non esse omnipotentem. (*Tract. de grat. pag.* 720.)

Prob. 3°. ex Augustino. Contendebat Julianus liberum arbitrium ita esse in æquilibrio constitutum, *ut tam liberum sit homini ..... adulterium committere velle, quàm nolle; ... tam liberum Deo obedire imperanti, quàm diabolo persuadenti.* (*Lib.* 3. *operis imperf. cap.* 110. *tom.* 10. *pag.* 1095.) *Libera tua*, inquit S. Doctor, *quam conaris ex utraque parte per æqualia momenta suspendere, ut voluntas quantùm est ad malum, tantùm etiam sit ad bonum libera, vergendo in unam partem, te indicat delirantem.* (*Ibid. cap.* 217. *pag.* 1098.)

Prob. 4°. Æquilibrium quod impugnamus in eo positum est, quòd quantùmlibet inæquales sint gratiæ & cupiditatis gradus, liberum tamen arbitrium vim æqualem habeat, sive gratiæ sive cupiditati obsequendi: atqui illud tùm à ratione, tùm à quotidiana experientia alienum est. Quamvis enim gratia & cupiditas libertatem nunquam auferant, certò tamen alterutra ad operandum inclinat & movet, ea nimirùm quæ viribus prævalet, juxta illud Augustini effatum jam allegatum: *Quod amplius delectat, secundùm id operemur necesse est. Amor meus, pondus meum, eo feror quòcumque feror*; hinc totiès in Scripturis servi *peccati*, vel *justitiæ* appellantur homines, prout in ipsis dominatur boni vel mali amoris affectus. *Gratias Deo*, inquit Apostolus, *quòd fuistis servi peccati, obedistis autem ex corde in eam formam doctrinæ in quam traditi estis; liberati autem à peccato, servi facti estis justitiæ.* (*Rom.* 6. *v.* 17. & 18.)

Prob. 5°. quia non levioribus incommodis obnoxium est *potentiæ* æquilibrium, quam *inclinationis*. Cur enim homo vel gravissimas peccandi occasiones vitaret? cur vigilantiam christianam adhiberet? cur obcæcationem & indurationem pertimesceret? cur ipse Pharao diceretur obduratus? siquidem nec ipse, nec quisquam alius, juxta adversarios, caruit unquam æquilibrio potentiæ sine quo tolleretur libertas; ubi autem adest illud æquilibrium, ibi etiam occurrit gratiæ quæ, licèt minima, vires confert superandæ cuilibet tentationi & concupiscentiæ pares & accommodatas.

Denique, æquilibrium illud rejiciunt centum Galliarum Episcopi in opere cui titulus, *le Corps de doctrine*, an. 1720, ubi de libertate *indifferentiæ* differentes, sic loquuntur: *Cette indifférence active, ce pouvoir de résister, soit à la grâce la plus puissante, soit aux tentations les plus fortes, ne doit pas être confondue avec un système qui supposeroit dans la volonté des forces toujours égales pour faire le bien & le mal; ce qui est contraire à la doctrine de l'Eglise, touchant les forces du libre arbitre, diminuées ou affoiblies par le péché.* (*Art.* 3.)

CAPUT II.

De Conscientia.

Duo erunt hujus capitis articuli: in primo, de conscientia generatim; in secundo, de variis ejus divisionibus dicturi sumus.

posse gratiam quæ certò voluntatis consensum obtineat. Id autem quid aliud est, quàm omnipotentiam divinam penitùs labefactare? Hinc Assermetus negare non dubitavit, Deum *respectu salutis humanæ* non esse omnipotentem. (*Tract. de grat. pag.* 720.)

Prob. 3°. ex Augustino. Contendebat Julianus liberum arbitrium ita esse in æquilibrio constitutum, *ut tam liberum sit homini ..... adulterium committere velle, quàm nolle; ... tam liberum Deo obedire imperanti, quàm diabolo persuadenti.* (*Lib.* 3. *operis imperf. cap.* 110. *tom.* 10. *pag.* 1095.) *Libera tua*, inquit S. Doctor, *quam conaris ex utraque parte per æqualia momenta suspendere, ut voluntas quantùm est ad malum, tantùm etiam sit ad bonum libera, vergendo in unam partem, te indicat delirantem.* (*Ibid. cap.* 217. *pag.* 1098.)

Prob. 4°. Æquilibrium quod impugnamus in eo positum est, quòd quantùmlibet inæquales sint gratiæ & cupiditatis gradus, liberum tamen arbitrium vim æqualem habeat, sive gratiæ sive cupiditati obsequendi: atqui illud tùm à ratione, tùm à quotidiana experientia alienum est. Quamvis enim gratia & cupiditas libertatem nunquam auferant, certò tamen alterutra ad operandum inclinat & movet, ea nimirùm quæ viribus prævalet, juxta illud Augustini effatum jam allegatum: *Quod amplius delectat, secundùm id operemur necesse est. Amor meus, pondus meum, eo feror quòcumque feror*; hinc totiès in Scripturis servi *peccati*, vel *justitiæ* appellantur homines, prout in ipsis dominatur boni vel mali amoris affectus. *Gratias Deo*, inquit Apostolus, *quòd fuistis servi peccati, obedistis autem ex corde in eam formam doctrinæ in quam traditi estis; liberati autem à peccato, servi facti estis justitiæ.* (*Rom.* 6. *v.* 17. & 18.)

Prob. 5°. quia non levioribus incommodis obnoxium est *potentiæ* æquilibrium, quam *inclinationis*. Cur enim homo vel gravissimas peccandi occasiones vitaret? cur vigilantiam christianam adhiberet? cur obcæcationem & indurationem pertimesceret? cur ipse Pharao diceretur obduratus? siquidem nec ipse, nec quisquam alius, juxta adversarios, caruit unquam æquilibrio potentiæ sine quo tolleretur libertas; ubi autem adest illud æquilibrium, ibi etiam occurrit gratiæ quæ, licèt minima, vires confert superandæ cuilibet tentationi & concupiscentiæ pares & accommodatas.

Denique, æquilibrium illud rejiciunt centum Galliarum Episcopi in opere cui titulus, *le Corps de doctrine*, an. 1720, ubi de libertate *indifferentiæ* differentes, sic loquuntur: *Cette indifférence active, ce pouvoir de résister, soit à la grâce la plus puissante, soit aux tentations les plus fortes, ne doit pas être confondue avec un système qui supposeroit dans la volonté des forces toujours égales pour faire le bien & le mal; ce qui est contraire à la doctrine de l'Eglise, touchant les forces du libre arbitre, diminuées ou affoiblies par le péché.* (*Art.* 3.)

CAPUT II.

De Conscientia.

Duo erunt hujus capitis articuli: in primo, de conscientia generatim; in secundo, de variis ejus divisionibus dicturi sumus.

Articulus Primus.

De Conscientia generatim sumpta.

Conscientia est intimum animi judicium, de actionis peculiaris bonitate aut pravitate pronuntiantis, & quid in his vel illis circumstantiis agendum omittendumve sit, aut quid fieri vel omitti debuisset dictantis. Conscientia enim non versatur tantùm circa facienda, sed etiam circa facta, vel ea approbando, sicut in Apostolo: *Gloria nostra*, inquit, *hæc est, testimonium conscientiæ nostræ*; (2. *Cor.* 1. 12.) vel ea redarguendo, qualis est conscientia damnatorum in inferno, *ubi vermis eorum non moritur.* (*Marc.* 9. 43.)

His præmissis, quæritur an conscientia sit morum regula, ita certa & incorrupta, ut malum sit quidquid contra eam agitur, bonum verò quidquid, eâ dictante, geritur.

Propositio.

Quidquid sit contra conscientiam peccatum est; quidquid autem, eâ dictante, geritur, non semper bonum est.

Probatur prima pars ex Apostolo qui ita pronuntiat: *Omne quod non est ex fide, peccatum est.* (*Rom.* 14. 23.) Atqui hæc Apostoli verba significant peccatum esse quidquid sit contra conscientiam: ibi enim de iis agit qui cibos quosdam prohibitos esse judicantes, ipsis tamen vescebantur. *Qui autem discernit* (cibos licitos à vetitis) *si manducaverit* (cibum quem prohibitum credit), *damnatus est, quia non ex fide*, id est, non ex conscientiæ judicio agit: *omne autem quod non est ex fide*, sive ex conscientia, *peccatum est.*

Prob. 2°. Quia voluntatem peccandi habet qui agit contra conscientiam. Quid est enim agere, reluctante conscientiâ, nisi vel aliqu d facere quod prohibitum esse judicamus, vel id omittere quod faciendum credimus? Atqui profectò voluntatem peccandi habet quisquis id agit quod vetitum putat, vel omittit quod faciendum existimat; ergo 1°. quod fit contra conscientiam semper malum est.

Prob. secunda pars. Illud non semper bonum est, quod legi divinæ summæque rationi interdùm adversatur: atqui quod, dictante conscientiâ, geritur, legi divinæ, &c. cùm scilicèt fit ex conscientia errante quæ suum potest errorem depellere. Nonne, v. g. contra legem divinam peccavit Apostolus, cùm Ecclesiam Dei vexaret, & in ipsius excidium totis viribus, & approbante conscientiâ, niteretur? Nonne legem divinam violârunt qui Christi discipulos interficientes, obsequium se præstare Deo ex intimâ conscientiæ persuasione judicabant? Ergo 2° non semper bonum est quod juxta conscientiam agitur.

Solvuntur objecta.

Objicies 1°. adversùs primam propositionis partem. Conscientia errans non est morum regula; ergo quod fit contra conscientiam, non semper malum est.

Resp. Neg. conseq. Quod enim contra conscientiam errantem agitur, non ideò malum dicimus, quia hujusmodi conscientia est morum regula. Illo quippè nomine prorsùs indigna est, cùm à lege divina dissentiat: cur ergo peccat qui, conscientiâ reluctante, agit? quia scilicèt peccandi voluntatem habet, siquidem illud facit quod vetitum putat.

Obj. 2°. Si quis peccet contra conscientiam erran-tem agendo, eam sequi tenebitur: atqui ridi-

culum est teneri aliquem conscientiam errantem sequi ; ergo contra eamdem agendo non peccat.

Resp. Neg. maj. Qui enim conscientiam habet errantem, nec contra eam agere, nec eam sequi debet. Sed inter utrumque illud extremum datur aliquid medii. Tenetur scilicèt errorem exuere, & falsum conscientiæ judicium emendare : quod ut assequatur, debet Deum orare, rem totam accuratè expendere, libros qui rem de qua agitur diligenter pertractant legere, pios doctosque viros consulere. Quibus adversùs errorem remediis ita utendum est, ut si unum non sufficiat, ad alterum confugiatur.

Obj. 1°. adversùs secundam propositionis partem. Si quid agitur juxta conscientiam errantem, esset aliquandò peccatum, qui hujusmodi conscientiâ laborat, necessariò peccaret: sive enim conscientiæ judicio obsequatur, sive ei resistat, haud dubiè peccabit : atqui nemo ex necessitate peccat, cùm nullum sit peccatum quod vitari non possit ; ergo quod agitur juxta conscientiam errantem, nunquam peccatum est.

Resp. Neg. maj. Licèt enim homini conscientiâ errante laboranti undique sint angustiæ, & certò peccaturus sit, quandiù in illo statu versabitur ; ipsi tamen non incumbit vera proprièque dicta peccandi necessitas. Cùm enim error conscientiæ quo detinetur, ex hypothesi vincibilis sit, potest & debet eum deponere; v. g. qui ex conscientia errante credit proximo subveniendum esse per mendacium, quandiù stabit error ille, haud dubiè peccabit, sive mentiatur, sive non ; sed non idcircò verâ peccandi necessitate obstringitur, quia potest & debet errorem suum depellere, vel peritiores consulendo, vel rem maturiùs & diligentiùs introspiciendo.

Obj. 2°. Quod agitur contra conscientiam errantem, semper malum est ; ergo è contrario quod agitur juxta eamdem conscientiam, semper bonum est.

Resp. Nego conseq. Sicuti enim in dialecticis duæ propositiones contrariæ possunt esse simul falsæ, quales sunt istæ : *omnis homo est doctus*, *nullus homo est doctus* ; ita & in moralibus duo contraria possunt esse simul mala, qualia sunt agere contra conscientiam, & agere juxta conscientiam errantem : qui enim agit, raclamante conscientiâ, idipsum facit quod illicitum esse intimâ animi persuasione judicat, ac proindè vult & amat peccatum ; qui verò conscientiam *vincibiliter* errantem sequitur, ideò peccat, quòd ex ignorantia quam depellere potest & debet, rem faciat à lege prohibitam.

Quæres quale sit illius peccatum qui contra conscientiam agit.

Resp. illud tale esse, quale à conscientia judicatur ; id est, venialiter aut mortaliter peccat, qui id agit quod velut peccatum veniale aut mortale denuntiat conscientia. Ratio est, quòd peccatum velit committere, quale esse dictat conscientia, idcircò peccati mortalis reus est qui modicam pecuniam furatur, intimè persuasus se ita agendo peccare mortaliter ; imò lethalem culpam etiam committeret, si grandem summam subripiendo, se leviter peccare falsò judicaret, quia errorem hunc corrigere potest.

ARTICULUS II.

De Conscientiæ divisionibus.

Conscientia dividitur 1°. *in veram* seu *rectam*, quæ dicta licitum esset aut illicitum quod re ipsâ tale est ; & in *falsam* sive *errantem* quæ licitum aut bonum judicat : quod illicitum & malum est ;

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

vel quæ illicitum aut malum pronuntiat: quod legi consentaneum est. Ubi conscientiæ error depelli potest, dicitur *vincibilis*; cùm autem superari nequit, debitam adhibendo diligentiam, appellatur *invincibilis*. Ex iis autem quæ suprà diximus satis liquet, nihil esse peccati in iis quæ fiunt juxta conscientiam, cujus error sive ignorantia est *invincibilis*, quia citra voluntatis consensum peraguntur; præterea conscientiam cujus error superari potest, à peccato non excusare.

2°. Conscientia dividitur in *latam* & *scrupulosam*. *Lata* dicitur ea quæ ex levibus tantùm causis cupiditati faventibus, licitam esse actionem judicat; vel quæ pro levi peccato habet quod gravissimum existimari debet.

Conscientia *scrupulosa* quæ latæ opponitur, ea est quæ futilibus conjecturis & ratiunculis ducta, anxiè & sollicitè timet ne mala sit actio. Sic appellatur quia, sicut scrupus sive lapillus asper pedem lædit, & gressum impedit; ita conscientia scrupulosa inquietam animi anxietatem parit, & obstat ne viam mandatorum Dei liberè & expeditè decurrat, dum in ipso bono latentes mali quasi fibras suspicatur.

3°. Conscientia dividitur in *certam*, *dubiam* & *probabilem*. Certa est, cùm prudenter & sine ulla rationabili errandi formidine, judicat aliquid licitum esse vel illicitum, bonum vel malum; dubia est, cùm rationibus contrariis ita liberatur, ut ignoret utrùm actio quæpiam licita sit, an illicita. Conscientia *probabilis* est judicium de actionis bonitate aut pravitate, iis nixum argumentis quæ verisimilia quidem videntur; sed quæ non sunt certa, nec errandi formidinem & periculum excludunt.

Cùm verò de conscientiâ scrupulosâ, dubiâ & probabili nonnulla sint quorum maximè utilis est cognitio, de triplici illo conscientiæ statu speciatim differendum est.

PARAGRAPHUS PRIMUS.

De Conscientia scrupulosa.

Quam agendi rationem in dirigendis scrupulosis sequi debeat prudens animarum moderator, hic raptim indicabimus.

1°. Diligenter explorare debet quibus ex causis nascantur scrupuli, ut aptum iis remedium afferre queat. Hanc notitiam ut assequatur, pœnitentis infirmitatem miserans, patientem illi aurem accommodabit, donec inquietas animi molestias descripserit. Postquàm cordis intima nudaverit pœnitens, ipsi exponet Confessarius quid de hujus statu sentiat. Deindè si quid reponendum habeat scrupulosus, eum benignè audiat, ita ut fateri cogatur suam conscientiam non minùs Confessario, quàm sibimetipsi innotescere. Ea quippè vulgò est scrupulosis persuasio, aliis se non satis compertos esse, ut ab iis consilium acoipiant, quod turò sequi possint. Cùm singulas pœnitentis anxietates sibi minutatim exponi ab initio finit Confessarius, id sibi juris acquirit, ut ei deinceps non permittat ad se frequentiùs ventitare; si enim pœnitenti licentiam daret ipsum adeundi, quoties novus suboritur scrupulus, quanta inde temporis jactura! quanta anxietatum seges!

2°. Scrupulosum præsertim admonebit potissimum suæ ægritudinis remedium, in obedientia positum esse: quam nisi spondeat, dimittendus erit, quasi morbo insanabili affectus. Hâc animi docilitate quantum opus habeat istis rationibus suaderi poterit, 1°. quia sic jubet Scriptura: *Ne innitaris prudentiæ tuæ; .... ne sis sapiens apud temetipsum.* (*Proverb. cap.* 3. *v.* 5. & 7.) Quæ verba ad scrupulosos maximè pertinent. Cùm enim mentem habeant anxietatibus perturbatam, non suo, sed alieno judicio stare debent; 2°. quia suam opinionem aliorum judicio anteponere, super-

bientis est animi. Si tandem eum reperiat indocilem & pertinacem, cum eo paulò duriùs agendum erit, ut obtemperare discat : quin etiam aliquandò expedit, ut ipsi differatur Sacramentorum usus. Ex illa enim severitate longè magis quàm ex verbis intelliget, quantùm periculi in ipsius contumacia inesse judicet Confessarius.

3°. Cum pœnitente non agat Confessarius, quasi dubitando & hæsitando. Si enim ipsum videat incertum & ancipitem, suis in scrupulis firmabitur, & crescent animi terrores. Confidenter igitur, & quasi nihil dubitans, pœnitentem alloquatur, postquàm scrupulorum causas & naturam introspexerit, & à *Patre luminum* postulaverit ut ipsi consilia suggerat & remedia quibus erga ægrum animi uti debeat.

4°. Pœnitentem hortabitur ut assiduis precibus divinam opem cum fiducia imploret. Quando enim anxietatum fluctibus exagitatur crudeliùs ; ad Deum, potiùs quàm ad Confessarium debet confugere, ægrique animi sanationem ab oratione magis quàm à confessione expectare. Admonendus est ut Deum non sibi signat quasi tyrannum iratum vel exactorem durissimum ; sed eum habeat veluti patrem benignissimum, qui in veniam proclivior est, quàm in vindictam ; cui ex intimo dilectionis affectu, potiùs quàm ex metu servili obtemperandum est.

5°. Pœnitenti Confessarius præcipiat, ut de suis scrupulis non sit nimiùm sollicitus, & cum iis non luctetur diutiùs ; sed eos statim ab ortu, & nascentes opprimat, animum à congitationibus quæ illos provocare solent removendo, aliisque rebus applicando. Experientiâ quippè constat longè faciliùs superari scrupulos, quando contemnuntur, quàm ubi dedità operâ cum iis pugnatur. Quemadmodùm enim hydropici, dum potui indulgent, sitim incendunt, nedùm restinguant ; ita scrupulosi vanis conscientiæ terroribus eò crudeliùs

vexantur, quò magis ad eos animum intendunt.

6°. Scrupulosis imperandum est, ut suis accuratè fungantur officiis, & sedulo labori incumbant. In occupatione enim maximum est adversùs scrupulos præsidium ; eos quippè fovet & accersit otium, dum imaginationi occasionem præbet, in varias cogitationes periculosas discurrendi. Manualis præsertim labor, quando plurimùm defatigat, scrupulosis sæpè remedium est efficacius, quàm cetera ipsis dantur consilia.

Quænam sint scrupulorum causæ, quæ remedia iis adhibenda, solidè & eleganter expositum reperies apud Clarissimum *Duguet*, in opere cui titulus : *Traité des Scrupules.*

PARAGRAPHUS II.

De Conscientia dubia.

Tutissimam regulam cui firmiter adhærere debeat, qui conscientiam habet dubiam, aperiet sequens

PROPOSITIO.

Qui conscientiam habet dubiam, ab actu debet abstinere, si nulla urgeat agendi necessitas ; quæ si adfuerit, partem tutiorem eligere debet.

Probatur prima pars. Non licet peccandi periculo sese objicere : atqui huic periculo sese exponit qui in dubio, citra ullam necessitatem, agit. Ille enim peccandi discrimen adit, qui agit temerè nullamque habet certam regulam, quâ deprehendere possit utrùm justum sit, an injustum quod operatur : atqui ita se habet qui in dubiis sine ulla necessitate agit ; ergo peccandi periculo sese ultrò exponit ; ergo, &c. Hinc S. Thomas : *Si ille*, inquit, qui plures Præbendas habet, *in quamdam dubitationem inducitur contrarietate opinionum, &*

sic si, manente dubitatione, plures Præbendas habet, periculo se committit & sic procul dubio peccat, ut potè magis amans beneficium temporale, quàm propriam salutem. (*Quodlib.* 8. *art.* 13.) Eamdem regulam tradunt ipsimet Philosophi Ethnici: *Benè præcipiunt*, inquit Tullius, *qui vetant quidquam agere quod dubites æquum sit, an iniquum.* (*Lib.* 1. *Offic.*)

Prob. secunda pars, 1°. ex Scripturis quæ præcipiunt, ut vitemus periculum: *Qui amat periculum, in illo peribit;* (*Eccli.* 3. *v.* 17.) 2°. ut peccatum fugiamus *quasi à facie colubri;* (*Ibid. cap.* 21. *v.* 2.) 3°. ut peccatum reputemus *omne quod non est ex fide*, id est, quidquid non sit ex intima persuasione, quòd licitum sit; 4°. *ut ab omni specie malâ abstineamus.* (1. *Thessal.* 5. *v.* 22.) Atqui ubi aliquis in dubio partem minùs tutam eligit, ille profectò nec periculum & peccatum fugit, nec rem licitam esse persuasum habet, nec abstinet ab omni specie mala, ut satis patet; ergo si in dubiis urgeat agendi necessitas, pars tutior eligenda est. Hinc S. Augustinus: *Graviter peccaret* (homo) *in rebus ad salutem animæ pertinentibus, eo solo quòd certis incerta præponeret.* (*Lib.* 1. *de Bapt. cap.* 3. *n.* 4. *tom.* 9. *pag.* 82.) Hinc etiam S. Antoninus: *In iis quæ concernunt forum conscientiæ, in dubio via tutior est eligenda.* (*Part.* 3. *tit* 5. *cap.* 2. *sect.* 9.) Hinc tandem celeberrimus Gerson: *Agere incertum, & dimittere certum in materia morali, est peccatum mortale.* (*Reg.* 8. *tom.* 3. *part.* 1. *edit. ultim. pag.* 79.)

Prob. 2°. ratione. Ad licitè hic & nunc operandum, requiritur ut prudenter judicemus nos minimè esse peccaturos: atqui cùm dubitans eam partem sequitur quam minùs tutam existimat, non potest prudenter judicare nihil esse peccati pertimescendum: imò longè magis sibi conscius est se peccaturum, ut res ipsa clamat; ergo, &c.

Præterea non minùs cautè sese gerere debet homo, in iis quæ ad salutem æternam pertinent, quàm in rebus temporalibus: atqui ubi agitur de rebus temporalibus, imprudens & malesanus haberetur, qui in dubio partem minùs tutam eligeret, dum tutiorem amplecti potest; qui, v. g. escam sumeret quæ an veneno infecta esset dubitaret, dum alia sibi præstò esset, quam certò novit veneni expertem; ergo longè magis temerè & stultè agere, ac proindè peccare censendus est, quisquis in salutis æternæ negotio partem minùs tutam amplectitur.

Solvuntur objecta.

Objicies 1°. Si in dubiis pars tutior esset eligenda, aliquandò teneremur abstinere ab actionibus nullâ lege prohibitis; siquidem sæpè dubitamus utrùm actus sit licitus, quem tamen nulla lex prohibet: atqui nemo tenetur ab iis actionibus abstinere, quæ nullâ lege prohibentur; ergo in dubiis minimè necesse est partem eligere tutiorem.

Resp. 1°. Retorqueo argumentum: Si in dubiis liceret partem minùs tutam sequi, non teneremur à plurimis actionibus abstinere, quas vetat divina lex. Sæpè enim ancipites & incerti sumus, utrùm actus sit licitus, necne, qui reverà prohibetur lege divinâ: atqui tamen absurdè diceretur non abstinendum esse ab iis actionibus quas divina lex interdicit: ergo in dubiis nunquam licet partem minùs tutam amplecti.

Resp. 2°. Dist. maj. Aliquandò teneremur abstinere ab actionibus nullâ lege eas spectante prohibitis, conc. maj. nullâ lege ipsum dubitantem spectante, neg. maj. dist. pariter min. Atqui nemo tenetur abstinere ab actionibus, nullâ lege tùm eas actiones, tùm ipsum dubitantem spectante prohibitis, conc. min. nemo tenetur abstinere

ab actionibus nullâ lege quæ ipsas spectet prohibitis, neg. min.

Fateor equidem nullam nobis incumbere obligationem ab iis actibus abstinendi, qui nullâ lege, sive ad eos actus, sive ad ipsum dubitantem pertinente, prohibentur; sed tenemur in dubiis quasdam actiones omittere, quamvis nullâ lege eas afficiente prohibeantur; tenemur, inquam, vi legis quæ in ipsum dubitantem cadit. Hæc autem lex quam recta ratio, quam Religio imponit, ita se habet: nihil agendum est quod dubites justum sit, an injustum.

Obj. 2°. Non magis tenemur obtemperare legi, cùm dubitamus an obliget, quàm fide assentiri dogmati de quo dubitatur an revelatum sit: atqui non tenemur ad posterius; ergo neque ad prius.

Resp. Neg. maj. & paritatem. Ratio disparitatis est, quia ubi aliquis fide credit dogma de quo dubitat an relevatum sit, in erroris periculum sese conjicit, quod effugere, quantùm potest, quisque debet. Contra verò qui dubitans utrùm lex divina aliquid prohibeat, ab eo tamen abstinet, nullum subit peccandi periculum: quinimò magnum aditurus esset peccandi discrimen, si illud ageret quod non sine probabilibus argumentis ipsi videtur à Deo prohibitum.

Obj. 3°. Lex dubia non potest certam parere obligationem; ergo cùm dubitatur utrùm lex aliquid prohibeat, non tenemur ab eo abstinere.

Resp. Dist. conseq. Non tenemur ab eo abstinere vi legis dubiæ, conc. vi legis naturalis quæ vetat ne quis peccandi periculo sese exponat, neg. conseq.

Quando enim dubitamus an hæc vel illa lex obliget, nihil tamen dubitationis est, utrùm debeamus eam partem amplecti, quæ magis à peccato removet. Itaque, cùm incertum est an quædam actio prohibita sit, non tenemur ab ea abstinere vi legis, quæ dubia est; sed vi legis naturalis,

quæ omninò certa est; & vetat ne in cognitum peccandi periculum incurramus.

Obj. 4°. Si pars tutior semper eligenda esset, omnes teneremur in eremum secedere, vel Monasterium ingredi, quia illud vitæ genus tutius est minùsque periculosum: atqui hoc falsum est; ergo, &c.

Resp. Neg. maj. Nam illud vitæ genus cuique magis tutum est ac minùs periculosum, ad quod à Deo fuit destinatus, factusque idoneus: atqui Deus alios destinavit ad vitam cælibem, alios ad conjugalem, alios ad solitudinem; quemadmodùm ergo singula corporis humani membra non eodem funguntur officio, sed distinctis ministeriis serviunt, ut observat Apostolus: ita singuli homines eam vivendi formam profiteri debent, ad quam à Deo vocati sunt: alii enim in sæculo depravantur, qui potuissent, ut ait Augustinus, *in solitudine deificari*; alii in Monasteriis malè vivunt, qui potuissent in sæculo piam sanctamque vitam agere. Ita Autor anonymus Institutionum philosophicarum, an. 1761, *Tom.* 3. *pag.* 183.

Obj. 5°. In iis quæ ad moralem disciplinam pertinent, recentiores Theologi veteribus sunt anteponendi: omnia enim hodiè diligentiùs excussa sunt: atqui plures Theologi recentiores docent in dubiis eligi posse partem minùs tutam; ergo iis adhærendum est.

Resp. Neg. maj. Ut enim fidei, ita & moralis doctrina ad salutem necessaria, à Spiritu Sancto fuit Apostolis tradita, & in eorum persona toti Ecclesiæ: ita scilicèt iis promiserat Christus: *Cùm venerit ille Spiritus veritatis, docebit vos omnem veritatem.* (*Joan.* 16. 13.) Quò propiùs igitur ad primævum illum totius veritatis fontem acceditur, eò magis pura & sincera fluit doctrina moralis; nedùm ergo recentiores Theologi in hac parte sint veteribus anteponendi, imò non admittendæ sunt eorum opiniones, nisi cum Veterum

doctrina planè consentiant. Infixum animo hæreat illud Scripturæ monitum : *Non te prætereat narratio seniorum : ipsi enim didicerunt à patribus suis ; quoniam ab ipsis disces intellectum, & in tempore necessitatis dare responsum.* (*Eccli.* 8. *v.* 11. & 12.)

Hinc à Clero Gallicano damnata est an. 1700 hæc propositio : *Puto omnia hodie melius esse examinata, & hanc ob rem in omni materia, & præcipuè in morali, libentius juniores, quàm antiquiores lego & sequor : ..... doctrina fidei à veteribus, doctrina morum magis à junioribus petenda est.* (*Mém. du Clerg. Edit.* 1716. *tom.* 1. *pag.* 739.)

PARAGRAPHUS III.

De Conscientia, sive opinione probabili.

Opinio probabilis, prout à Recentioribus definitur, *est ea quæ, quamvis non omninò certa, attamen vel gravi autoritate, vel non modici momenti ratione nititur.* Hinc ab iis duplex distinguitur probabilitas, alia *intrinseca* quæ nititur argumentis à ratione, vel Scriptura, vel Traditione deductis ; alia *extrinseca* quæ ex Doctorum vel testium autoritate repetitur.

Ex præfata definitione patet à Recentioribus duo requiri, ut aliqua propositio dicatur probabilis, Primum ut neque de ejus veritate, neque de falsitate prorsùs constet : alioqui non merè probabilis, sed vel certò vera, vel certò falsa diceretur. Unde liquet sententiam quamlibet probabilem esse incertam, ac proindè dubiam. Secundum, ut nitatur gravi autoritate, vel ratione non levis momenti : quæ tamen autoritas vel ratio, ejusmodi tantùm esse debet, ut tententiam aliquam faciat probabilem, non verò certam ; alioqui jam non probabilis appellaretur, sed certa.

Ad planiorem eorum quæ dicturi sumus intelligentiam, quædam sunt prænotanda. 1°. Opinio dicitur

dicitur *favere legi*, cùm affirmant rem aliquam lege prohiberi vel præcipi ; dicitur autem *favere libertati & cupiditati*, quando asserit hanc vel illam actionem nullâ lege vetitam esse aut imperatam. 2°. Opinio *tutior* appellatur, cùm à violandæ legis periculo magis removet, quàm opposita. 3°. Opinio in conflictu alterius dicitur *probabilior* vel *minùs probabilis*, prout ratione & autoritate oppositam vincit, aut ab ea vincitur : si verò ambæ paribus rationum momentis sese librent, tunc vocantur *æquè probabiles.*

4°. *Probabilistæ* nuncupantur recentiores quidam Theologi, qui probabilitatem ut certam tutamque morum regulam intrudunt. Hæc sunt ea de re præcipua ipsorum placita : 1°. Opinionem quamlibet probabilem sequi ita licitum est, ut qui ex ea vitam suam dirigit, non modò securus sit, sed etiam felicitatem æternam assecuturus, *& rectà tendat ad superos*, inquit *Escobar.* 2°. In opinionum delectu, minùs probabilis simul & minùs tuta, tutiori & probabiliori potest anteferri. 3°. Probabilis fit opinio quæ innititur vel ratione, vel autoritate ; nec opus est ista duo simul jungi, at satis est ut alterutrum adsit. 4°. Ea opinio est verè probabilis quam vel unius Doctoris gravis firmaverit autoritas : *Potest quis*, ait Emmanuel Sa in Aphorismis, *facere quod probabili ratione vel autoritate putat licere, etiamsi oppositum tutius sit : sufficit autem opinio alicujus gravis autoris.-Licitum est*, inquit Filiucius, *sequi opinionem minùs probabilem, etiamsi minùs tuta sit : est communis Recentiorum sententia.* (*Tract.* 21. *cap.* 4. *n.* 128.)

Incredibile est quantam in Theologia morali stragem ediderint nova hæc dogmata, quæ omnibus flagitiis viam aperiunt latissimam : ad ea penitùs convellenda, sit.

Propositio I.

Non licet sequi opinionem minùs probabilem quæ favet libertati, in concursu alterius probabilioris quæ legi favet.

Probatur 1°. ex Scriptura. Non licet homini in peccandi periculum sese ultrò conjicere: *Qui enim amat periculum, in illo peribit.* (*Eccli.* 21. 17.) Atqui peccandi periculo manifestè sese exponit, qui opinionem minùs probabilem quæ favet libertati sequitur, in concursu alterius probabilioris quæ stat pro lege. Nam locus est timendi ne legem infringat, si fortè existat: atqui in casu de quo agitur probabilius est legem existere, & obligare: siquidem in eam partem inclinant gravioris momenti argumenta; ergo, &c.

Præterea apud Lucam sic præcipitur: *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & ex tota anima tua, & ex omnibus viribus tuis.* (*cap.* 10. *v.* 27.) Unde patet Deum esse præ omnibus diligendum: atqui Deum non ita profectò diligit, qui sententiam minùs probabilem, libertati cupiditatique blandientem amplectitur, dum alia probabilior in gratiam legis occurrit: tunc enim id facit vel omittit, ex quo Deum graviter esse offendendum judicat, & quidem probabiliùs.

Denique sic jubet Apostolus: *Quod bonum est tenete; ab omni specie mala abstinete vos.* (*1. Thess. 5. v.* 21. & 22.) Atqui ubi aliquis opinionem minùs probabilem quæ favet libertati sequitur, neglectâ probabiliori quæ stat pro lege: 1°. non renet quod bonum est, cùm sciens & volens eligat quod ipsi malum videtur potiùs quàm bonum; 2°. non abstinet ab omni specie mala, siquidem eam amplectitur partem quam malam esse probabiliùs existimat.

Prob. 2° ex SS. Augustino & Thoma, ut alios Patres in ea re contentientes omittamus. S. Au-

gustinus docet *vigiliis continuis excubandum esse, ne opinio verisimilis fallat, ... ne quod bonum est, malum, aut quod malum est, bonum esse credatur.* (*Lib. 22. de civit. Dei, cap. 23. tom. 7. pag. 687.*) Atqui ineptè prorsùs exigit S. Doctor, ut vigiliis continuis excubemus, ne opinio verisimilis fallat, si liceat opinionem, etiam minùs probabilem, anteponere probabiliori quæ favet legi.

S. Thomas expendens an licitum sit plures Præbendas possidere, ait *id periculosè determinari, ... quia Theologi Theologis, & Juristæ Juristis inveniuntur contraria sentire.* (*Quodlib. 9. art. 15.*) Atqui si liceat opinionem minùs probabilem anteferre probabiliori quæ legi favet, nullum erit in dirimenda illa quæstione periculum propter diversas Doctorum opiniones: poterit enim quisque eam quæ sibi magis arriserit, sine ullo peccandi periculo eligere.

Prob. 3°. rationibus theologicis: 1°. Nunquam licet agere contra conscientiam, ut jam probatum fuit: atqui contra conscientiam suam agit, qui opinionem minùs probabilem præ aliâ sequitur quæ probabilior est, & quæ pro lege militat; siquidem ita pronuntiat ipsius conscientia: *Probabilius est ac verisimilius actionem hanc esse malam & lege prohibitam*; ergo, &c.

2°. Non licet imprudenter & temerè agere: atqui imprudenter sese gerit qui sententiam minùs probabilem eligit, posthabitâ probabiliori quæ favet legi: ut enim prudenter quisque agat, moralem habeat necesse est de honestate suæ actionis certitudinem: atqui eâ prorsùs caret qui opinionem minùs probabilem amplectitur, spretâ probabiliori quæ pugnat pro lege: siquidem, eo ipso judice, quod agit potiùs illicitum est, quàm licitum; ergo, &c.

3°. Novitas doctrinæ in iis quæ ad fidem & mores pertinent, falsitatis notam præ se fert manifestissimam: atqui novella est sententia quæ docet

licitum esse opinionem sequi minùs probabilem, contemptâ probabiliori: *Quòd in praxi eam nobis liceat sequi sententiam, quam nec ipsi probabiliorem eligendam judicamus*, inquit Clerus Gallicanus in Comitiis an. 1700., *hoc novum, hoc inauditum.* (*Mém. du Clerg. tom.* 1. *pag.* 742. *Edit. de* 1716.) Miserrima igitur Patrum tempora, quibus Deus tantum arcanum invidit quo nihil commodius, nihil ad evellendos scrupulos aptius, nihil ad complanandam salutis viam expeditius.

PROPOSITIO II.

Non licet sequi opinionem probabilem quæ favet libertati, præ altera æquè probabili quæ stat pro lege.

Prob. Qui animum habet duabus oppositisque opinionibus æquè probabilibus distractum, is verè proprièque dubitat; siquidem non potest hanc, potius quàm illam opinionem veram judicare, sed inter utriusque veritatem & falsitatem suspensus fluctuat. Hinc si quis ab homine in hoc statu constituto quæsierit, utra sententia vera sit, ingenuè fatebitur se nescire, incertum esse, dubitare; tenetur ergo vulgari illâ lege, quâ jubemur in dubiis partem tutiorem consectari: atqui partem tutiorem non sequeretur, si opinionem quæ favet libertati eligeret, neglectâ alterâ æquè probabili quæ stat pro lege. Posteriorem enim hanc sententiam amplectendo, in nullum violandæ legis divinæ periculum incurreret; huic autem periculo sese objiceret, si alteram opinionem sequeretur, ut per se manifestum est; ergo, &c.

Hinc Clerus Gallicanus, in Comitiis an. 1700, inter alias regulas, istam ordine primam statuit: *In dubiis de salutis negotio, ubi æqualia utrinque animo sese offerunt rationum momenta, sequamur id quod tutius, sive quod in hoc casu unicè tutum est;*

neque id consilii, sed præcepti loco habeamus, dicente Scriptura: Qui amat periculum, in illo peribit. (*ubi suprà.*)

COROLLARIUM.

Ergo Probabilistarum doctrina non potest esse morum regula: in eo quippè sita est, ut semper liceat opinionem probabilem, id est, à quibusdam Casuistis approbatam sequi, etiam in conflictu alterius quæ probabilior sit, & cum lege magis consentiens: atqui horrendam hanc doctrinam, quasi tutam morum regulam, proponere grande sit nefas: quantùm enim à Scripturis, à Patribus, à ratione sit aliena demonstravimus. Eâ semel admissâ, nullum erit flagitium quod licitum & innoxium non evadat: ex hoc scilicèt fonte manârunt tot Casuistarum decreta, quæ populi christiani pietas tam justâ detestatione insecuta est, & quæ sacra Episcoporum autoritas tam merito anathemate profligavit, ut potè quæ calumniam, cædes, abortiones, furta, usuras, &c. permittunt.

Solvuntur objecta.

Objic. 1°. Qui ex duabus opinionibus minùs probabilem sequitur, dubitat quidem *speculativè* utra sit vera, sed non dubitat *practicè*; quia certò novit tutè agere, qui opinionem probabilem sequitur, ergo hic locum non habet hoc effatum: *In dubio pars tutior est eligenda.*

Resp. Neg. ant Quia dubium *speculativum* necessa i conjunctum est cum dubio *practico*. Quando enim dubitamus verane sit aliqua opinio, an falsa, eo ipso dubitamus an liceat eam sequi. Quæ duo simul devincta sunt & colligata, ut vel leviter attendenti satis patet.

Obj. 2°. Opinio minùs probabilis in concursu probabilioris remanet verè probabilis; ergo licet eam sequi.

Resp. Neg. ant. Nam *probabile*, ait Cardinalis Laurea, *idem importat ac dignum ut approbetur.* (*In 3. sent. disput. 11. art. 4. sect. 281.*) Atqui opinio minùs probabilis in conflictu probabilioris, minimè digna est quæ assensum & approbationem obtineat; siquidem prævalent rationum momenta quibus nititur opposita sententia. Quinimò non potest animus opinionem minùs probabilem non improbare; siquidem eam falsam potiùs quàm veram judicat.

Inst. Si Petrus doctior sit Joanne, numquid idcircò Joannes non erit doctus? ergo pariter ex eo quòd opinio sit probabilior alterâ, minimè sequitur alteram hanc non esse verè probabilem.

Resp. Neg. conseq. & pariat ratio disparitatis est, quia inter majorem unius hominis & minorem alterius scientiam nulla est vera oppositio; ac proindè mirum non est, quòd altera alteram non destruat: contrà verò duæ opiniones quarum alia probabilior est, favetque legi, alia autem minùs probabilis, & favet libertati, ita contradictoriè opponuntur, ut veritas unius falsitatem alterius necessariò importet, quales sunt istæ: *Hic contractus est licitus; hic idem contractus non est licitus*, idcircò major probabilitas unius minorem probabilitatem alterius prorsùs elidit.

Obj. 3°. Subditi licitè possunt, imò debent Superioribus obedire: atqui non rarò contingit ut Superior id præcipiat faciendum, tanquam probabilius, quod inferior censet minùs probabile; ergo potest in hac hypothesi subditus, imò debet opinionem minùs probabilem sequi.

Resp. Dist. maj. Subditi debent Superioribus obedire in iis quæ legi divinæ sunt contentanea, vel talia probabilius sibi videntur, conc. in iis quæ legi divinæ sunt contraria, vel hujusmodi esse probabiliùs existimant subditi, neg. maj.

Itaque quod jubet Superior, si cum lege divina manifestè consentiat, tunc parere debet subditus;

si legi divinæ apertè contrarium sit, tunc debet fortiter resistere, nedùm obtemperare teneatur; ubi verò probabiliùs censet subditus præceptum Superioris cum lege divina pugnare, tunc non potest citra culpam jussum exequi, quia contra propriam conscientiam agere convincitur, quod nunquam licitum est.

Obj. 4°. Opinio non est probabilis, nisi cùm manifestæ rationi, Scripturæ sacræ, & Traditioni non adversatur: atqui licitum est opinionem sequi quæ nec manifestæ rationi, nec Scripturæ sacræ, nec Traditioni adversatur; ergo semper licet opinionem quamlibet probabilem sequi.

Resp. Neg. maj. Hic enim agitur de opinione probabili, qualis intelligitur à *Probabilistis* quos aggredimur: atqui passim docent opinionem verâ probabilitate donari, si quorumdam Doctorum, imò & unius autoritate muniatur. *Aliquandò*, inquit Escobar, *unus tantùm Doctor gravis admodùm opinionem oprobabilem potest efficere.* (*Proœmium Theolog. moral. exam. 3. de conscientia, cap. 3. n. 8.*) *Sed dubitabis*, ait Sanctius, *an autoritas unius Doctoris reddat opinionem probabilem; respondetur reddere.* (*Summ. lib. 1. cap. 9. n. 7.*) Quasi verò libri quàmplurimi doctorum hominum erroribus non scateant, quasi quidpiam aliud sint hæreses, quàm falsæ opiniones ab eruditis invectæ!

Fucum igitur imperitis facere volunt Casuistæ, quando simulant ad opinionem probabilem se requirere, ut neque à Scriptura, neque à Conciliorum & Patrum decretis dissideat. Hanc enim conditionem sibi incommodam passim retrahunt & ablegant, idque verè probabile esse decernunt, quod vel ab uno, vel à paucis Doctoribus, nempè Casuistis, propugnatum fuerit. Si verò hujusmodi opinionem rationi, Scripturæ & Traditioni contrariam demonstraveris, non ideò suam amittet probabilitatem, *quia debet quisque sibi persuadere*,

inquit Escobar, *has rationes quas ipse insolubiles existimat, ab alio solvi posse, nec ob illas, aliorum opiniones tanquam improbabiles rejicere fas sit.*

PROPOSITIO III.

In materia juri naturali subjecta non licet sequi opinionem probabiliorem, relictâ tutiore, minùs probabili.

Prob. 1°. ex Scripturâ quæ ita monet: *Est via quæ videtur homini justa; novissima autem ejus deducunt ad mortem.* (*Proverb.* 14. 12.) Atqui hæc via quæ videtur homini justa, ea procul dubio est, quam probabiliorem judicat; quis enim sapiens *justam* putet opinionem, nisi eam majori probabilitate munitam existimet? Ergo qui opinionem probabiliorem sequitur, neglectâ tutiore quæ scilicèt favet legi, in mortis periculum incurrit.

In ista Scripturæ verba sic notat Gregorius Magnus: *Sæpè ..., opus nostrum causa damnationis est, & profectus putatur esse virtutis. Sæpè unde placari judex creditur, inde ad iracundum placidus instigatur, ... unde sancti viri ....sua etiam benè gesta formidant; ne cùm bona agere appetunt, de actionis imagine fallantur; ne pestifera tabes putredinis sub boni specie lateat coloris.* (*Lib. 5. Moral. cap. 7. 11. 12. Tom. 1. pag. 143. edit. BB.*) Nedùm igitur conscientiæ securitatem pariat major probabilitas, peccat divinamque iram concitat, qui illud agit quod boni speciem præ se fert, nisi actio cum lege divina consenserit; quomodò igitur extra culpam erit qui non ignorat opinionem quæ sibi probabilior videtur, minùs tutam esse?

Prob. 2°. ex Augustino qui principium istud statuit: *Si quis bonum putaverit esse quod malum est, & fecerit hoc putando, utique peccat.* (*Epist. 47. n. 4 tom. 2. pag. 112.*) Hic generatim pronuntiat S. Doctor peccare hominem qui rem ex

se malam agit, licèt eam bonam esse existimet, culpâ igitur non vacat qui illicitum aliquid facit, quod licitum esse probabiliùs opinatur.

Prob. 3°. ex S. Thoma qui semel tradit à peccato non excusare juris naturalis ignorantiam, nisi invincibilis sit, hujusmodi verò in iis tantùm esse qui rationis usum penitùs amiserunt. *Ignorantia juris*, inquit, *non excusat à peccato, ni fortè sit ignorantia invincibilis, sicut est in furiosis & amentibus, quæ omnimò excusat.* (*Quodlibet. 3. quæst. 12. art. 27. ad 2.*) Porrò si à peccato non liberet ignorantia in iis quæ contra jus naturale fiunt, sequitur non licitum esse in materia legi naturali subjecta, probabiliorem amplecti opinionem, posthabitâ minùs probabili, sed magis tutâ.

Prob. 4°. isto vulgari effato: *In dubiis pars tutior est eligenda*: hæc enim regula non pertinet tantùm ad casus in quibus pares sunt utrinque probabilitates, verùm etiàm ad eos omnes in quibus probabilitas, quamvis major, ad certitudinem moralem non perducitur, neque omnem ex animo dubitationem excludit. Quo sensu prædictum axioma suis in decretis adhibent Summi Pontifices.

Clementi III, v. g. propositum fuit istud cujusdam Sacerdotis factum: Ut culpam ab adolescente commissam puniret, cum suo cingulo (*ceinture*) percussit. Culter verò huic zonæ illigatus, è vagina sua elapsus adolescentem à tergo fauciavit. Aliquantò post integram hujus vulneris sanationem, juvenis in morbum incidit & obiit. Cùm aliqua, licèt satis vana, supereset dubitatio utrùm plaga priùs recepta, hujus adolescentis morti occasionem præbuisset, consultus fuit Summus Pontifex quid de illo Sacerdote sentiret. En ipsius responsum: *Cùm in dubiis semitam debeamus eligere tutiorem, convenit injungere Presbytero memorato, ut in sacris Ordinibus non ministret, injunctâ tamen pœnitentiâ congruente.* (*Lib. 5. decret. tit 12. cap. 12.*) Plurima hujusmodi judicia in

corpore juris occurrunt. Porrò longè probabilius erat plagam adolescenti fortuitò inflictam ad ipsius mortem nihil contulisse ; hæc igitur fuit Romani Pontificis mens, ut opinioni probabiliori anteferri debeat opposita, quamvis minùs probabilis, quando tutior est.

Et verò cur in dubiis non licèt partem minùs tutam amplecti? nonne quia in peccandi discrimen sese conjicit qui ita se gerit ? atqui idem periculum sibi adjunctum habet opinio magis quidem probabilis, sed minùs tuta. Probabilitas enim quotiès moralem certitudinem non parit, totiès aliquam in mente dubitationem relinquit.

Prob. 5°. Non minus diligentiæ in salutis quàm in valetudinis negotio est adhibendum : atqui ubi agitur de valetudine, nemo prudens opinionem probabiliorem sequitur, dimissâ tutiore. Exempli gratiâ, tibi offerantur centum pocula, ex quibus unum duntaxat veneno sit infectum ; si unum præ ceteris assumas, longè probabilius est fore ut venenatum non haurias : atqui tamen secundum humanæ prudentiæ regulas in insaniæ notam incurreres, nisi ab omnibus poculis abstineres ; quantò magis igitur in his quæ ad salutem pertinent, opinioni probabiliori anteponenda est minus probabilis, sed tutior ?

Eâ de re tum veteres Scholasticos, tum recentiores & insignioris notæ Theologos consentire patet ex testimoniis quæ recensuit doctissimus Henricus *de S. Ignatio*, in opere erudito cui titulus : *Ethica amoris.* (*Lib.* 2. *cap.* 81. *& seq.*)

COROLLARIUM.

Huic igitur regulæ standum est, quam Bellarminus Cardinalis in sua ad Nepotem Epistola his verbis commendat : *Si quis velit in tuto salutem suam collocare, is omninò debet certam veritatem inquirere, & non respicere quid multi hoc tempore*

dicant aut faciant ; & si rei certitudo non possit ad liquidum apparere, debet omninò tutiorem partem sequi, & nullâ ratione, nullius imperio, nullâ utilitate temporali propositâ, ad minùs tutam declinare : agitur enim de summa re, cùm de salute æterna tractatur.

Solvuntur objecta.

Obj. 1°. S. Thomæ locum ubi expendit an duorum vel trium testimonium ad sententiam ferendam sufficiat. Partem tenet affirmantem, istamque rationem affert : *Certitudo non est quærenda in omni materia ; in actibus enim humanis super quibus constituuntur judicia, & exigantur testimonia, non potest haberi certitudo demonstrativa, eo quòd sunt circa contingentia & variabilia ; & ideò sufficit probabilis certitudo, quæ in pluribus veritatem attingat, etsi in paucioribus à veritate deficiat. Est autem probabile quod magis veritatem contineat dictum multorum, quàm dictum unius : & ideò cùm reus sit unus qui negat, sed multi testes asserant idem cum actore, rationabiliter institutum est jure divino & humano, quod dicto testium stetur.* (2. 2. *q.* 70. *art.* 2. *in corp.*)

Inde concludunt adversarii, juxta S. Thomam, licitum esse opinionem probabiliorem sequi, quamvis minùs tutam ; alioqui non *sufficeret probabilis certitudo, quæ aliquandò à veritate deflectit.*

Resp. consecutionem hanc S. Thomæ perperàm affingi, 1°. quia eo in loco non agitur de probabilitate quæ alteri sit opposita. Factum enim à multis testibus asseri supponitur, dum nullus ipsum negat, nocentis quippè testimonium pro nihilo reputari debet, cùm factum inficiari ipsius magnopere interest. 2°. In casu de quo disserit S. Doctor, major securitas petenda est ex parte societatis, cujus incolumitas postulat ut coerceantur qui ipsius tranquillitatem perturbant. In gratiam igitur

Judicis sententiam e entis simul concurrunt & major securitas, & major probabilitas.

3°. Apud S. Thomam de facto potiùs agitur, quàm de jure. In stabilienda autem facti alicujus veritate prævalere debet major probabilitas, ut omnes confitentur. Id verò nihil affinitatis habet cum præsenti quæstione, utrùm nempè liceat in materia juri naturali subjectâ probabiliorem sequi opinionem, posthabitâ minùs probabili, sed magis tutâ.

Obj 1°. Sic habet Clariſſimus *Gerson : Si quis oppoſuerit quod dubitans de aliquo, an ſit illicitum &, ſtante dubio, illud agens peccat, quia ſe diſcrimini ſcienter objicit; reſpondeo regulam hanc ... intelligendam eſſe de dubio tali, quod eſt vehemens : & magis aut ſaltem æquè inducit mentem credere quod eſt mortaliter illicitum, ſicut quod eſt licitum. Secùs eſt ubi mens plùs inclinatur & judicat quod eſt licitum, quàm illicitum, quamvis non habeat uſque-quaque certitudinem evidentem & fixam, quia nec hoc ipſum requiritur*; (*Tract. de præparat ad Miſſam, conſider.* 3 *tom.* 3. *pag.* 325. *Edit. Dupin.*) ergo, judice *Gerſon*, licet probabiliorem sequi opinionem præ oppoſita tutiore, sed minùs probabili.

Reſp. Neg. conſeq. genuinum Gerſonii ſenſum velis aſſequi, animadvertandum eſt eum in ſuperiori articulo ſtatuere ad celebrandam Miſſam non requiri, ut aliquis ſe in gratiæ juſtificantis ſtatu conſtitutum eſſe noverit certitudine evidenti, quæ obtineri non poſſet, niſi ex ſpeciali revelatione; at ſufficere certitudinem moralem : *Sufficit certitudo talis, qualem in materia morali conſuevimus expetere & capere; quæ certitudo poteſt appellari certitudo moralis* : (*Ibid. conſider.* 2.) neque neceſſe eſt ejuſmodi certitudine tollatur *omnis ſcrupulus aut dubitatio de peccato mortali*, ſed ii ſcrupuli, hæc dubitatio nullo nituntur fundamento, neque ex probabilitate oppoſita naſcuntur; at vana ſunt

nanis formidinis figmenta, ut ſtatim poſt objecta verba declarat ipſe *Gerſon : Sunt itaque nonnulli & plures, qui fortis ſunt phantaſiæ, qui prætereà ſæpè trepidant timore, ubi judicant etiam non eſſe timendam.* (*ibid. conſiderat.* 3.) Requirit ergo *Gerſon* certitudinem moralem, quæ tamen leviuſculos quoſdam & inanes ſcrupulos non ſemper excludat; quis autem negaverit ad licitè agendum ſufficere certitudinem moralem ?

Obj. 3°. Pugnat noſtra ſententia, 1°. cum Cleri Gallicani declaratione an. 1700, cujus iſta ſunt verba : *Abſit verò ut probemus eorum errorem, qui negant licere ſequi opinionem vel inter probabiles probabiliſſimam*; 2°. cum cenſura quâ eamdem propoſitionem confixit Alexander VIII. Ergo, &c.

Reſp. Neg. ant. Id enim unum aſſerimus, nempè in iis quæ ad jus naturale pertinent, non licitum eſſe opinionem probabiliorem ſequi in concurſu alterius oppoſitæ, minùs quidem probabils, ſed tutioris; quia pro lege militat. Damnata verò propoſitio enuntiat nunquam fas eſſe opinionem amplecti probabiliorem, quod falſum eſt. Nonnulli quippè ſunt caſus in quibus id licet; v. g. nonne Epiſcopo ſufficit ratio probabiliſſima, ut aliquem à lege jejunii eximat ? nonne debet inferior ſuperiori parere in rebus quæ ex natura ſua non ſunt malæ, quando id quod præcipitur ſecundùm opinionem probabiliorem licitum eſt ? Ergo cenſura iſtius propoſitionis, *non licet ſequi opinionem, vel inter probabiles probabiliſſimam*, ad noſtram theſim nihil pertinet.

Articulus Primus.

De Conscientia generatim sumpta.

Conscientia est intimum animi judicium, de actionis peculiaris bonitate aut pravitate pronuntiantis, & quid in his vel illis circumstantiis agendum omittendumve sit, aut quid fieri vel omitti debuisset dictantis. Conscientia enim non versatur tantùm circa facienda, sed etiam circa facta, vel ea approbando, sicut in Apostolo: *Gloria nostra*, inquit, *hæc est, testimonium conscientiæ nostræ*; (2. *Cor.* 1. 12.) vel ea redarguendo, qualis est conscientia damnatorum in inferno, *ubi vermis eorum non moritur.* (*Marc.* 9. 43.)

His præmissis, quæritur an conscientia sit morum regula, ita certa & incorrupta, ut malum sit quidquid contra eam agitur, bonum verò quidquid, eâ dictante, geritur.

Propositio.

Quidquid sit contra conscientiam peccatum est; quidquid autem, eâ dictante, geritur, non semper bonum est.

Probatur prima pars ex Apostolo qui ita pronuntiat: *Omne quod non est ex fide, peccatum est.* (*Rom.* 14. 23.) Atqui hæc Apostoli verba significant peccatum esse quidquid sit contra conscientiam: ibi enim de iis agit qui cibos quosdam prohibitos esse judicantes, ipsis tamen vescebantur. *Qui autem discernit* (cibos licitos à vetitis) *si manducaverit* (cibum quem prohibitum credit), *damnatus est, quia non ex fide*, id est, non ex conscientiæ judicio agit: *omne autem quod non est ex fide*, sive ex conscientia, *peccatum est.*

Prob. 2°. Quia voluntatem peccandi habet qui agit contra conscientiam. Quid est enim agere, reluctante conscientiâ, nisi vel aliqu d facere quod prohibitum esse judicamus, vel id omittere quod faciendum credimus? Atqui profectò voluntatem peccandi habet quisquis id agit quod vetitum putat, vel omittit quod faciendum existimat; ergo 1°. quod fit contra conscientiam semper malum est.

Prob. secunda pars. Illud non semper bonum est, quod legi divinæ summæque rationi interdùm adversatur: atqui quod, dictante conscientiâ, geritur, legi divinæ, &c. cùm scilicèt fit ex conscientia errante quæ suum potest errorem depellere. Nonne, v. g. contra legem divinam peccavit Apostolus, cùm Ecclesiam Dei vexaret, & in ipsius excidium totis viribus, & approbante conscientiâ, niteretur? Nonne legem divinam violârunt qui Christi discipulos interficientes, obsequium se præstare Deo ex intimâ conscientiæ persuasione judicabant? Ergo 2° non semper bonum est quod juxta conscientiam agitur.

Solvuntur objecta.

Objicies 1°. adversùs primam propositionis partem. Conscientia errans non est morum regula; ergo quod fit contra conscientiam, non semper malum est.

Resp. Neg. conseq. Quod enim contra conscientiam errantem agitur, non ideò malum dicimus, quia hujusmodi conscientia est morum regula. Illo quippè nomine prorsùs indigna est, cùm à lege divina dissentiat: cur ergo peccat qui, conscientiâ reluctante, agit? quia scilicèt peccandi voluntatem habet, siquidem illud facit quod vetitum putat.

Obj. 2°. Si quis peccet contra conscientiam erran-tem agendo, eam sequi tenebitur: atqui ridi-

culum est teneri aliquem conscientiam errantem sequi ; ergo contra eamdem agendo non peccat.

Resp. Neg. maj. Qui enim conscientiam habet errantem, nec contra eam agere, nec eam sequi debet. Sed inter utrumque illud extremum datur aliquid medii. Tenetur scilicèt errorem exuere, & falsum conscientiæ judicium emendare : quod ut assequatur, debet Deum orare, rem totam accuratè expendere, libros qui rem de qua agitur diligenter pertractant legere, pios doctosque viros consulere. Quibus adversùs errorem remediis ita utendum est, ut si unum non sufficiat, ad alterum confugiatur.

Obj. 1°. adversùs secundam propositionis partem. Si quid agitur juxta conscientiam errantem, esset aliquandò peccatum, qui hujusmodi conscientiâ laborat, necessariò peccaret: sive enim conscientiæ judicio obsequatur, sive ei resistat, haud dubiè peccabit : atqui nemo ex necessitate peccat, cùm nullum sit peccatum quod vitari non possit ; ergo quod agitur juxta conscientiam errantem, nunquam peccatum est.

Resp. Neg. maj. Licèt enim homini conscientiâ errante laboranti undique sint angustiæ, & certò peccaturus sit, quandiù in illo statu versabitur ; ipsi tamen non incumbit vera proprièque dicta peccandi necessitas. Cùm enim error conscientiæ quo detinetur, ex hypothesi vincibilis sit, potest & debet eum deponere; v. g. qui ex conscientia errante credit proximo subveniendum esse per mendacium, quandiù stabit error ille, haud dubiè peccabit, sive mentiatur, sive non ; sed non idcircò verâ peccandi necessitate obstringitur, quia potest & debet errorem suum depellere, vel peritiores consulendo, vel rem maturiùs & diligentiùs introspiciendo.

Obj. 2°. Quod agitur contra conscientiam errantem, semper malum est ; ergo è contrario quod agitur juxta eamdem conscientiam, semper bonum est.

Resp. Nego conseq. Sicuti enim in dialecticis duæ propositiones contrariæ possunt esse simul falsæ, quales sunt istæ : *omnis homo est doctus*, *nullus homo est doctus* ; ita & in moralibus duo contraria possunt esse simul mala, qualia sunt agere contra conscientiam, & agere juxta conscientiam errantem : qui enim agit, raclamante conscientiâ, idipsum facit quod illicitum esse intimâ animi persuasione judicat, ac proindè vult & amat peccatum ; qui verò conscientiam *vincibiliter* errantem sequitur, ideò peccat, quòd ex ignorantia quam depellere potest & debet, rem faciat à lege prohibitam.

Quæres quale sit illius peccatum qui contra conscientiam agit.

Resp. illud tale esse, quale à conscientia judicatur ; id est, venialiter aut mortaliter peccat, qui id agit quod velut peccatum veniale aut mortale denuntiat conscientia. Ratio est, quòd peccatum velit committere, quale esse dictat conscientia, idcircò peccati mortalis reus est qui modicam pecuniam furatur, intimè persuasus se ita agendo peccare mortaliter ; imò lethalem culpam etiam committeret, si grandem summam subripiendo, se leviter peccare falsò judicaret, quia errorem hunc corrigere potest.

ARTICULUS II.

De Conscientiæ divisionibus.

Conscientia dividitur 1°. *in veram* seu *rectam*, quæ dicta licitum esset aut illicitum quod re ipsâ tale est ; & in *falsam* sive *errantem* quæ licitum aut bonum judicat : quod illicitum & malum est ;

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

vel quæ illicitum aut malum pronuntiat: quod legi consentaneum est. Ubi conscientiæ error depelli potest, dicitur *vincibilis*; cùm autem superari nequit, debitam adhibendo diligentiam, appellatur *invincibilis*. Ex iis autem quæ suprà diximus satis liquet, nihil esse peccati in iis quæ fiunt juxta conscientiam, cujus error sive ignorantia est *invincibilis*, quia citra voluntatis consensum peraguntur; præterea conscientiam cujus error superari potest, à peccato non excusare.

2°. Conscientia dividitur in *latam* & *scrupulosam*. *Lata* dicitur ea quæ ex levibus tantùm causis cupiditati faventibus, licitam esse actionem judicat; vel quæ pro levi peccato habet quod gravissimum existimari debet.

Conscientia *scrupulosa* quæ latæ opponitur, ea est quæ futilibus conjecturis & ratiunculis ducta, anxiè & sollicitè timet ne mala sit actio. Sic appellatur quia, sicut scrupus sive lapillus asper pedem lædit, & gressum impedit; ita conscientia scrupulosa inquietam animi anxietatem parit, & obstat ne viam mandatorum Dei liberè & expeditè decurrat, dum in ipso bono latentes mali quasi fibras suspicatur.

3°. Conscientia dividitur in *certam*, *dubiam* & *probabilem*. Certa est, cùm prudenter & sine ulla rationabili errandi formidine, judicat aliquid licitum esse vel illicitum, bonum vel malum; dubia est, cùm rationibus contrariis ita liberatur, ut ignoret utrùm actio quæpiam licita sit, an illicita. Conscientia *probabilis* est judicium de actionis bonitate aut pravitate, iis nixum argumentis quæ verisimilia quidem videntur; sed quæ non sunt certa, nec errandi formidinem & periculum excludunt.

Cùm verò de conscientiâ scrupulosâ, dubiâ & probabili nonnulla sint quorum maximè utilis est cognitio, de triplici illo conscientiæ statu speciatim differendum est.

PARAGRAPHUS PRIMUS.

De Conscientia scrupulosa.

Quam agendi rationem in dirigendis scrupulosis sequi debeat prudens animarum moderator, hic raptim indicabimus.

1°. Diligenter explorare debet quibus ex causis nascantur scrupuli, ut aptum iis remedium afferre queat. Hanc notitiam ut assequatur, pœnitentis infirmitatem miserans, patientem illi aurem accommodabit, donec inquietas animi molestias descripserit. Postquàm cordis intima nudaverit pœnitens, ipsi exponet Confessarius quid de hujus statu sentiat. Deindè si quid reponendum habeat scrupulosus, eum benignè audiat, ita ut fateri cogatur suam conscientiam non minùs Confessario, quàm sibimetipsi innotescere. Ea quippè vulgò est scrupulosis persuasio, aliis se non satis compertos esse, ut ab iis consilium acoipiant, quod turò sequi possint. Cùm singulas pœnitentis anxietates sibi minutatim exponi ab initio finit Confessarius, id sibi juris acquirit, ut ei deinceps non permittat ad se frequentiùs ventitare; si enim pœnitenti licentiam daret ipsum adeundi, quoties novus suboritur scrupulus, quanta inde temporis jactura! quanta anxietatum seges!

2°. Scrupulosum præsertim admonebit potissimum suæ ægritudinis remedium, in obedientia positum esse: quam nisi spondeat, dimittendus erit, quasi morbo insanabili affectus. Hâc animi docilitate quantum opus habeat istis rationibus suaderi poterit, 1°. quia sic jubet Scriptura: *Ne innitaris prudentiæ tuæ; .... ne sis sapiens apud temetipsum.* (*Proverb. cap.* 3. *v.* 5. & 7.) Quæ verba ad scrupulosos maximè pertinent. Cùm enim mentem habeant anxietatibus perturbatam, non suo, sed alieno judicio stare debent; 2°. quia suam opinionem aliorum judicio anteponere, super-

bientis est animi. Si tandem eum reperiat indocilem & pertinacem, cum eo paulò duriùs agendum erit, ut obtemperare discat : quin etiam aliquandò expedit, ut ipsi differatur Sacramentorum usus. Ex illa enim severitate longè magis quàm ex verbis intelliget, quantùm periculi in ipsius contumacia inesse judicet Confessarius.

3°. Cum pœnitente non agat Confessarius, quasi dubitando & hæsitando. Si enim ipsum videat incertum & ancipitem, suis in scrupulis firmabitur, & crescent animi terrores. Confidenter igitur, & quasi nihil dubitans, pœnitentem alloquatur, postquàm scrupulorum causas & naturam introspexerit, & à *Patre luminum* postulaverit ut ipsi consilia suggerat & remedia quibus erga ægrum animi uti debeat.

4°. Pœnitentem hortabitur ut assiduis precibus divinam opem cum fiducia imploret. Quando enim anxietatum fluctibus exagitatur crudeliùs ; ad Deum, potiùs quàm ad Confessarium debet confugere, ægrique animi sanationem ab oratione magis quàm à confessione expectare. Admonendus est ut Deum non sibi signat quasi tyrannum iratum vel exactorem durissimum ; sed eum habeat veluti patrem benignissimum, qui in veniam proclivior est, quàm in vindictam ; cui ex intimo dilectionis affectu, potiùs quàm ex metu servili obtemperandum est.

5°. Pœnitenti Confessarius præcipiat, ut de suis scrupulis non sit nimiùm sollicitus, & cum iis non luctetur diutiùs ; sed eos statim ab ortu, & nascentes opprimat, animum à congitationibus quæ illos provocare solent removendo, aliisque rebus applicando. Experientiâ quippè constat longè faciliùs superari scrupulos, quando contemnuntur, quàm ubi dedità operâ cum iis pugnatur. Quemadmodùm enim hydropici, dum potui indulgent, sitim incendunt, nedùm restinguant ; ita scrupulosi vanis conscientiæ terroribus eò crudeliùs

vexantur, quò magis ad eos animum intendunt.

6°. Scrupulosis imperandum est, ut suis accuratè fungantur officiis, & sedulo labori incumbant. In occupatione enim maximum est adversùs scrupulos præsidium ; eos quippè fovet & accersit otium, dum imaginationi occasionem præbet, in varias cogitationes periculosas discurrendi. Manualis præsertim labor, quando plurimùm defatigat, scrupulosis sæpè remedium est efficacius, quàm cetera ipsis dantur consilia.

Quænam sint scrupulorum causæ, quæ remedia iis adhibenda, solidè & eleganter expositum reperies apud Clarissimum *Duguet*, in opere cui titulus : *Traité des Scrupules.*

PARAGRAPHUS II.

De Conscientia dubia.

Tutissimam regulam cui firmiter adhærere debeat, qui conscientiam habet dubiam, aperiet sequens

PROPOSITIO.

Qui conscientiam habet dubiam, ab actu debet abstinere, si nulla urgeat agendi necessitas ; quæ si adfuerit, partem tutiorem eligere debet.

Probatur prima pars. Non licet peccandi periculo sese objicere : atqui huic periculo sese exponit qui in dubio, citra ullam necessitatem, agit. Ille enim peccandi discrimen adit, qui agit temerè nullamque habet certam regulam, quâ deprehendere possit utrùm justum sit, an injustum quod operatur : atqui ita se habet qui in dubiis sine ulla necessitate agit ; ergo peccandi periculo sese ultrò exponit ; ergo, &c. Hinc S. Thomas : *Si ille*, inquit, qui plures Præbendas habet, *in quamdam dubitationem inducitur contrarietate opinionum, &*

sic si, manente dubitatione, plures Præbendas habet, periculo se committit & sic procul dubio peccat, ut potè magis amans beneficium temporale, quàm propriam salutem. (*Quodlib.* 8. *art.* 13.) Eamdem regulam tradunt ipsimet Philosophi Ethnici: *Benè præcipiunt*, inquit Tullius, *qui vetant quidquam agere quod dubites æquum sit, an iniquum.* (*Lib.* 1. *Offic.*)

Prob. secunda pars, 1°. ex Scripturis quæ præcipiunt, ut vitemus periculum: *Qui amat periculum, in illo peribit;* (*Eccli.* 3. *v.* 17.) 2°. ut peccatum fugiamus *quasi à facie colubri;* (*Ibid. cap.* 21. *v.* 2.) 3°. ut peccatum reputemus *omne quod non est ex fide*, id est, quidquid non sit ex intima persuasione, quòd licitum sit; 4°. *ut ab omni specie malâ abstineamus.* (1. *Thessal.* 5. *v.* 22.) Atqui ubi aliquis in dubio partem minùs tutam eligit, ille profectò nec periculum & peccatum fugit, nec rem licitam esse persuasum habet, nec abstinet ab omni specie mala, ut satis patet; ergo si in dubiis urgeat agendi necessitas, pars tutior eligenda est. Hinc S. Augustinus: *Graviter peccaret* (homo) *in rebus ad salutem animæ pertinentibus, eo solo quòd certis incerta præponeret.* (*Lib.* 1. *de Bapt. cap.* 3. *n.* 4. *tom.* 9. *pag.* 82.) Hinc etiam S. Antoninus: *In iis quæ concernunt forum conscientiæ, in dubio via tutior est eligenda.* (*Part.* 3. *tit* 5. *cap.* 2. *sect.* 9.) Hinc tandem celeberrimus Gerson: *Agere incertum, & dimittere certum in materia morali, est peccatum mortale.* (*Reg.* 8. *tom.* 3. *part.* 1. *edit. ultim. pag.* 79.)

Prob. 2°. ratione. Ad licitè hic & nunc operandum, requiritur ut prudenter judicemus nos minimè esse peccaturos: atqui cùm dubitans eam partem sequitur quam minùs tutam existimat, non potest prudenter judicare nihil esse peccati pertimescendum: imò longè magis sibi conscius est se peccaturum, ut res ipsa clamat; ergo, &c.

Præterea non minùs cautè sese gerere debet homo, in iis quæ ad salutem æternam pertinent, quàm in rebus temporalibus: atqui ubi agitur de rebus temporalibus, imprudens & malesanus haberetur, qui in dubio partem minùs tutam eligeret, dum tutiorem amplecti potest; qui, v. g. escam sumeret quæ an veneno infecta esset dubitaret, dum alia sibi præstò esset, quam certò novit veneni expertem; ergo longè magis temerè & stultè agere, ac proindè peccare censendus est, quisquis in salutis æternæ negotio partem minùs tutam amplectitur.

Solvuntur objecta.

Objicies 1°. Si in dubiis pars tutior esset eligenda, aliquandò teneremur abstinere ab actionibus nullâ lege prohibitis; siquidem sæpè dubitamus utrùm actus sit licitus, quem tamen nulla lex prohibet: atqui nemo tenetur ab iis actionibus abstinere, quæ nullâ lege prohibentur; ergo in dubiis minimè necesse est partem eligere tutiorem.

Resp. 1°. Retorqueo argumentum: Si in dubiis liceret partem minùs tutam sequi, non teneremur à plurimis actionibus abstinere, quas vetat divina lex. Sæpè enim ancipites & incerti sumus, utrùm actus sit licitus, necne, qui reverà prohibetur lege divinâ: atqui tamen absurdè diceretur non abstinendum esse ab iis actionibus quas divina lex interdicit: ergo in dubiis nunquam licet partem minùs tutam amplecti.

Resp. 2°. Dist. maj. Aliquandò teneremur abstinere ab actionibus nullâ lege eas spectante prohibitis, conc. maj. nullâ lege ipsum dubitantem spectante, neg. maj. dist. pariter min. Atqui nemo tenetur abstinere ab actionibus, nullâ lege tùm eas actiones, tùm ipsum dubitantem spectante prohibitis, conc. min. nemo tenetur abstinere

ab actionibus nullâ lege quæ ipsas spectet prohibitis, neg. min.

Fateor equidem nullam nobis incumbere obligationem ab iis actibus abstinendi, qui nullâ lege, sive ad eos actus, sive ad ipsum dubitantem pertinente, prohibentur; sed tenemur in dubiis quasdam actiones omittere, quamvis nullâ lege eas afficiente prohibeantur; tenemur, inquam, vi legis quæ in ipsum dubitantem cadit. Hæc autem lex quam recta ratio, quam Religio imponit, ita se habet: nihil agendum est quod dubites justum sit, an injustum.

Obj. 2°. Non magis tenemur obtemperare legi, cùm dubitamus an obliget, quàm fide assentiri dogmati de quo dubitatur an revelatum sit: atqui non tenemur ad posterius; ergo neque ad prius.

Resp. Neg. maj. & paritatem. Ratio disparitatis est, quia ubi aliquis fide credit dogma de quo dubitat an relevatum sit, in erroris periculum sese conjicit, quod effugere, quantùm potest, quisque debet. Contra verò qui dubitans utrùm lex divina aliquid prohibeat, ab eo tamen abstinet, nullum subit peccandi periculum: quinimò magnum aditurus esset peccandi discrimen, si illud ageret quod non sine probabilibus argumentis ipsi videtur à Deo prohibitum.

Obj. 3°. Lex dubia non potest certam parere obligationem; ergo cùm dubitatur utrùm lex aliquid prohibeat, non tenemur ab eo abstinere.

Resp. Dist. conseq. Non tenemur ab eo abstinere vi legis dubiæ, conc. vi legis naturalis quæ vetat ne quis peccandi periculo sese exponat, neg. conseq.

Quando enim dubitamus an hæc vel illa lex obliget, nihil tamen dubitationis est, utrùm debeamus eam partem amplecti, quæ magis à peccato removet. Itaque, cùm incertum est an quædam actio prohibita sit, non tenemur ab ea abstinere vi legis, quæ dubia est; sed vi legis naturalis,

quæ omninò certa est; & vetat ne in cognitum peccandi periculum incurramus.

Obj. 4°. Si pars tutior semper eligenda esset, omnes teneremur in eremum secedere, vel Monasterium ingredi, quia illud vitæ genus tutius est minùsque periculosum: atqui hoc falsum est; ergo, &c.

Resp. Neg. maj. Nam illud vitæ genus cuique magis tutum est ac minùs periculosum, ad quod à Deo fuit destinatus, factusque idoneus: atqui Deus alios destinavit ad vitam cælibem, alios ad conjugalem, alios ad solitudinem; quemadmodùm ergo singula corporis humani membra non eodem funguntur officio, sed distinctis ministeriis serviunt, ut observat Apostolus: ita singuli homines eam vivendi formam profiteri debent, ad quam à Deo vocati sunt: alii enim in sæculo depravantur, qui potuissent, ut ait Augustinus, *in solitudine deificari*; alii in Monasteriis malè vivunt, qui potuissent in sæculo piam sanctamque vitam agere. Ita Autor anonymus Institutionum philosophicarum, an. 1761, *Tom.* 3. *pag.* 183.

Obj. 5°. In iis quæ ad moralem disciplinam pertinent, recentiores Theologi veteribus sunt anteponendi: omnia enim hodiè diligentiùs excussa sunt: atqui plures Theologi recentiores docent in dubiis eligi posse partem minùs tutam; ergo iis adhærendum est.

Resp. Neg. maj. Ut enim fidei, ita & moralis doctrina ad salutem necessaria, à Spiritu Sancto fuit Apostolis tradita, & in eorum persona toti Ecclesiæ: ita scilicèt iis promiserat Christus: *Cùm venerit ille Spiritus veritatis, docebit vos omnem veritatem.* (*Joan.* 16. 13.) Quò propiùs igitur ad primævum illum totius veritatis fontem acceditur, eò magis pura & sincera fluit doctrina moralis; nedùm ergo recentiores Theologi in hac parte sint veteribus anteponendi, imò non admittendæ sunt eorum opiniones, nisi cum Veterum

doctrina planè consentiant. Infixum animo hæreat illud Scripturæ monitum : *Non te prætereat narratio seniorum : ipsi enim didicerunt à patribus suis ; quoniam ab ipsis disces intellectum, & in tempore necessitatis dare responsum.* (*Eccli.* 8. *v.* 11. & 12.)

Hinc à Clero Gallicano damnata est an. 1700 hæc propositio : *Puto omnia hodie melius esse examinata, & hanc ob rem in omni materia, & præcipuè in morali, libentius juniores, quàm antiquiores lego & sequor : ..... doctrina fidei à veteribus, doctrina morum magis à junioribus petenda est.* (*Mém. du Clerg. Edit.* 1716. *tom.* 1. *pag.* 739.)

PARAGRAPHUS III.

De Conscientia, sive opinione probabili.

Opinio probabilis, prout à Recentioribus definitur, *est ea quæ, quamvis non omninò certa, attamen vel gravi autoritate, vel non modici momenti ratione nititur.* Hinc ab iis duplex distinguitur probabilitas, alia *intrinseca* quæ nititur argumentis à ratione, vel Scriptura, vel Traditione deductis ; alia *extrinseca* quæ ex Doctorum vel testium autoritate repetitur.

Ex præfata definitione patet à Recentioribus duo requiri, ut aliqua propositio dicatur probabilis, Primum ut neque de ejus veritate, neque de falsitate prorsùs constet : alioqui non merè probabilis, sed vel certò vera, vel certò falsa diceretur. Unde liquet sententiam quamlibet probabilem esse incertam, ac proindè dubiam. Secundum, ut nitatur gravi autoritate, vel ratione non levis momenti : quæ tamen autoritas vel ratio, ejusmodi tantùm esse debet, ut tententiam aliquam faciat probabilem, non verò certam ; alioqui jam non probabilis appellaretur, sed certa.

Ad planiorem eorum quæ dicturi sumus intelligentiam, quædam sunt prænotanda. 1°. Opinio dicitur

dicitur *favere legi*, cùm affirmant rem aliquam lege prohiberi vel præcipi ; dicitur autem *favere libertati & cupiditati*, quando asserit hanc vel illam actionem nullâ lege vetitam esse aut imperatam. 2°. Opinio *tutior* appellatur, cùm à violandæ legis periculo magis removet, quàm opposita. 3°. Opinio in conflictu alterius dicitur *probabilior* vel *minùs probabilis*, prout ratione & autoritate oppositam vincit, aut ab ea vincitur : si verò ambæ paribus rationum momentis sese librent, tunc vocantur *æquè probabiles.*

4°. *Probabilistæ* nuncupantur recentiores quidam Theologi, qui probabilitatem ut certam tutamque morum regulam intrudunt. Hæc sunt ea de re præcipua ipsorum placita : 1°. Opinionem quamlibet probabilem sequi ita licitum est, ut qui ex ea vitam suam dirigit, non modò securus sit, sed etiam felicitatem æternam assecuturus, *& rectà tendat ad superos*, inquit *Escobar.* 2°. In opinionum delectu, minùs probabilis simul & minùs tuta, tutiori & probabiliori potest anteferri. 3°. Probabilis fit opinio quæ innititur vel ratione, vel autoritate ; nec opus est ista duo simul jungi, at satis est ut alterutrum adsit. 4°. Ea opinio est verè probabilis quam vel unius Doctoris gravis firmaverit autoritas : *Potest quis*, ait Emmanuel Sa in Aphorismis, *facere quod probabili ratione vel autoritate putat licere, etiamsi oppositum tutius sit : sufficit autem opinio alicujus gravis autoris.-Licitum est*, inquit Filiucius, *sequi opinionem minùs probabilem, etiamsi minùs tuta sit : est communis Recentiorum sententia.* (*Tract.* 21. *cap.* 4. *n.* 128.)

Incredibile est quantam in Theologia morali stragem ediderint nova hæc dogmata, quæ omnibus flagitiis viam aperiunt latissimam : ad ea penitùs convellenda, sit.

Propositio I.

Non licet sequi opinionem minùs probabilem quæ favet libertati, in concursu alterius probabilioris quæ legi favet.

Probatur 1°. ex Scriptura. Non licet homini in peccandi periculum sese ultrò conjicere: *Qui enim amat periculum, in illo peribit.* (*Eccli.* 21. 17.) Atqui peccandi periculo manifestè sese exponit, qui opinionem minùs probabilem quæ favet libertati sequitur, in concursu alterius probabilioris quæ stat pro lege. Nam locus est timendi ne legem infringat, si fortè existat: atqui in casu de quo agitur probabilius est legem existere, & obligare: siquidem in eam partem inclinant gravioris momenti argumenta; ergo, &c.

Præterea apud Lucam sic præcipitur: *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & ex tota anima tua, & ex omnibus viribus tuis.* (*cap.* 10. *v.* 27.) Unde patet Deum esse præ omnibus diligendum: atqui Deum non ita profectò diligit, qui sententiam minùs probabilem, libertati cupiditatique blandientem amplectitur, dum alia probabilior in gratiam legis occurrit: tunc enim id facit vel omittit, ex quo Deum graviter esse offendendum judicat, & quidem probabiliùs.

Denique sic jubet Apostolus: *Quod bonum est tenete; ab omni specie mala abstinete vos.* (*1. Thess. 5. v.* 21. & 22.) Atqui ubi aliquis opinionem minùs probabilem quæ favet libertati sequitur, neglectâ probabiliori quæ stat pro lege: 1°. non renet quod bonum est, cùm sciens & volens eligat quod ipsi malum videtur potiùs quàm bonum; 2°. non abstinet ab omni specie mala, siquidem eam amplectitur partem quam malam esse probabiliùs existimat.

Prob. 2° ex SS. Augustino & Thoma, ut alios Patres in ea re contentientes omittamus. S. Au-

gustinus docet *vigiliis continuis excubandum esse, ne opinio verisimilis fallat, ... ne quod bonum est, malum, aut quod malum est, bonum esse credatur.* (*Lib. 22. de civit. Dei, cap. 23. tom. 7. pag. 687.*) Atqui ineptè prorsùs exigit S. Doctor, ut vigiliis continuis excubemus, ne opinio verisimilis fallat, si liceat opinionem, etiam minùs probabilem, anteponere probabiliori quæ favet legi.

S. Thomas expendens an licitum sit plures Præbendas possidere, ait *id periculosè determinari, ... quia Theologi Theologis, & Juristæ Juristis inveniuntur contraria sentire.* (*Quodlib. 9. art. 15.*) Atqui si liceat opinionem minùs probabilem anteferre probabiliori quæ legi favet, nullum erit in dirimenda illa quæstione periculum propter diversas Doctorum opiniones: poterit enim quisque eam quæ sibi magis arriserit, sine ullo peccandi periculo eligere.

Prob. 3°. rationibus theologicis: 1°. Nunquam licet agere contra conscientiam, ut jam probatum fuit: atqui contra conscientiam suam agit, qui opinionem minùs probabilem præ aliâ sequitur quæ probabilior est, & quæ pro lege militat; siquidem ita pronuntiat ipsius conscientia: *Probabilius est ac verisimilius actionem hanc esse malam & lege prohibitam*; ergo, &c.

2°. Non licet imprudenter & temerè agere: atqui imprudenter sese gerit qui sententiam minùs probabilem eligit, posthabitâ probabiliori quæ favet legi: ut enim prudenter quisque agat, moralem habeat necesse est de honestate suæ actionis certitudinem: atqui eâ prorsùs caret qui opinionem minùs probabilem amplectitur, spretâ probabiliori quæ pugnat pro lege: siquidem, eo ipso judice, quod agit potiùs illicitum est, quàm licitum; ergo, &c.

3°. Novitas doctrinæ in iis quæ ad fidem & mores pertinent, falsitatis notam præ se fert manifestissimam: atqui novella est sententia quæ docet

licitum esse opinionem sequi minùs probabilem, contemptâ probabiliori: *Quòd in praxi eam nobis liceat sequi sententiam, quam nec ipsi probabiliorem eligendam judicamus*, inquit Clerus Gallicanus in Comitiis an. 1700., *hoc novum, hoc inauditum.* (*Mém. du Clerg. tom.* 1. *pag.* 742. *Edit. de* 1716.) Miserrima igitur Patrum tempora, quibus Deus tantum arcanum invidit quo nihil commodius, nihil ad evellendos scrupulos aptius, nihil ad complanandam salutis viam expeditius.

PROPOSITIO II.

Non licet sequi opinionem probabilem quæ favet libertati, præ altera æquè probabili quæ stat pro lege.

Prob. Qui animum habet duabus oppositisque opinionibus æquè probabilibus distractum, is verè proprièque dubitat; siquidem non potest hanc, potius quàm illam opinionem veram judicare, sed inter utriusque veritatem & falsitatem suspensus fluctuat. Hinc si quis ab homine in hoc statu constituto quæsierit, utra sententia vera sit, ingenuè fatebitur se nescire, incertum esse, dubitare; tenetur ergo vulgari illâ lege, quâ jubemur in dubiis partem tutiorem consectari: atqui partem tutiorem non sequeretur, si opinionem quæ favet libertati eligeret, neglectâ alterâ æquè probabili quæ stat pro lege. Posteriorem enim hanc sententiam amplectendo, in nullum violandæ legis divinæ periculum incurreret; huic autem periculo sese objiceret, si alteram opinionem sequeretur, ut per se manifestum est; ergo, &c.

Hinc Clerus Gallicanus, in Comitiis an. 1700, inter alias regulas, istam ordine primam statuit: *In dubiis de salutis negotio, ubi æqualia utrinque animo sese offerunt rationum momenta, sequamur id quod tutius, sive quod in hoc casu unicè tutum est;*

neque id consilii, sed præcepti loco habeamus, dicente Scriptura: Qui amat periculum, in illo peribit. (*ubi suprà.*)

COROLLARIUM.

Ergo Probabilistarum doctrina non potest esse morum regula: in eo quippè sita est, ut semper liceat opinionem probabilem, id est, à quibusdam Casuistis approbatam sequi, etiam in conflictu alterius quæ probabilior sit, & cum lege magis consentiens: atqui horrendam hanc doctrinam, quasi tutam morum regulam, proponere grande sit nefas: quantùm enim à Scripturis, à Patribus, à ratione sit aliena demonstravimus. Eâ semel admissâ, nullum erit flagitium quod licitum & innoxium non evadat: ex hoc scilicèt fonte manârunt tot Casuistarum decreta, quæ populi christiani pietas tam justâ detestatione insecuta est, & quæ sacra Episcoporum autoritas tam merito anathemate profligavit, ut potè quæ calumniam, cædes, abortiones, furta, usuras, &c. permittunt.

Solvuntur objecta.

Objic. 1°. Qui ex duabus opinionibus minùs probabilem sequitur, dubitat quidem *speculativè* utra sit vera, sed non dubitat *practicè*; quia certò novit tutè agere, qui opinionem probabilem sequitur, ergo hic locum non habet hoc effatum: *In dubio pars tutior est eligenda.*

Resp. Neg. ant Quia dubium *speculativum* necessa i conjunctum est cum dubio *practico*. Quando enim dubitamus verane sit aliqua opinio, an falsa, eo ipso dubitamus an liceat eam sequi. Quæ duo simul devincta sunt & colligata, ut vel leviter attendenti satis patet.

Obj. 2°. Opinio minùs probabilis in concursu probabilioris remanet verè probabilis; ergo licet eam sequi.

Resp. Neg. ant. Nam *probabile*, ait Cardinalis Laurea, *idem importat ac dignum ut approbetur.* (*In 3. sent. disput. 11. art. 4. sect. 281.*) Atqui opinio minùs probabilis in conflictu probabilioris, minimè digna est quæ assensum & approbationem obtineat; siquidem prævalent rationum momenta quibus nititur opposita sententia. Quinimò non potest animus opinionem minùs probabilem non improbare; siquidem eam falsam potiùs quàm veram judicat.

Inst. Si Petrus doctior sit Joanne, numquid idcircò Joannes non erit doctus? ergo pariter ex eo quòd opinio sit probabilior alterâ, minimè sequitur alteram hanc non esse verè probabilem.

Resp. Neg. conseq. & pariat ratio disparitatis est, quia inter majorem unius hominis & minorem alterius scientiam nulla est vera oppositio; ac proindè mirum non est, quòd altera alteram non destruat: contrà verò duæ opiniones quarum alia probabilior est, favetque legi, alia autem minùs probabilis, & favet libertati, ita contradictoriè opponuntur, ut veritas unius falsitatem alterius necessariò importet, quales sunt istæ: *Hic contractus est licitus; hic idem contractus non est licitus*, idcircò major probabilitas unius minorem probabilitatem alterius prorsùs elidit.

Obj. 3°. Subditi licitè possunt, imò debent Superioribus obedire: atqui non rarò contingit ut Superior id præcipiat faciendum, tanquam probabilius, quod inferior censet minùs probabile; ergo potest in hac hypothesi subditus, imò debet opinionem minùs probabilem sequi.

Resp. Dist. maj. Subditi debent Superioribus obedire in iis quæ legi divinæ sunt contentanea, vel talia probabilius sibi videntur, conc. in iis quæ legi divinæ sunt contraria, vel hujusmodi esse probabiliùs existimant subditi, neg. maj.

Itaque quod jubet Superior, si cum lege divina manifestè consentiat, tunc parere debet subditus;

si legi divinæ apertè contrarium sit, tunc debet fortiter resistere, nedùm obtemperare teneatur; ubi verò probabiliùs censet subditus præceptum Superioris cum lege divina pugnare, tunc non potest citra culpam jussum exequi, quia contra propriam conscientiam agere convincitur, quod nunquam licitum est.

Obj. 4°. Opinio non est probabilis, nisi cùm manifestæ rationi, Scripturæ sacræ, & Traditioni non adversatur: atqui licitum est opinionem sequi quæ nec manifestæ rationi, nec Scripturæ sacræ, nec Traditioni adversatur; ergo semper licet opinionem quamlibet probabilem sequi.

Resp. Neg. maj. Hic enim agitur de opinione probabili, qualis intelligitur à *Probabilistis* quos aggredimur: atqui passim docent opinionem verâ probabilitate donari, si quorumdam Doctorum, imò & unius autoritate muniatur. *Aliquandò*, inquit Escobar, *unus tantùm Doctor gravis admodùm opinionem oprobabilem potest efficere.* (*Proœmium Theolog. moral. exam. 3. de conscientia, cap. 3. n. 8.*) *Sed dubitabis*, ait Sanctius, *an autoritas unius Doctoris reddat opinionem probabilem; respondetur reddere.* (*Summ. lib. 1. cap. 9. n. 7.*) Quasi verò libri quàmplurimi doctorum hominum erroribus non scateant, quasi quidpiam aliud sint hæreses, quàm falsæ opiniones ab eruditis invectæ!

Fucum igitur imperitis facere volunt Casuistæ, quando simulant ad opinionem probabilem se requirere, ut neque à Scriptura, neque à Conciliorum & Patrum decretis dissideat. Hanc enim conditionem sibi incommodam passim retrahunt & ablegant, idque verè probabile esse decernunt, quod vel ab uno, vel à paucis Doctoribus, nempè Casuistis, propugnatum fuerit. Si verò hujusmodi opinionem rationi, Scripturæ & Traditioni contrariam demonstraveris, non ideò suam amittet probabilitatem, *quia debet quisque sibi persuadere*,

inquit Escobar, *has rationes quas ipse insolubiles existimat, ab alio solvi posse, nec ob illas, aliorum opiniones tanquam improbabiles rejicere fas sit.*

PROPOSITIO III.

In materia juri naturali subjecta non licet sequi opinionem probabiliorem, relictâ tutiore, minùs probabili.

Prob. 1°. ex Scripturâ quæ ita monet: *Est via quæ videtur homini justa; novissima autem ejus deducunt ad mortem.* (*Proverb.* 14. 12.) Atqui hæc via quæ videtur homini justa, ea procul dubio est, quam probabiliorem judicat; quis enim sapiens *justam* putet opinionem, nisi eam majori probabilitate munitam existimet? Ergo qui opinionem probabiliorem sequitur, neglectâ tutiore quæ scilicèt favet legi, in mortis periculum incurrit.

In ista Scripturæ verba sic notat Gregorius Magnus: *Sæpè ..., opus nostrum causa damnationis est, & profectus putatur esse virtutis. Sæpè unde placari judex creditur, inde ad iracundum placidus instigatur, ... unde sancti viri ....sua etiam benè gesta formidant; ne cùm bona agere appetunt, de actionis imagine fallantur; ne pestifera tabes putredinis sub boni specie lateat coloris.* (*Lib. 5. Moral. cap. 7. 11. 12. Tom. 1. pag. 143. edit. BB.*) Nedùm igitur conscientiæ securitatem pariat major probabilitas, peccat divinamque iram concitat, qui illud agit quod boni speciem præ se fert, nisi actio cum lege divina consenserit; quomodò igitur extra culpam erit qui non ignorat opinionem quæ sibi probabilior videtur, minùs tutam esse?

Prob. 2°. ex Augustino qui principium istud statuit: *Si quis bonum putaverit esse quod malum est, & fecerit hoc putando, utique peccat.* (*Epist. 47. n. 4 tom. 2. pag. 112.*) Hic generatim pronuntiat S. Doctor peccare hominem qui rem ex

se malam agit, licèt eam bonam esse existimet, culpâ igitur non vacat qui illicitum aliquid facit, quod licitum esse probabiliùs opinatur.

Prob. 3°. ex S. Thoma qui semel tradit à peccato non excusare juris naturalis ignorantiam, nisi invincibilis sit, hujusmodi verò in iis tantùm esse qui rationis usum penitùs amiserunt. *Ignorantia juris*, inquit, *non excusat à peccato, ni fortè sit ignorantia invincibilis, sicut est in furiosis & amentibus, quæ omnimò excusat.* (*Quodlibet. 3. quæst. 12. art. 27. ad 2.*) Porrò si à peccato non liberet ignorantia in iis quæ contra jus naturale fiunt, sequitur non licitum esse in materia legi naturali subjecta, probabiliorem amplecti opinionem, posthabitâ minùs probabili, sed magis tutâ.

Prob. 4°. isto vulgari effato: *In dubiis pars tutior est eligenda*: hæc enim regula non pertinet tantùm ad casus in quibus pares sunt utrinque probabilitates, verùm etiàm ad eos omnes in quibus probabilitas, quamvis major, ad certitudinem moralem non perducitur, neque omnem ex animo dubitationem excludit. Quo sensu prædictum axioma suis in decretis adhibent Summi Pontifices.

Clementi III, v. g. propositum fuit istud cujusdam Sacerdotis factum: Ut culpam ab adolescente commissam puniret, cum suo cingulo (*ceinture*) percussit. Culter verò huic zonæ illigatus, è vagina sua elapsus adolescentem à tergo fauciavit. Aliquantò post integram hujus vulneris sanationem, juvenis in morbum incidit & obiit. Cùm aliqua, licèt satis vana, supereset dubitatio utrùm plaga priùs recepta, hujus adolescentis morti occasionem præbuisset, consultus fuit Summus Pontifex quid de illo Sacerdote sentiret. En ipsius responsum: *Cùm in dubiis semitam debeamus eligere tutiorem, convenit injungere Presbytero memorato, ut in sacris Ordinibus non ministret, injunctâ tamen pœnitentiâ congruente.* (*Lib. 5. decret. tit 12. cap. 12.*) Plurima hujusmodi judicia in

corpore juris occurrunt. Porrò longè probabilius erat plagam adolescenti fortuitò inflictam ad ipsius mortem nihil contulisse ; hæc igitur fuit Romani Pontificis mens, ut opinioni probabiliori anteferri debeat opposita, quamvis minùs probabilis, quando tutior est.

Et verò cur in dubiis non licèt partem minùs tutam amplecti? nonne quia in peccandi discrimen sese conjicit qui ita se gerit ? atqui idem periculum sibi adjunctum habet opinio magis quidem probabilis, sed minùs tuta. Probabilitas enim quotiès moralem certitudinem non parit, totiès aliquam in mente dubitationem relinquit.

Prob. 5°. Non minus diligentiæ in salutis quàm in valetudinis negotio est adhibendum : atqui ubi agitur de valetudine, nemo prudens opinionem probabiliorem sequitur, dimissâ tutiore. Exempli gratiâ, tibi offerantur centum pocula, ex quibus unum duntaxat veneno sit infectum ; si unum præ ceteris assumas, longè probabilius est fore ut venenatum non haurias : atqui tamen secundum humanæ prudentiæ regulas in insaniæ notam incurreres, nisi ab omnibus poculis abstineres ; quantò magis igitur in his quæ ad salutem pertinent, opinioni probabiliori anteponenda est minus probabilis, sed tutior ?

Eâ de re tum veteres Scholasticos, tum recentiores & insignioris notæ Theologos consentire patet ex testimoniis quæ recensuit doctissimus Henricus *de S. Ignatio*, in opere erudito cui titulus : *Ethica amoris.* (*Lib.* 2. *cap.* 81. *& seq.*)

COROLLARIUM.

Huic igitur regulæ standum est, quam Bellarminus Cardinalis in sua ad Nepotem Epistola his verbis commendat : *Si quis velit in tuto salutem suam collocare, is omninò debet certam veritatem inquirere, & non respicere quid multi hoc tempore*

dicant aut faciant ; & si rei certitudo non possit ad liquidum apparere, debet omninò tutiorem partem sequi, & nullâ ratione, nullius imperio, nullâ utilitate temporali propositâ, ad minùs tutam declinare : agitur enim de summa re, cùm de salute æterna tractatur.

Solvuntur objecta.

Obj. 1°. S. Thomæ locum ubi expendit an duorum vel trium testimonium ad sententiam ferendam sufficiat. Partem tenet affirmantem, istamque rationem affert : *Certitudo non est quærenda in omni materia ; in actibus enim humanis super quibus constituuntur judicia, & exigantur testimonia, non potest haberi certitudo demonstrativa, eo quòd sunt circa contingentia & variabilia ; & ideò sufficit probabilis certitudo, quæ in pluribus veritatem attingat, etsi in paucioribus à veritate deficiat. Est autem probabile quod magis veritatem contineat dictum multorum, quàm dictum unius : & ideò cùm reus sit unus qui negat, sed multi testes asserant idem cum actore, rationabiliter institutum est jure divino & humano, quod dicto testium stetur.* (2. 2. *q.* 70. *art.* 2. *in corp.*)

Inde concludunt adversarii, juxta S. Thomam, licitum esse opinionem probabiliorem sequi, quamvis minùs tutam ; alioqui non *sufficeret probabilis certitudo, quæ aliquandò à veritate deflectit.*

Resp. consecutionem hanc S. Thomæ perperàm affingi, 1°. quia eo in loco non agitur de probabilitate quæ alteri sit opposita. Factum enim à multis testibus asseri supponitur, dum nullus ipsum negat, nocentis quippè testimonium pro nihilo reputari debet, cùm factum inficiari ipsius magnopere interest. 2°. In casu de quo disserit S. Doctor, major securitas petenda est ex parte societatis, cujus incolumitas postulat ut coerceantur qui ipsius tranquillitatem perturbant. In gratiam igitur

Judicis sententiam e entis simul concurrunt & major securitas, & major probabilitas.

3°. Apud S. Thomam de facto potiùs agitur, quàm de jure. In stabilienda autem facti alicujus veritate prævalere debet major probabilitas, ut omnes confitentur. Id verò nihil affinitatis habet cum præsenti quæstione, utrùm nempè liceat in materia juri naturali subjectâ probabiliorem sequi opinionem, posthabitâ minùs probabili, sed magis tutâ.

Obj 1°. Sic habet Clariſſimus *Gerson : Si quis oppoſuerit quod dubitans de aliquo, an ſit illicitum &, ſtante dubio, illud agens peccat, quia ſe diſcrimini ſcienter objicit; reſpondeo regulam hanc ... intelligendam eſſe de dubio tali, quod eſt vehemens : & magis aut ſaltem æquè inducit mentem credere quod eſt mortaliter illicitum, ſicut quod eſt licitum. Secùs eſt ubi mens plùs inclinatur & judicat quod eſt licitum, quàm illicitum, quamvis non habeat uſque-quaque certitudinem evidentem & fixam, quia nec hoc ipſum requiritur*; (*Tract. de præparat ad Miſſam, conſider.* 3 *tom.* 3. *pag.* 325. *Edit. Dupin.*) ergo, judice *Gerſon*, licet probabiliorem sequi opinionem præ oppoſita tutiore, sed minùs probabili.

Reſp. Neg. conſeq. genuinum Gerſonii ſenſum velis aſſequi, animadvertandum eſt eum in ſuperiori articulo ſtatuere ad celebrandam Miſſam non requiri, ut aliquis ſe in gratiæ juſtificantis ſtatu conſtitutum eſſe noverit certitudine evidenti, quæ obtineri non poſſet, niſi ex ſpeciali revelatione; at ſufficere certitudinem moralem : *Sufficit certitudo talis, qualem in materia morali conſuevimus expetere & capere; quæ certitudo poteſt appellari certitudo moralis* : (*Ibid. conſider.* 2.) neque neceſſe eſt ejuſmodi certitudine tollatur *omnis ſcrupulus aut dubitatio de peccato mortali*, ſed ii ſcrupuli, hæc dubitatio nullo nituntur fundamento, neque ex probabilitate oppoſita naſcuntur; at vana ſunt

nanis formidinis figmenta, ut ſtatim poſt objecta verba declarat ipſe *Gerſon : Sunt itaque nonnulli & plures, qui fortis ſunt phantaſiæ, qui prætereà ſæpè trepidant timore, ubi judicant etiam non eſſe timendam.* (*ibid. conſiderat.* 3.) Requirit ergo *Gerſon* certitudinem moralem, quæ tamen leviuſculos quoſdam & inanes ſcrupulos non ſemper excludat; quis autem negaverit ad licitè agendum ſufficere certitudinem moralem ?

Obj. 3°. Pugnat noſtra ſententia, 1°. cum Cleri Gallicani declaratione an. 1700, cujus iſta ſunt verba : *Abſit verò ut probemus eorum errorem, qui negant licere ſequi opinionem vel inter probabiles probabiliſſimam*; 2°. cum cenſura quâ eamdem propoſitionem confixit Alexander VIII. Ergo, &c.

Reſp. Neg. ant. Id enim unum aſſerimus, nempè in iis quæ ad jus naturale pertinent, non licitum eſſe opinionem probabiliorem ſequi in concurſu alterius oppoſitæ, minùs quidem probabils, ſed tutioris; quia pro lege militat. Damnata verò propoſitio enuntiat nunquam fas eſſe opinionem amplecti probabiliorem, quod falſum eſt. Nonnulli quippè ſunt caſus in quibus id licet; v. g. nonne Epiſcopo ſufficit ratio probabiliſſima, ut aliquem à lege jejunii eximat ? nonne debet inferior ſuperiori parere in rebus quæ ex natura ſua non ſunt malæ, quando id quod præcipitur ſecundùm opinionem probabiliorem licitum eſt ? Ergo cenſura iſtius propoſitionis, *non licet ſequi opinionem, vel inter probabiles probabiliſſimam*, ad noſtram theſim nihil pertinet.

DISSERTATIO II.

De principiis Actuum humanorum externis.

PRINCIPIA actuum humanorum externa, ea dicuntur quæ extra hominem sunt posita. Duo recensentur, nimirùm *finale* & *dirigens*: prius nihil aliud quàm finis propter quem fiunt actus humani; posterius verò est lex ipsa quâ, tanquam luce, in suis actibus homo dirigitur. Cùm de Legibus speciali in Tractatu dicturi simus, de fine tantùmmodò, & quidem breviter, hic agemus.

CAPUT UNICUM.

De fine Actuum humanorum.

DUPLEX erit hujus capitis articulus; 1°. enim cùm homines ita sint à natura comparati, ut in iis quæ agunt beatitudinem, tanquam finem ultimum, quærant, de ea disseremus; 2°. cùm non alius esse debeat finis ultimus hominis, quàm ipse Deus, agemus de officio quo tenemur omnes actiones nostras ad Deum referre, tanquam ad finem ultimum.

ARTICULUS PRIMUS.

De hominis beatitudine.

Duplex distinguitur beatitudo, *objectiva* nimirùm & *formalis*. Beatitudinis *objectivæ* nomine intelligitur ipsum objectum cujus possessio beare hominem potest. Beatitudo autem *formalis* apud Scholasticos est ratio sive modus specialis, quo possessum beatitudinis objectum felicissimos nos facit. De utraque quidquid præcipuum erit, quod quidem satis breve est, tribus in paragraphis exponemus: in 1°. de beatitudine tùm *objectiva*, tùm *formali*; in 2°. de anima beata; in 3°. de corporis beati dotibus sermo erit.

PARAGRAPHUS I.

De beatitudine tùm objectiva *tùm* formali.

Beatitudinis nomine, non Philosophi tantùm & Theologi, sed & imperiti eum statum intelligunt, qui mentem omninò expleat; de vero autem beatitudinis objecto tanta fuit Gentilium discordia, ut 282 opiniones ea de re discrepantes post Varronem numeret Augustinus, *Lib.* 15. *de civitate Dei*, *cap.* 2. Adeò verum est quod ait Seneca, *vivere omnes beatè velle; sed ad pervidendum quid sit quod beatam vitam efficiat, caligare?* (*Lib. de vita beata.*)

PROPOSITIO I.

Homo non potest in seipso veram beatitudinem invenire.

Prob. ex hominis misera in terris conditione: *Homo natus de muliere, brevi vivens tempore, repletur multis miseriis.* (*Job.* 14. 1.) *Editus est in*

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

vitam, ait Tullius, *corpore nudo, fragili ac infirmo, animo anxio ad molestias, humili ad timores, prono ad libidines.* (*Lib.* 3. *de Republ.*) Atqui luctuosus ille status cum vera felicitate sociari non potest. Hinc hominem, non in se, sed extra se, beatitudinem quærere sibi conscius quisque est.

Propositio II.

Beatitudo hominis objectiva *in bonis creatis non sita est.*

Prob. Si bona creata possent facere hominem verè beatum, maximè vel honores, vel divitiæ, vel voluptates, vel saltem virtus: atqui nihil horum dici potest. 1°. Quidem non honores & dignitates: quod enim fluxum est & caducum, probis & improbis commune, immeritò diceretur vera hominis felicitas: atqui ita se habent honores & dignitates. *Vidi*, inquit Psaltes Regius, *impium superexaltatum & elevatum sicut cedros Libani, & transivi, & ecce non erat; quæsivi eum, & non est inventus locus ejus.* (*Psalm.* 36. *v.* 35. & 36.) *Rex hodiè est, & cras morietur.* (*Eccli.* 10. 12.) Ergo, &c.

2°. Nec divitiæ; tùm quia cum labore comparantur, cum timore & sollicitudine conservantur, cum dolore amittuntur; tùm quia cupiditatem irritant, non explent: *Avarus* enim *non implebitur pecuniâ*; (*Eccl.* 5. *v.* 9.) tùm quia iis sæpè affluunt improbi: *Promptuaria eorum plena, eructantia ex hoc in illud, oves eorum fœtosæ, ... boves eorum crassæ.* (*Psalm.* 143. *v.* 13 & 14.) Ergo, &c.

3°. Nec voluptates: sunt enim fluxæ, præcipites, instabiles, vel quatriduanæ febris igniculo evanescunt; ipsas consequuntur anxietas, dolor, tristitia, conscientiæ stimuli; vires corporis atterunt, multiplex morborum genus invehunt; hinc ita monet ethnicus poëta: *Sperne voluptates, nocet empta dolore voluptas.* Ergo 3°. &c.

4°. Nec ipsa virtus vitam ex omni parte beatam efficit; siquidem homines nec morbis, nec doloribus, nec paupertate, aliisque miseriis eximit: quæ omnia cum vera felicitate pugnant. Hinc Apostolos, licèt omni virtutum genere conspicuos, ita vexabant hujus vitæ incommoda, ut *eos tæderet vivere.* (2. *Cor.* 1. *v.* 8.) Virtus ergo via quidem est quâ pervenitur ad summam felicitatem, sed ipsa non est summum hominis bonum; in bonis igitur creatis nequicquam vera hominis felicitas quæreretur. Hinc Salomon, licèt in eum confluxissent omnia tùm animi, tùm corporis, tùm fortunæ bona, statim ab operibus sui limine, in istas voces erumpit: *Vanitas vanitatum, & omnia vanitas.* (*Eccle.* 1. *v.* 2.)

Propositio III.

Deus solus est objectiva *hominis beatitudo, sive summum bonum.*

Probatur. Ille solus est summum hominis bonum, qui solus potest omnes illius facultates explere: atqui talis est Deus, & quidem solus. Facultates enim hominis revocantur ad intellectum qui veri cognitionem, & ad voluntatem quæ boni possessionem prosequitur; atqui solus Deus potest utramque hanc facultatem explere: nam Deus solus est summa veritas, & summa bonitas: atqui Deus solus, quatenùs est summa veritas, potest intellectûs verum inquirentis appetitum exhaurire; quatenùs autem est summa bonitas, potest immensa voluntatis bonum prosequentis desideria satiare; ergo, &c.

Hinc S. Augustinus Deum sic alloquitur: *Fecisti nos ad te, & inquietum est cor nostrum, donec requiescat in te.* (*Lib.* 1. *confess. cap.* 1.) *Non facit beatum hominem*, ait idem Doctor, *nisi qui fecit hominem.* (*Epist.* 155. *n.* 2. *tom.* 2. *pag.* 536.) Hinc etiam præclara illa S. Bernardi sententia:

Animam Dei capacem, quidquid Deo minus est, non implebit. (*Tom.* 1. *pag.* 1572. *edit. BB.*)

Objectiones quibus impugnatur hæc propositio prætermittimus; tùm quia leviſſimæ ſunt, tùm quia in Philoſophia morali proponi ſolent. Nunc de beatitudine *formali* aliquid raptim delibandum eſt.

Beatitudo *formalis*, ut jam diximus, eſt ratio ſpecialis quâ ſummi boni poſſeſſio beatos nos efficit. Qua de re multùm diſcrepant Theologorum ſcholaſticorum opiniones. Thomiſtæ eam in Dei *viſione intuitiva*; Scotiſtæ in amore quo voluntas in Deo, tanquam in ſummo & immutabili bono, ſuaviſſimè conquieſcit; nonnulli demùm in gaudio quod ex Dei viſione ſeu cognitione *intuitiva*, & amore perfecto profluit: at ſterilis prorsùs videtur hæc quæſtio, nec dirimi poteſt. Legimus quidem in Scripturis fore ut Deum in altera vita *intuitivè* videant Beati, & perfectiſſimè diligant, ineffabilique gaudio perfundantur; verùm an viſio ſola, an amor ſolus, an gaudium ſolum, *formalem* hominis beatitudinem conſtituat, ex Scripturis definiri non poteſt, quia ea de re omninò ſilent. Prætereà, ut certò nobis conſtaret in qua mentis affectione ſita ſit beatitudinis ratio *formalis*, ipſa requireretur experientia quæ nobis in hac vita deeſt; multò igitur ſatius eſt ad ſuaviſſimam hanc felicitatis poſſeſſionem votis flagrantiſſimis aſpirare, quàm curioſiùs & ſubtiliùs inquirere in quo reponenda ſit ipſius ratio ſpecialis.

PARAGRAPHUS II.

De animæ beatæ dotibus.

Duæ ſunt potiſſimùm animæ beatæ dotes in eo ſitæ, quòd nec à beatitudine ſemel comparatâ excidere, nec peccare unquam poſſit.

PROBATIO I.

Æterna erit Sanctorum beatitudo.

Prob. *Juſti in perpetuum vivent.* (*Sap.* 5. 16.) *Ibunt hi* (maledicti) *in ſupplicium æternum, juſti autem in vitam æternam.* (*Matth.* 25. 46.) Apoſtolos ſic alloquitur Chriſtus: *Gaudium veſtrum nemo tollet à vobis.* (*Joan.* 16. 22.) In Scripturis beatitudo cœleſtis deſignatur per *hæreditatem incorruptibilem, incontaminatam & immarceſſibilem*: (1. *Petr.* 1. 4.) atqui ſingula hæc Scripturæ loca Beatis æternam felicitatem diſertè aſſerunt. Eamdem veritatem paſſim apud SS. Patres reperias: *Mors*, inquit S. Cyprianus, (*Martyribus*) *infertur; ſed immortalitas ſequitur: .. vita temporalis extinguitur, ſed æterna reparatur.* (*Epiſt. ad Fortunat. de exhort. Martyr. cap.* 12.) S. Auguſtinus, *Tunc*, inquit, *plena erit, certa, ſecura, ſempiterna felicitas.* (*Lib.* 22. *de civit. Dei cap.* 30. *n.* 1. *tom.* 7. *pag.* 700.) Id etiam teſtatur fidei noſtræ Symbolum quo profitemur nos expectare *vitam æternam.*

Præterea hujuſmodi eſſe debet ſumma beatitudo, ut omne deſiderium expleat, omnemque anxietatem & ſollicitudinem excludat, quæ cum perfecta felicitate pugnant: atqui talis eſſe non poteſt beatitudo, niſi perpetua ſit: alioqui ſollicitus illius amittendæ metus Sanctos exagitaret, & miſeros efficeret.

Quæres an Sanctorum beatitudo ſit inæqualis.

Reſp. Ita ſanè: illud enim contrà Jovinianum definitum eſt, qui ut æqualia peccata, ſic & æqualia merita, ideòque parem omninò eſſe mercedem contendebat. Quam errorem apertè rejiciunt Scripturæ: *In domo Patris mei*, inquit Chriſtus, *manſiones multæ ſunt.* (*Joan.* 14. 2.) Undè Tertullianus: *Quomodò multæ manſiones apud Patrem, ſi non pro varietate meritorum?* (*In Scorpiaco, cap.* 6.

pag. 492.) *Unusquisque*, ait Apostolus, *propriam mercedem accipiet secundùm suum laborem.* (1. *Cor.* 3. 8.) Atqui si merces in cœlis rependenda, labori respondere debeat, inæqualis sanè est Sanctorum beatitudo. Idem Apostolus, ut pro variis meritis disparem fore justorum gloriam significet, duas adhibet comparationes: *Alia*, inquit, *claritas solis, alia claritas lunæ, alia claritas stellarum; .... sic & resurrectio mortuorum.* (*Ibid. cap.* 15. *v.* 41 & 42.) *Qui parcè seminat, parcè & metet.* (2. *Cor.* 9. 6.) Hinc S. Polycarpus judicem supplicia sibi comminantem alloquens, *Merita mea*, inquit, *doloris æstimatione pensabo; quantò graviora pertulero, tantò majora præmia percipiam.*

Propositio II.

Beati peccare non possunt.

Prob. 1°. ex SS. Patribus: *Post resurrectionem*, ait S. Augustinus, *facto universo completoque judicio, suos fines habebunt civitates duæ, ... una bonorum, altera malorum; .... illis voluntas, illis facultas non poterit ulla esse peccandi.* (*Enchir. cap.* 3.) Porrò ii peccare nequeunt quibus nulla esse potest peccandi voluntas: atqui ex S. Augustino, Beatis nulla esse potest peccandi voluntas; ergo, &c. S. Fulgentius, *Firmissimè tene*, inquit, *non jam posse quemlibet SS. Angelorum in deterius commutari, quia sic acceperunt æternam beatitudinem, quâ Deo stabiliter perfruuntur, ut eâ carere non possint.* (*Lib. de fide ad Petrum, cap.* 23. *n.* 64.) Itaque juxta S. Doctorem, ideò Angeli non possunt in deterius commutari, nec proindè peccare, quia æternâ beatitudine donati, Deo stabiliter perfruuntur: atqui eadem est hominum beatorum conditio; ergo pariter nequeunt peccare.

Prob. 1°. Nemo peccat, etiam *venialiter*, quin à Deo aliquantulùm deflectat & avertatur: atqui Beatorum animæ ita necessariò Deum amant, illique tam immobiliter & indivulsè adhærent, ut ab eo nullo modo deflectere & sese avertere possint: quia scilicèt summum bonum à Beatis possessum, omnem ipsorum appetitum ita explet, satiat & exhaurit, ut quidquam aliud desiderare nequeant. Per *intuitivam* enim summæ veritatis cognitionem, & amorem summi boni *fruitivum*, plenè & perfectè sistitur omnis tùm intellectûs, tùm voluntatis motus; ergo, &c.

Paragraphus III.

De corporis beati dotibus.

Quanquam ad solos animos propriè loquendo pertineat beatitudo, *Deus* tamen *qui dives est in misericordia*, (*Ephes.* 2. 4.) statuit ut corpus, quia laborum animæ particeps fuit, suas etiam in præmio partes habiturum esset; idcircò corporis beati dotes raptim attingemus. Cùm autem corporum resurrectionem supponant, eam in antecessum adstruere necesse est.

Propositio.

Corpora mortuorum aliquando resurgent.

Arg. I. *Ex Libro Job.*

Rursùm, inquit Job, *circumdabor pelle meâ, in carne meâ videbo Deum meum, quem visurus sum ego ipse, & oculi mei conspecturi sunt, & non alius: reposita est hæc spes mea in sinu meo:* (*cap.* 19. *v.* 26 & 27.) atqui ex eo textu certum deducitur argumentum in gratiam resurrectionis corporum. Quod ut assequamur, duo sunt contrà Socinianos stabilienda: primum persuasum habuisse Job mortuos aliquando è tumulo excitandos esse, alteramque fore vitam in qua sua bonis merces & pœna malis penderetur; secundum, eum ibi non loqui de temporali in priorem statum restitutione,

Prob. 1a. pars, nempè Job infixam animo habuisse resurrectionis & alterius vitæ fidem. Id enim ex plurimis operis sui locis apertè colligitur. Testatur spem quam in Deo collocaverat, non ipsi auferri mortis metu, quam proximam esse denuntiabant vulnera & vermes quibus totum corpus scatebat : *Etiamsi occiderit me, in ipso sperabo, . . . & ipse erit salvator meus.* (*cap.* 13. *v.* 15 & 16.) Hæc autem spes suum post mortem effectum habitura, quid aliud esse poterat quàm certa mercedis expectatio in altera vita justorum laboribus destinatæ ?

Agnoscit supremum Dei tribunal ad quod vocatus homo, post brevem hanc vitam judicabitur : *Homo natus de muliere, brevi vivens tempore, ... fugit velut umbra . . . . & dignum ducis .... adducere eum tecum in judicium* ; vel juxta doctissimi *Houbigant* interpretationem : *Tu tamen cum eo in judicium es venturus.* (*cap.* 14. *v.* 1. 2. 3.) Docet hominem non esse à tumulo excitandum, nisi post orbis universi ruinam : *Homo cùm dormierit, non resurget, donec atteratur cœlum* ; (*ibid. v.* 12.) sic etiam pergit : *Tametsi moritur homo, tamen reviviscet.* (*Ibid. v.* 14. Houbigant.)

Hæc alterius vitæ & mercedis sibi rependendæ fides ipsius animo ita hærebat, ut eam ne in ipso quidem tumulo extinguendam esse profiteatur : *Ea spes mecum in pulvere descendet, mecum in pulvere requiescet* ; (*cap.* 17. *v.* 17. Houbigant.) id est, spem meam non abjiciam, vel sepultus, spem nimirùm futuræ vitæ ac immortalitatis.

Ex iis porrò locis & aliis plurimis quæ prætermittimus, manifestum est sanctum Job mortuorum resurrectionem, & alteram fore vitam firmiter credidisse, in qua sua virtuti merces & vitio pœna erit.

Prob. 2a. pars, nempè Job in loco quem in resurrectionis argumentum protulimus, non alludere ad suam in priorem statum restitutionem, nec

aliunde quàm à morte imminente malorum quibus opprimitur finem expectare. Ab ipsius mente tam longè aberat ad suam priorem fortunam reditus, ut statim à capite sexto corporis dissolutionem apperat, veluti solum quod à Deo in terris solatium expectabat. *Utinam*, inquit, *id quod ego desidero eveniat, ... & quoniam Deus incepit, conterat me, exerat manum suam, & me denique succidat.* (*cap.* 5. *v.* 8. Houb.) Nulla ipsi vitæ retinendæ spes affulget ; sibi conscius est, mala quibus vexatur eum ad mortem inevitabilem esse perductura. *Nam meæ vires quæ & quales, sunt, ut ex iis quidquam expectam, qualisve exitus meus, ut eum esse dilatum velim ? an lapideum robur meum est ? an carnis meæ, æneum ?* (*Ibid. v.* 11 & 12. Houb.)

Tot malis conflictatum sese exhibet, ut jam-jam moriturus sit, ab omnique recuperandæ prioris conditionis spe excideiit. *Caro mea vermibus induitur, sordibusque pulverulentis ; pellis mea scinditur & putrescit ; dies mei verbo velociùs transeunt, & absque ulla spe deficiunt ; reminiscere auram inanem esse vitam meam, neque oculos meos rursùm bona esse conspecturos.* (*cap.* 7. *v.* 5. 6 & 7. Houb.)

Multa sunt alia loca ex quibus patet Job tot ærumnis cruciatum, mortem promptissimam præ oculis habuisse, & omnem recuperandæ prioris fortunæ spèm abjecisse. Unde sic concludit eruditus *Roques*, Minister calvinianus : *Qui ne voit dans ces différens passages, un homme qui ne pense plus quà la mort, & qui n'attend plus à se revoir dans son premier lustre ? Comment donc s'imaginer que, malgré des déclarations si précises, Job témoigne ensuite qu'il ne doute point d'un rétablissement miraculeux, & de se voir de nouveau comblé sur la terre des grâces de son Dieu ? Peut-on lui attribuer des sentimens si contradictoires ?* (*Discours sur la Bible.*)

Certum est igitur 1°. mortuorum resurrectionem sancto viro Job non fuisse incognitam, ut fingunt

Sociniani; 2°. eum in loco unde primum argumentum deduximus non alludere adfuturam in pristinum statum restitutionem, cujus nulla spes ipsi supererat; ergo corporum resurrectionem demonstrant ista Job verba: *Rursùm circumdabor pelle meâ, &c.*

Dices: Si de mortuorum resurrectione dogma tempore Job innotuisset, nonne illud adhibuissent ipsius amici & familiares, ut eum tot malis vexatum solarentur? Nonne eum commonuissent fore ut, post mortalem hanc vitam, Deus constantem ejus patientiam largè remuneraret? attamen de mortuorum resurrectione, de altera vita silent omninò, eumque accusant quasi tantas pœnas aliquo scelere vel aperto, vel occulto commeruisset.

Resp. 1°. Argumentum illud est merè negans, nec luculentis prævalere debet testimoniis, quæ è libro Job suprà deprompsimus. 2°. Ejus amicis non illud erat consilii ut eum solarentur, sed tantùm ut causas inquirerent, quæ ipsi tot calamitates accersere potuerant. 3°. Omnes eorum sermones isto nituntur falso principio, quòd scilicèt Deus hominem tantis cladibus non affligat, nisi gravissimi cujusdam criminis reus fuerit; id apertè dicit Baldad: *Deus non projicit simplicem, nec porrigit manum malignis. (cap. 8. v. 20.)* Non eò igitur spectabant amici Job, ut solatium ipsi afferrent, alterius vitæ mercedem ejus oculis subjiciendo. Consule dissertationem eruditi *Houbigant*, libro Job præfixam.

Observatio.

Nonnullis mirum fortè videbitur, quòd in superiori argumento non adhibuerimus ista quæ allegari solent verba Job: *Scio quòd Redemptor meus vivit, & in novissimo die de terra surrecturus sum.* (*cap.* 19. v. 25.) Hujus prætermissionis ea fuit causa, quòd juxta primigenium textum, verbum *surrecturus* non

non ad ipsum Job, sed ad Redemptorem, sive Liberatorem in quo suam spem collocabat, referatur. Sic enim locum hunc vertit doctissimus interpres *Houbigant: Scio Redemptorem meum vivere, & super pulverem esse quondam resurrecturum.*

ARG. II. *Ex verbis Apostoli.*

Omnes resurgemus, inquit S. Paulus, ... canet *tuba, & mortui resurgent incorrupti:* (1. *Cor.* 15. 52.) atqui hæc verba non animæ tantùm immortalitatem, sed corporum etiam resurrectionem significant, ut satis patet.

Præterea sic ratiocinatur: *Si Christus prædicatur, quòd surrexit à mortuis, quomodò quidam dicunt in vobis, quoniam resurrectio mortuorum non est?.. Nunc autem Christus resurrexit primitiæ dormientium.* (*Ibid. v.* 12 & 20.) Itaque resurrectionem Christi, ut nostræ fundamentum & exemplar exhibet Apostolus: atqui Christus ita resurrexit, ut ipsius anima suo corpori denuò conjuncta fuerit; Christus enim redivivus Apostolis dubitantibus suum corpus conspiciendum, tangendum & palpandum multotiès præbuit, ut legere est *Joan.* 20. *v.* 27. – *Luc.* 24. *v.* 39. – *Act.* 1. *v.* 2. 3. Ergo pariter ita futura est nostra resurrectio, ut anima suo corpori denuò sit conjungenda. *Propria fides est Christianorum, resurrectio mortuorum*, inquit Augustinus; *hanc in seipso .... caput nostrum Christus ostendit, & exemplum fidei nobis præstitit, ut hoc sperent membra in se quod præcessit in capite.* (*Sermone* 241. *n.* 1. *tom.* 5. *pag.* 1003.)

ARG. III. *Ex fidei nostræ Symbolis.*

Eadem veritas demonstratur fidei nostræ Symbolis, tùm Apostolico: *Credo ... carnis resurrectionem;* tùm Constantinopolitano: *Expecto resurrectionem mortuorum*; tùm Athanasiano: *Ad cujus adventum*

omnes homines resurgere habent cum corporibus suis. Merito itaque sic docet Augustinus: *Resurrectionem mortuorum futuram esse in carne ... oportet, si Christiani esse volumus, ut credamus.* (*Lib. 20. de civit. Dei, cap. 20. n. 3. tom. 7. pag. 599.*) Qua in re unanimes sunt ceteri Patres.

ARG. IV. *Ex Rationibus Theologicis.*

1°. Si resurrectio mortuorum futura non sit, horum alterutrum admittatur necesse est, nempè Deum vel non posse, vel non velle suscitare mortuos: atqui neutrum dici potest. Non primum: *Carnem utique idoneus est reficere, qui fecit; quantò enim plus est fecisse, quam refecisse!* (*Tertull. Lib. de resurrect. carnis, cap. 11. pag. 332.*) Non secundum; velle enim Deum suscitare mortuos satis constat ex prolatis Scripturæ testimoniis, & maximè ex iis verbis quibus Sadducæos refellit Christus: *Erratis nescientes Scripturas; in resurrectione enim neque habent, neque nubentur ..., De resurrectione mortuorum non legistis?* (*Matth. 22. v. 29. 30. 31.*) Ergo, &c.

2°. Carnis resurrectio divinæ justitiæ & sapientiæ maximè congruit; tùm quia æquum videtur, ut corpus quod bona vel mala opera fuit animæ instrumentum, ejusdem pœnis aut præmiis consocietur: *Caro*, inquit Tertullianus, *dum ministra & famula animæ deputatur, consors & cohæres invenitur; si temporalium, cur non & æternorum?* (*Lib. de resurrect. carnis, cap. 7. pag. 330.*) tùm quia nemo sapiens existimaverit, carnem quæ fuit Christi corpore & sanguine nutrita, Deo consecrata, Spiritûs Sancti templum, & Christi membrum facta, non aliâ forte donandam esse, quàm jumentorum cadavera.

Solvuntur objecta.

Objiciuntur 1°. nonnulla Scripturæ loca quæ

corporum resurrectioni videntur adversari: *Non mortui laudabunt te, Domine, neque omnes qui descendunt in infernum*, id est, in sepulcrum. (*Psalm. 113. v. 17.*) *Unus interitus est hominis & jumentorum, & æqua utriusque conditio; sicut moritur homo, sic & illa moriuntur.* (*Eccle. 3. v. 19.*)

Resp. 1°. his verbis Psalmi 113: *Non mortui laudabunt te, &c.* exprimi mentem orantis Dominum, ut piis hominibus qui tunc pauciissimi erant, parcere velit ne iis sublatis, desint qui Deum verum celebrent; sensus est igitur mortuos non posse in terris Deo sacrificium laudis offerre, nec ejus nominis gloriam manifestare coram gentibus impiis, quæ tunc tanto numero falsa numina sacrilego cultu prosequebantur.

Resp. 2°. objectum Ecclesiastæ locum id unum significare, nempè hujus mundi miserias & ærumnas, moriendique necessitatem homini & belluæ esse communes, ex illaque parte similem esse utriusque conditionem; æqualem verò fore ex omni parte hominis & jumenti sortem & interitum, nequaquam docet Ecclesiastes: quinimò contrarium apertè colligitur ex iis quæ præmittit verbis: *Dixi in corde meo: Justum & impium judicabit Deus.* (*Ibid. v. 17.*)

Objiciuntur 2°. alia Scripturæ loca quibus universalis saltem omnium resurrectio excludi videtur: *Non resurgent impii in judicio.* (*Ps. 1. v. 5.*) *Multi de his qui dormierunt in terræ pulvere evigilabunt.* (*Dan. 12. v. 2.*)

Resp. 1°. ex verbis: *non resurgent impii in judicio*, nihil inferri posse adversùs resurrectionem generalem, quia juxta doctissimos interpretes, & linguæ hebraicæ peritissimos, qualis est Pater *Houbigant*, phrasis hebraica sic vertenda est: *Impii non stabunt*, id est *causam suam sustinere & tueri non poterunt, in judicio*; sed jacebunt prostrati, attoniti & elingues.

Resp. 2°. cum Augustino Prophetam dicere,

multos pro omnibus, (*lib.* 20. *de civit. Dei*, *c.* 23, *n.* 2. *tom.* 7. *pag.* 606.) ut Scripturis satis familiare est; sic, v. g. Apostolus modò *multos*, modò *omnes* dicit ex Adami delicto constitutos esse peccatores. (*Rom.* 5.) Egregiè notat Sylvius ideò prophetam adhibuisse vocem *multi*, quia magis propria & accommodata est ad exhibendam resurgendorum immensam multitudinem, quæ omne genus humanum complectitur; *omnes* enim aliquandò pauciores sunt quàm *multi*; ut si decem tantùm discipuli in schola adsint & scribant, *omnes* dicentur scribere, non *multi*.

Quæres 1°. utrùm anima idem corpus sit recepturа, quod habuit in terris.

Resp. id fide certum esse: *Oportet*, inquit Apostolus, *corruptibile hoc induere incorruptionem.* (1. *Cor.* 15. *v.* 53.) Atqui nisi corpora resurgentium eadem essent, quæ fuerunt in terris, jam non *corruptibile hoc*, sed aliud, indueret *incorruptionem*. Hinc Concilium Lateranense sub Innocentio III. sic definit: *Omnes mortales cum suis corporibus resurgent, quæ nunc gestant.* (*Tom.* 11. *Concil. pag.* 143.)

Præterea resurrectio Christi, ut jam exposuimus, nostræ quasi typus est & exemplar: atqui Christus è tumulo redivivus, idem numero corpus assumpsit quod vulneratum, crucifixum & in sepulcro positum fuerat, siquidem post suam resurrectionem vulnerum cicatrices exhibuit dubitanti Thomæ, qui discipulis Christum se vidisse testantibus dixerat: *Nisi videro in manibus ejus fixuram clavorum ... & mittam manum meam in latus ejus, non credam.* (*Joan.* 20. 25.) Ergo pariter unusquisque suum idemque numero corpus quod habuit in terris, recepturus est in resurrectione.

Dices: Idem corpus in partes tenuissimas dissipatum, sicque in multorum hominum corpora

transmissum, factum est plurimorum corpus, ac proindè in resurrectione non erit corpus Petri potiùs quàm Pauli, vel alterius cujuslibet; impossibile est igitur singulos homines cum eadem carne resurgere.

Resp. cum Augustino: *Ecce qualibus argumentis omnipotentiæ Dei humana contradicit infirmitas, quam possidet vanitas.* (*Lib.* 22. *de civit. Dei, cap.* 11.) *Absit autem ad resuscitanda corpora, vitæque reddenda, non possit omnipotentia Creatoris omnia renovare quæ vel bestia, vel ignis absumpsit, vel quod in pulverem cineremque collapsum, vel in humorem solutum, vel in auras est exhalatum.* (*Ibid. cap.* 20.)

Præterea in eo falluntur adversarii, quòd sibi signant post resurrectionem corpus non fore alicujus proprium idemque corpus, nisi eam omnem materiam retineat ex qua, dum viveret, conflatum erat; quasi verò corpus, mutatâ molis quantitate, desinat esse idem & proprium alicujus personæ corpus? Sit enim aliquis maximè corpulentus & crassissimus, deindè longo detineatur morbo qui sensim corporis molem atterat & absumat: numquid corpus illud sic imminutum, desinet esse ejusdem personæ proprium? Vice versâ, si cujus hominis corpus anteà gracile & macilentum, in maximam molem & obesitatem deindè excreverit, numquid idcircò idem propriumque ipsius corpus non erit? Spretis autem humanis ratiunculis, firmiter teneamus illud Augustini: *Non ideò* (de resurrectione) *inanis est fides nostra, si quemadmodùm futura sit perfectè comprehendere non valeamus.* (*Lib.* 20. *de civit. Dei, cap.* 20. *n.* 3. *tom.* 7. *pag.* 600.)

Quæres 2°. quænam futuræ sint corporum Beatorum dotes.

Resp. Quatuor numerari solent, videlicèt *impassibilitas, claritas, agilitas & subtilitas.* 1°. Quidem

corpus Beatorum erit *impassibile*, id est, nullam corruptionem & partium dissolutionem patietur, ac proindè omnis molestiæ, doloris & incommodi expers erit. *Absterget Deus omnem lacrymam ab oculis eorum, & mors ultrà non erit, neque clamor, neque dolor erit ultrà.* (*Apoc.* 21. 4.)

2°. Rediviva Sanctorum corpora splendidâ claritate fulgebunt : *Justi fulgebunt sicut sol in Regno Patris eorum.* (*Matth.* 13. 43.) *Seminatur in ignobilitate, surget in gloria.* (1. *Cor.* 15. 43. *Christus*) *reformabit corpus humilitatis nostræ, configuratum corpori claritatis suæ.* (*Philip.* 3. *v.* 21.)

3°. Summa erit corporibus Beatorum agilitas, adeò ut possint ad animæ nutum ab uno loco in alium remotissimum brevissimo temporis puncto transferre, sine labore & defatigatione. Hanc dotem exprimere videntur ista Sapientiæ verba : *Fulgebunt Justi, & tanquam scintillæ in arundineto discurrent.* (*Cap.* 3. 7.) id est, non minùs celeriter ab uno loco in alium transilient, quàm erratici illi ignes qui arundinetum transcurrunt. Hujus dotis exemplum patuit in corpore Christi, quod sæpiùs Discipulis suis subitò conspiciendum præbuit, maximè verò cùm è terris in cœlum sese extulit.

4°. Mira erit corporis beati subtilitas juxta illud Apostoli : *Seminatur corpus animale, surget corpus spirituale.* (1. *Cor.* 15. 44.) Scilicèt corpus in hac mortali vita animale est, siquidem eget, ut cetera animalia, cibo, potu, somno, & prætereà durum est, crassum, & impenetrabile ; post resurrectionem verò, spirituali plurimùm simile, à cibi, potûs, somni necessitate solutum erit & expeditum, tantæque tenuitatis, ut alia corpora possit trajicere & pervadere. Nonnulla hujus subtilitatis argumenta dedit Christus post suam resurrectionem, cùm, foribus clausis, præsens suis Apostolis subitò adfuit.

Articulus II.

De officio quo tenemur omnes actiones nostras ad Deum, tanquam finem ultimum, referre.

Not. 1°. in actu humano tria esse accuratè distinguenda, *objectum* nempè, *finem proximum* & *finem ultimum*.

Objectum sive *officium*, est ipsissima operis substantia, seu id quod faciendum est. *Finis* generatim illud est, cujus gratiâ seu propter quod aliquid fit.

Finis proximus ille dicitur quem operans ita intendit, ut in ipso non sistat, sed ulteriùs tendat.

Finis ultimus iste est ad quem agens suam actionem ita ultimò refert, ut in eo sistat & conquiescat. Sic in homine christiano qui, haustâ medicinâ, ita quærit sanitatem, ut ipsam quoque referat ad Dei laudem & gloriam, ipsemet medicinæ haustus est objectum sive substantia operis, sanitatis recuperatio est finis proximus, Deus autem finis ultimus. In eo qui eleemosynam erogans, ita alienæ miseriæ levamen sibi proponit, ut propriam gloriam quærat, erogatio pecuniæ est objectum sive officium operis ; levamen alienæ miseriæ, finis proximus ; proprius amor, finis ultimus.

Not. 2°. nullum sine fine ultimo esse posse actum humanum. In omni enim actu deliberato quidpiam nobis proponimus, aliquod bonum verum aut apparens prosequimur, in quo voluntas nostra conquiescit, & ultra quod non excurrit. In eo autem sita est ratio finis ultimi.

Not. 3°. finis ultimi intentionem nihil aliud esse quàm ejusdem propter seipsum amorem. Quid est enim quidpiam tanquam finem ultimum intendere, nisi illud ita prosequi, ut in ipso sistat voluntas, & ultrà non sese ferat ? Quod profectò nihil aliud est, quàm rem ipsam propter se amare.

Not. 4°. vel propter Deum, vel propter creaturam, tanquam finem ultimum agimus, cùm deliberatè operamur. Deum enim inter & creaturam nihil medii fingi potest; ergo quidquid propter Deum non agitur, in creatura, tanquam fine ultimo, hæreat necesse est.

Hinc S. Leo in animo rationali non alium agnoscit amorem, quàm Dei vel creaturæ: *Duo sunt amores*, inquit, *ex quibus omnes prodeunt voluntates ..... Rationalis enim animus, qui sine dilectione esse non potest, aut Dei amator est, aut mundi. In dilectione Dei nulla nimia, in dilectione mundi cuncta sunt noxia.* (*Serm. 5. de jejun. septimi mensis, cap. 3. tom. 1. Edit. Quesnel. pag. 357.*)

S. Augustinus caritatem accipiens pro quavis Dei propter se dilectione, & cupiditatem pro amore creaturæ sic habet: *Nemo volens aliquid facit, quod non in corde suo priùs dixerit; quod verbum amore concipitur, sive creaturæ, sive Creatoris*; (*Lib. 9. de Trinit. cap. 7. n. 12. & 13. tom. 8. pag. 884.*) ergo vel cupiditate, vel caritate. S. Fulgentius, *Voluntas*, inquit, ... *aut in infimo bono necesse est miserabiliter jaceat, aut in summo bono feliciter conquiescat.* (*Lib. 1. ad Monimum, cap. 18. Edit. jam laud. pag. 15.*)

Not. 5°. amorem Dei alium esse *habitualem*, sive per modum habitûs inhærentem animæ, & qui justos, Dei amicos, filios & hæredes nos efficit; alium *actualem* qui est actus mentis Deum diligentis. Præterea amor *actualis*, vel est super omnia, cùm scilicèt Deum impensiùs quàm omnes creaturas diligimus; vel non est super omnia, quo, v. g. aliquis aliundè suis cupiditatibus serviens, Deum tamen amat in paupere, cui propter Deum eleemosynam erogat. Porrò dicere requisitam esse caritatem *habitualem* ad faciendum opus ex omni parte bonum, portentum est hæreseos quod in Tractatu de Gratia profligamus. Nec etiam requiritur amor *actualis* Dei dominans,

sive super omnia; at sufficit amor Dei propter se, quamvis nondùm sit super omnia, qualis in peccatoribus per gratiam esse potest. Nimirùm totiès ad Deum tanquam finem ultimum actus dirigitur, quotiès agens Deum *virtualiter* saltem amat in actu, etiamsi in ceteris actionibus cupiditati serviat, & sæpè sæpiùs ex creaturarum amore agat. His observatis, sit

Propositio I.

Opera quæ non propter Deum, sed propter creaturam peraguntur, quoad substantiam sive officium, & finem proximum bona esse possunt.

Probatur. Nudum operire, periclitanti subvenire, ægri vulnera fovere, & in præstandis hujusmodi officiis, alienæ miseriæ levamen proximè intendere; pudicitiam conjugalem servare, quia fidei thori præscribitur; promissis stare, quia id jubet recta ratio; vineas plantare, domos ædificare, ut ex eo labore habeantur vestitus & alimenta: hæc, inquam, omnia totidem sunt opera quoad substantiam & finem proximum bona: atqui illa & alia similia fieri possunt, licèt qui ea operantur, non propter Deum, sed propter seipsos, tanquam finem ultimum, agant; ergo, &c.

Propositio II.

Homo tenetur omnes & singulas actiones deliberatas ad Deum, tanquam finem ultimum, referre ex dilectione Dei saltem inchoatâ.

Arg. I. *Ex mandato omnium maximo.*

Sic jubet Deus: *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & ex tota anima tua, & ex totâ fortitudine tua.* (*Deut. 6. 5.*) Idem illud præceptum

commendat Christus tanquam *maximum & primum mandatum* : (*Matth.* 22. 38.) atqui præceptum illud impleri non potest, quin omnia nostra ad Deum, tanquam finem ultimum, ex aliqua dilectione referamus, ut patet & SS. Patres exponunt.

Cùm autem ait ex toto corde, ex tota anima, inquit Augustinus, *nullam vitæ nostræ partem reliquit, quæ vacare debeat & quasi locum dare ut aliâ re frui velit; sed quidquid aliud diligendum venerit in animam, illuc rapiatur quò totus dilectionis impetus currit ..... quisquis ergo se & proximum rectè diligit, totam dilectionem sui & illius refert in illam dilectionem Dei, quæ nullum à se rivulum duci extrà patitur, cujus derivatione minuatur.* (*Lib. de Doctrina Christiana, cap.* 22. *tom.* 3. *part.* 1. *pag.* 11.)

Sub præcepto caritatis continetur, ait S. Thomas, *ut diligatur Deus ex toto corde, ad quod pertinet ut omnia referantur in Deum; .... & ideò præceptum caritatis implere homo non potest; nisi etiam omnia referantur in Deum.* (1. 2. *quæst.* 100. *art.* 10. *ad* 2.)

Non aliter maximum illud mandatum interpretatur Bossuet: *Le Langage humain étant trop foible pour expliquer l'obligation d'aimer Dieu, le S. Esprit a ramassé tout ce qu'il y a de plus fort pour nous faire entendre qu'il ne reste plus rien à l'homme qu'il puisse se réserver pour lui-même; mais que tout ce qu'il a d'amour & de forces pour aimer, se doit réunir en Dieu* ..... Tu aimeras le Seigneur ton Dieu, ... *uniquement, comme il est unique, ... en consacrant à ce premier Etre, principe & moteur de toute la nature, l'amour qui est le principe & le moteur en toi-même de toutes tes affections .... Tu peux bien changer tes autres emplois, mais celui d'aimer Dieu & de lui plaire est le soin perpétuel de ta vie.* (*Meditat. sur les Evang. tom.* 9. *pag.* 154 *& suiv.*)

Eodem divinæ legis præcepto teneri hominem

omnes suos actus ad Deum referre, expressè etiam declaratur *in corpore doctrinæ*, cui anno 1720 centum Gallicani Episcopi subscripserunt: *L'obligation de rapporter à Dieu toutes ses actions, renfermée dans le premier précepte, fait partie du culte que nous devons au Souverain Etre, & de la gloire que nous sommes obligés de lui rendre. La doctrine qui établit cette obligation a de trop grands fondemens dans l'Ecriture & dans la Tradition, pour souffrir que des Auteurs téméraires osent la combattre.* (*art.* 4. *edit. in-*4°. *pag.* 38. & 39.)

ARG. II. *Ex Apostolo.*

1°. *Omnia vestra*, inquit, *in caritate fiant*: (1. *Cor.* 16. 14.) quibus in verbis non merum consilium, sed verum præceptum agnoscit Augustinus: *Præcipit Apostolus dicens*: Omnia vestra in caritate fiant: (*Lib. de corrept. & grat. cap.* 3. *tom.* 10. *pag.* 752.) atqui sententia tam universalis nullam excipit actionem, quæ ex amore Dei, seu propter Deum, tanquam finem ultimum, fieri non debeat. Hunc locum exponens Angelicus Doctor, *Omnia*, inquit, *referri debent ad finem caritatis, ut scilicèt fiant propter Deum.* (*Lect.* 3.) 2°. *Sive manducatis, sive bibitis, sive aliud quid facitis, omnia in gloriam Dei facite.* (1. *Cor.* 10. 31.) *Omne quodcumque facitis in verbo aut in opere, omnia in nomine Domini nostri Jesu Christi:* (*Coloss.* 3. 17.) atqui verba tam generalia nullam excludunt actionem, quæ propter gloriam Dei & in nomine Domini nostri Jesu Christi non facienda sit. Quis autem dixerit opus aliquod propter Dei gloriam fieri, nisi ad Deum, tanquam finem ultimum, ex dilectione saltem inchoatâ referatur?

Respondent nonnulli id quidem suaderi ab Apostolo, ut quid optimum, non verò præcipi; sed vanum est illud effugium. Apostolus enim

utitur verbo imperativo *facite*, nihilque adjicit quo significet à se merum dari consilium. Præterea verbis apostolicis verum præceptum exprimi docent SS. Patres.

S. Basilius: *Christianus omni actione tùm parvâ, tùm magnâ ad Dei voluntatem directâ, ... perficit præceptum illud:* sive manducatis, sive bibitis, &c. (*Tom. 2. pag. 343. edit. Bened.*)

S. Bernardus: *Quidquid facimus, jubemur facere propter gloriam Dei.* (*Serm. 2. de diversis, n. 5.*)

S. Thomas: *Quidam dicunt quod hoc apostolicum est consilium; sed hoc non est verum.* (*Lect. 3. in cap. 3. ad Coloss. sub finem.*)

ARG. III. *Ex SS. Augustino & Thoma.*

S. Augustinus: *Ea sola bona opera dicenda sunt quæ fiunt per dilectionem Dei.* (*in Psal. 67. n. 41. tom. 4. pag. 686.*) *Nec enim fructus est bonus, qui de caritatis radice non surgit.* (*Lib. de Spiritu & littera. Cap. 14. n. 26. tom. 10. pag. 100.*) *Omnia præcepta dilectionis, id est, caritatis, tanta ac talia sunt, ut quidquid se putaverit homo facere benè, si sint sine caritate, nullo modo fiat benè.* (*Lib. de grat. & lib. arbit. cap. 18. n. 37. pag. 737. tom. 10.*)

Quid boni faceremus, nisi diligeremus? aut quomodo bonum non facimus, si diligamus? Etsi enim Dei mandatum videtur aliquandò à non diligentibus, sed à timentibus fieri, tamen ubi non est dilectio, nullum bonum opus imputatur, nec rectè bonum opus vocatur. (*Lib. de gratia Christi. Cap. 26. n. 27.*)

S. Thomas: *Sine caritate potest quidem esse aliquis actus bonus ex suo genere* (sive quoad substantiam) *non tamen perfectè bonus, quia deest debita ordinatio ad ultimum finem.* (*2. 2. quæst. 23. art. 7. ad 1.*)

Ex iis & aliis innumeris testimoniis quæ prætermittere jubet brevitas, sponte manat istud

argumentum: propter Deum, tanquam finem ultimum, semper agere debemus ex amore saltem inchoato, si absque divina dilectione sive caritate nullum sit opus bonum, & *desit debita ordinatio ad ultimum finem*: atqui ex SS. Augustino & Thoma, absque divinâ dilectione, &c. ergo, &c.

Tanquam autoritatem ut declinent quidam adversarii, comminiscuntur in prolatis Augustini locis agi de caritate *habituali*. Quid verò id aliud est, quàm S. Doctori gravissimum errorem affingere? positâ enim hâc interpretatione, docuisset nullum esse fructum bonum, qui *de caritatis* habitualis *radice non surgat*; sine caritate *habituali* opus *nullo modo fieri benè*: sine caritate *habituali nullum bonum opus imputari, nec rectè bonum opus vocari*. Quis verò nesciat doctrinam hanc non semel fuisse ab Ecclesia anathemate percussam?

Alii verò inter quos Honoratus *Tournely*, contendunt his in locis *caritatis* nomen, non proprio, sed latissimo quodam sensu accipi ab Augustino, pro quâvis scilicèt honestâ mentis affectione; sed immeritò prorsùs. Eam quippè caritatem commendat, quâ Deus propter se diligitur, illoque æternùm frui desideramus. Quid enim eâ voce intelligat & intelligi velit, sic apertè declarat: *Caritatem voco motum animi ad fruendum Deo propter ipsum, se verò & proximo propter Deum.* (*Lib. 3. de Doctrina Christiana. Cap. 5. n. 8.*)

ARG. IV. *Ex Censuris apologiæ Casuistarum.*

Adeò certa & inconcussa est quam defendimus doctrina, ut eam infirmare ausus Casuistarum defensor (*Pater Pirot Jesuita*) Episcoporum censuras effugere non potuerit. In sua pro Casuistis apologiæ (*pag. 165.*) dixerat: *Si les adversaires des Casuistes n'ont à nous débiter que les erreurs de ceux qui tiennent pour maximes, que les Chrétiens doivent en toutes leurs actions aimer Dieu, & qu'il n'y a*

point d'action vertueuse, si elle n'est commandée par la charité, nous n'aprouvons point ces erreurs. Arrogantiam hanc ferre non potuit Clerus Gallicanus.

Archiepiscopus Senonensis (*de Gondrin*) in censurâ latâ die 3 Septembris an. 1658, & in Synodo provinciali an. 1660. renovatâ & confirmatâ, sic pronuntiat: *Hæc propositio, quatenus erroris accusat sanctissimam doctrinam, quâ Christianis omnibus præceptum asseritur ut omnes actus suos ad Dei honorem* (actu scilicèt vel virtute) *referant, temeraria & falsa est, Patribus, S. Thomæ & clarissimis Theologiæ Doctoribus injuriosa, qui in his Pauli verbis*: Omnia vestra in caritate fiant, & *in illis item*: sive manducatis, sive bibitis, sive aliud quid facitis, omnia in gloriam Dei facite, *verum præceptum semper agnoverunt, quod violari sine aliquo peccato vel mortali, vel veniali non possit.*

De prædicta propositione simile judicium tulerunt illustrissimi Præsides *de Bufanval* Bellovacensis (*de Beauvais*) in censura 12 Novembris 1658; *de Vantadour* Bituricensis (*de Bourges*) in censura 6. Februarii 1659: Ebroicensis (*d'Evreux*) in censura 15 Januarii ejusdem anni; *de Forbin de Janson*, tunc Dinensis, postea Bellovacensis Episcopus & Cardinalis in censura 6 Maii ejusdem anni, cujus insignia sunt hæc verba: *Vous trouverez dans l'Ecriture sainte .... que comme la vérité nous oblige de reconnoître Dieu comme le premier principe de toutes choses, la charité nous oblige de rapporter toutes choses à Dieu, comme à la derniere fin, ou par un mouvement actuel, ou par une impression virtuelle qui naisse de son amour, & que l'on n'y peut manquer sans quelque désordre, & par conséquent sans quelque sorte de péché.* Eamdem doctrinam vindicârunt alii multi Præsules.

ARG. V. *Ex approbatione à Summo Pontificè Innocentio XI, datâ Sacræ Facultatem Lovaniensis doctrinæ.*

Lovanienses Theologi, cùm sexaginta quinque propositiones solutioris disciplinæ moralis Innocentio XI an. 1677 denuntiassent, suæ etiam doctrinæ articulos eidem simul per suos Legatos obtulerunt expendendos. Ita verè se habet quintus: *Omne opus, ut plenè sit bonum, & ne venialiter quidem in eo delinquatur, debet ex tali caritate* (pro quolibet amore Dei propter se acceptâ) *procedere, & per ipsam referri in Dominum Deum: nec enim*, teste Augustino, *fructus est bonus qui de caritatis radice non surgit.* Quid autem evenit? sexaginta quinque propositiones ab ea Facultate denuntiatas damnavit Summus Pontifex: articuli verò Lovanienses nullam experti sunt censuram, & intacti remanserunt.

ARG. VI. *Ex Rationibus Theologicis.*

1°. Fatentur adversarii omnes actiones nostras ad Deum, tanquam finem ultimum, esse referendas: atqui id fieri non potest sine aliqua Dei propter se dilectione. Quid enim est quidpiam tanquam finem ultimum intendere, nisi illud ita prosequi, ut in ipso sistat voluntas & ultrà non excurrat? quod profectò nihil aliud est, quàm rem ipsam propter se diligere.

2°. A Deo creante & conservante habemus quidquid vitæ, quidquid facultatis, quidquid boni & perfectionis nobis inest. Atrocissimum igitur ingrati animi vitium effugere non possumus, nisi totam vitam nostram, singulas illius partes, & proindè actum omnem deliberatum amori & obsequio Dei semper devoveamus. Hinc S. Augustinus de primo & maximo Dei mandato differens,

Hæc regula dilectionis, inquit, *divinitùs constituta est, ut omnes cogitationes tuas, & omnem vitam tuam, & omnem intellectum tuum in illum conferas, à quo habes ea ipsa quæ confers.* (*Lib.* 1. *de Doctrina Christ. cap.* 22. *tom.* 3. *part.* 1. *pag.* 11.)

3°. Quisquis immensum redemptionis nostræ beneficium grato animo recogitaverit, & quo pretio Christus à servitute nos liberavit, is profectò nunquam dubitabit quin omnes actus nostros ad Deum tanquam finem ultimum, ex dilectione saltem inchoata referre teneamur. Tantâ Christi caritate perculsus, non poterit non exclamare: *Super omnia amabilem te mihi reddit, ô bone Jesu, ignominiosissima & amara mors, quam sustinuisti, opus nostræ redemptionis. Hoc solum omninò totam vitam nostram, totum laborem nostrum, totum obsequium nostrum, amorem denique nostrum facilè sibi vindicat totum.* (*Lib. de diligendo Deo, apud Augustinum in Append. tom.* 6. *pag.* 82.)

Et verò nos sibi totos, velut servos emptitios, Redemptor acquisivit juxta illud Apostoli: *Non estis vestri: empti enim estis pretio magno:* (1. *Cor.* 6. *v.* 19 & 20.) atqui servus, modico licèt pretio comparatus, non sibi, sed domino suo tenetur operari: quantò magis igitur nos tanto pretio empti, non ipsis nobis, sed Domino & Redemptori nostro, debemus quidquid agimus consecrare! Totam vitam nostram & non aliquam duntaxat ejus partem redemit, & suo sanguine acquisivit; ergo totam vitam nostram, & non quædam tantùm illius momenta, in gloriam ejus & amorem impendere debemus. Hinc Apostolus, nullo tempore, nulloque opere excepto, generatim sic pronuntiat: *Pro omnibus mortuus est Christus, ut qui vivunt, jam non sibi vivant, sed ei qui pro ipsis mortuus est.* (2. *Cor.* 5. 15.)

Observatio.

In eo quidem consentiunt Theologi, quòd peccetur quoties actus deliberatus ad Deum, tanquam finem ultimum, non refertur; sed alii peccatum in agente, alii verò in actione ipsa residere existimant. Hujusmodi autem controversia in verbis, potiùs quàm in ipsa re, sita est. Sive enim agentem, sive actum prædictæ relationis defectu vitiari dixeris, nihil interest. Nihilominùs enim utrinque certum est, sine peccato fieri non posse, ut opus deliberatum ad Deum, tanquam finem ultimum, non referatur. Modò hæc veritas in tuto sit, de illa quæstione nominis nihil aut parùm laboramus. Utrumque loquendi modum indiscriminatim adhibent SS. Patres. Ex. g. sic habet Augustinus: *Cùm itaque facit homo aliquid ubi peccare non videtur, si non propter hoc facit propter quod facere debet, peccare convincitur.* (*Lib.* 4. *contra Julian. cap.* 3. *n.* 21.) Ibi homo ipse peccare dicitur, quando suam actionem ad finem debitum non refert. Ibidem verò actionem ipsam peccatum esse docet: *Quidquid boni fit ab homine, & non propter hoc fit, propter quod fieri debere vera sapientia præcipit, etsi officio videatur bonum, ipso non recto fine peccatum est.* (*ibid.*)

Solvuntur objecta.

Obj. 1°. Ex vulgari axiomate, *præceptum affirmativum non obligat semper & pro semper*: atqui præceptum jubens propter Deum, tanquam finem ultimum, agere, est *affirmativum*; ergo, &c.

Resp. Dist. maj. Præceptum *affirmativum* quod omnia vitæ tempora, omnesque actus nostros non complectitur, *non obligat semper & pro semper*, conc. maj. præceptum *affirmativum* quod omnia vitæ tempora, omnesque actus nostros complectitur, *non obligat semper & pro semper*, neg. maj.

Objectum axioma non spectat nisi præcepta *affirmativa* quæ nec omnia vitæ tempora, nec omnes

hominis facultates, nec omnem illarum usum comprehendunt; qualia sunt parentes honorandi, & pauperes sublevandi præcepta: neque enim semper & quolibet tempore tenemur hujusmodi actus exercere; sed tantùm ubi sese dederit occasio: at præceptum diligendi Deum ex toto corde, ex tota mente, ex tota anima, ex totis viribus, ex quo nascitur lex actiones nostras ad Deum, tanquam finem ultimum, referendi, illud, inquam, præceptum & totum hominem & omnes ejus actiones complectitur, ita ut nullam vitæ nostræ partem excipiat, quæ illa dilectione vacare citra culpam possit, ut suprà expositum fuit.

Inst. Homini impossibile est omnes actus suos ad Deum referre; ergo præceptum de quo agitur ad omnes actiones nostras non pertinet.

Resp. Dist. ant. Homini impossibile est singulos actus suos ad Deum referre intentione *actuali* & *expressâ*, conc. aut intentione *virtuali*, neg. ant.

Ille agit propter finem intentione *actuali & expressâ*, qui attendit & recogitat finem quem sibi proposuit. Is autem *virtualiter* agit propter finem, qui virtute intentionis priùs conceptæ, in suoque animo etiamnùm moraliter perseverantis, aliquid operatur propter finem sibi propositum. Impossibile quidem est omnes & singulas actiones nostras ad Deum dirigere intentione & cogitatione *actuali*. mentem enim humanam in Deum continuò intentam esse, non sinunt variæ quibus distrahimur curæ, naturæque infirmitas & inconstantia.

Sed possumus omnes actus nostros ad Deum referre intentione saltem *virtuali*. Ad illud enim præstandum satis est, ut agamus ex consilio in omnibus Deo placendi, quod priùs in animo conceptum, deindè revocatum non fuerit: atqui hoc modo propter Deum semper agere possumus. Nonne ex amore beatitudinis semper agimus, quamvis de ea sæpè non cogitemus! Nonne mercator lucri cupidus illud in omni emptione & venditione intendit, licèt de lucro semper non cogitet? Nonne viator patriæ amans, ad illius desiderium suos omnes gressus refert, quamvis aliis cogitationibus interdùm distrahatur? Quàm multa filius benè natus quotidiè facit ex amore parentum, quæ tamen faciendo de parentibus *actu* non cogitat.

Ne autem propositum Deo in omnibus placendi, vi cujus propter Deum verè agimus, sensim debilitetur & elangueat, illud excusitemus necesse est, actiones nostras ad Deum *actuali* intentione frequenter referendo, eumque in operis suscepti decursu piâ cordis affectione invocando.

Objic. 2°. Actiones ex se bonæ, honestæ & rectæ rationi consentientes, bonitate sibi propriâ, quasi quodam pondere, ad Deum diriguntur; ergo minimè necesse est ut agens ad Deum hujusmodi actiones referat ex intentione sive dilectione etiam *virtuali*.

Resp. Neg. maj. Possunt quidem prædictæ actiones ad Deum referri, ut pote bonæ & honestæ; minimè verò referuntur ex se & bonitate propriâ. Vera enim ad Deum relatio nec esse nec concipi potest, sine aliquâ voluntate, sine aliquâ intentione quâ tendimus ad Deum: atqui nemo sanus dixerit actionibus, quamtumvis bonis & rectæ rationi consentaneis, inesse aliquam voluntatem aut intentionem; hæc non operis, sed operantis propria sunt, qui cùm sine intentione & amore esse nequeat, vel ad Deum, vel ad creaturam, tanquam finem ultimum, suam refert actionem. Si primum, rectè agit; si secundum, bonæ quidem in se sunt actiones, sed ipse bonus non est, cùm in creatura, non in Deo sistat & conquiescat.

Obj. 3°. Ex doctrina nostra sequeretur peccatum esse pauperum indigentiam ex misericordiæ affectu sublevare, nisi actus ille ad Deum, tanquam finem ultimum, referatur: quod profectò durissimum est.

Resp. hujusmodi actum in seipso quidem bonum esse, & ratione tùm objecti, sive officii, tùm finis proximi; at vitiosum ratione finis ultimi. Si enim ad Deum ultimò non referatur, in creatura hæreat necesse est; nihil enim datur medii: atqui vitiosum est quidquid in creatura, tanquam fine ultimo, sistit.

1°. Enim *quidquid se putaverit homo facere benè*, inquit Augustinus, *si fiat sine caritate, nullo modo fit benè.* (*Lib. de grat. & lib. arbit. cap.* 18. *n.* 37. *tom.* 10. *pag.* 737.) Atqui sine caritate fit quidquid propter creaturam, tanquam finem ultimum agitur; ergo, &c.

2°. *Qui non facit opera bona, intentione fidei bonæ, hoc est, ejus quæ per dilectionem operatur, totum quasi corpus quod illis, veluti membris, operibus constat, tenebrosum est, hoc est, plenum nigredine peccatorum:* (*Lib. 4. contra Julian. cap.* 3. *n.* 33. *ibid. p.* 602.) atqui ubi agens finem suum ultimum in creatura constituit, tunc profectò *non facit opera bona, intentione fidei bonæ quæ per dilectionem operatur*; ergo totum quasi corpus, quod ex illis operibus coalescit, peccatorum nigredine inficitur.

3°. *Cùm itaque facit homo aliquid ubi peccare non videtur, si non propter hoc facit, propter quod facere debet, peccare convincitur:* (*Ibid. n.* 21. *pag.* 596.) atqui ubi homo inter operandum, in creatura, tanquam fine ultimo, conquiescit, certè *non propter hoc facit, propter quod facere debet*; ergo, *peccare convincitur.*

4°. Tandem Juliano sic objicienti: *Si gentilis nudum operuerit, numquid quia non est ex fide, peccatum est?* Ita respondet S. Doctor: *Non quia per seipsum factum quod est nudum operire, peccatum est; sed de tali opere non in Domino gloriari, solus impius negat esse peccatum:* (*Ibid. n.* 30. *pag.* 600.) atqui de opere in Domino non gloriatur quisquis illud, non ad Dei gloriam, sed ad creaturam, tanquam finem ultimum, refert; ergo non potest à peccato excusari.

Objic. 4°. Spes christiana fertur ad Deum, tanquam finem ultimum, & tamen non fertur ad Deum propter se dilectum; ergo aliud est tendere ad Deum tanquam finem ultimum, & aliud tendere ad Deum propter se, sive amore caritatis delictum.

Resp. Neg. ant. Tunc enim voluntas fertur ad Deum tanquam finem ultimum, cùm in eo sistit: atqui voluntas non potest in Deo sistere, quin illum propter se diligat. Si enim Deum propter aliud diligeret, tunc non in Deo, sed in alia re, nempè in creatura, ultimò conquiesceret; siquidem Deum inter & creaturam nihil est medii; ergo spes christiana non potest fieri in Deum ut finem ultimum, quin tendat ad Deum propter se dilectum.

Inst. Spes christiana non fertur in Deum, nisi prout nobis bonus est, non verò quatenùs in se bonus & perfectus; ergo non tendit ad Deum propter se dilectum.

Resp. Neg. ant. Si enim spes christiana non tenderet ad Deum, nisi prout nobis bonus est, jam desineret esse virtus christiana, quia in ea Deus *medii* tantùm, homo autem finis ultimi rationem haberet. Qui enim in Deo non quærit nisi suum commodum, certè utitur Deo tanquam *medio* duntaxat, & seipsum constituit finem ultimum: atqui per actum spei qui non tenderet ad Deum, nisi prout nobis bonus est ac utilis, homo proprium tantummodò commodum prosequeretur, ut satis patet; ergo spem christianam deprimit, è virtutumque theologicarum numero eximit, quisquis fingit eam non ferri in Deum, nisi prout nobis bonus est, non verò quatenùs est in se summè perfectus.

Objic. 5°. Si teneremur omnes actiones nostras referre ad Deum ex caritate, sive propter

se dilectum, peccaret quisquis intuitu mercedis æternæ ageret : atqui contrarium sic definitum est à Concilio Tridentino : *Si quis dixerit justificatum peccare, dum intuitu mercedis æternæ benè operatur, anathema sit.* (*Sess. 6. de justificat. can.* 31.) Ergo non tenemus, &c.

Resp. Neg. maj. Cùm enim merces æterna sit ipse Deus, juxta illud Genesis : *Ergo merces tua magna nimis*, (*cap.* 15. *v.* 1.) agere propter mercedem æternam, nihil aliud est quàm agere propter Deum, tanquam finem ultimum ; ergo non sine caritate, sive dilectione Dei propter se agit qui inter operandum mercedem æternam sibi proponit, & Deum tanquam summum bonum summamque nostram beatitudinem expetit. Hinc S. Augustinus caritatem sic definit : *Caritatem voco animi motum ad fruendum Deo propter ipsum.* (*Lib.* 3. *de Doctr. Christ. cap.* 10. *n.* 16. *tom.* 3. *part.* 2. *pag.* 50.) Idem passim docet S. Thomas : *Deus*, inquit, *in quantum est bonum beatificans .., supernaturali beatitudine, sic diligitur dilectione caritatis.* (1. *part. q.* 60. *art.* 5. *ad* 4.) *Caritas habet pro objecto finem ultimum vitæ, scilicèt beatitudinem æternam.* (2. 2. *q.* 23. *art.* 4. *ad* 2.)

Et verò nemo nescit ita comparatum esse cor humanum, ut quò impensiùs aliquid amat, eò vehementiùs ejus possessionem expetat, ipsoque frui velit. Quis igitur in animum sibi inducat Dei possidendi desiderium à caritate esse alienum ? Qui de caritate ita sentiret, ipsi injuriosus esset. Ex eo quòd ergo teneamur omnes actiones nostras referre ad Deum, tanquam finem ultimum, sive propter se dilectum, perperàm concluderetur peccare eum qui intuitu mercedis æternæ operatur.

Obj. 6°. Quæ acervatim congessimus Patrum testimonia id unum probant, nempè vitiosum esse *quod fit positivè contra caritatem, non verò quo fit sine caritate ;* ergo ex iis concludi non potest hominem teneri omnes suas actiones ad

Deum referre ex amore Dei propter se, sive ex caritate.

Resp. adversarios victricia contra se ipsos arma subministrare. Fatentur enim hanc esse Patrum sententiam, ut vitiosum sit quidquid fit contra caritatem : atqui contra caritatem fit quidquid agitur sine dilectione Dei propter se ; tunc quippe voluntas hæret in creatura propter se dilecta : id verò quid aliud est quàm cupiditas caritatisin imica ? *Tunc enim cupiditas*, inquit Augustinus, *cùm propter se amatur creatura.* (*Lib.* 9. *de Trinit. cap.* 8. *n.* 13. *tom.* 8. *pag.* 844.)

Præterea passim testantur SS. Patres & maximè Augustinus, ut suprà exposuimus, *non fructum esse bonum, qui de caritatis radice non surgit ; caritatem solam benè operari ; caritatem solam non peccare.* Quisnam autem est hujusmodi sententiæ sensus obvius ac genuinus, nisi vitiosum esse quidquid fit sine aliquo caritatis motu ?

Obj. 7°. Etiamsi concederetur nullum esse actum ex omni parte bonum absque dilectione Dei saltem inchoatâ, perperàm tamen asseritur nihil esse boni operis, nisi quod ex caritatis radice surgit, quia caritatis nomen pro sola caritate *habituali* vulgò sumitur.

Resp. plurimi quidem Scholastici *caritatis* nomen strictiori eo sensu plerùmque accipiunt : at Scriptores sacri, sanctique Patres illud generaliori sensu adhibere consueverunt, pro quâvis scilicèt Dei propter se dilectione, sive *actuali*, sive *habituali*, sive nascente & inchoatâ, sive adultâ & robustâ, sive dominante, sive non, ut patet ex plerisque locis supra descriptis. Hæc, v. g. Augustini verba : *Caritas sola benè operatur*, de caritate *habituali* intelligi non possunt, quia S. Doctori affingatur error gravissimus. Inde enim sequeretur à peccatoribus ante justificationem nihil ex omni parte boni Deoque grati fieri posse ; quod à Concilio Tridentino damnatum fuit : *Si*

quis dixerit omnia opera quæ ante justificationem fiunt, ... vera esse peccata, ... anathema sit (Sess. 6. de justific. can. 7.) Quemadmodum enim justi ex cupiditate, quæ nunquam in hac vita penitùs extinguitur, interdùm venialiter peccant; ita & peccatores ex inchoata caritate aliquid boni operari possunt.

Eodem generali sensu nomen caritatis usurpat Apostolus, cùm ait sine caritate *nihil prodesse*: (1. *Cor.* 13.) id enim de sola caritate *habituali* quæ justis tantùm propria est, absque errore intelligi non posse rectè observat Estius in hunc locum. Denique responsum nostrum confirmant centum Galliæ Episcopi in suo *doctrinæ corpore*, an. 1720, ubi sic habent: *Le terme de* charité *peut être pris en deux sens differens; 1°. pour tout amour de Dieu actuel ou habituel, naissant ou dominant; amour qui justifie, ou amour qui ne suffit pas pour justifier; amour propre aux justes ou tel qu'il peut se trouver dans les pécheurs, en un mot pour tout amour du vrai bien, pour toute bonne volonté. La* charité *est prise en ce sens en divers endroits de l'Ecriture, des Saints Peres & de quelques Théologiens. 2°. Le terme de* charité *est pris ordinairement par S. Thomas, même dans une signification plus restreinte, pour la troisieme vertu Théologale, pour l'amour habituel de Dieu, pour l'amour qui est propre aux justes, qui nous unit à Dieu, & qui nous rend les membres vivans de J. C.* (*Art.* 4. *pag.* 36.)

Obj. 8°. doctrinam nostram à Pio V & Gregorio XIII damnatam fuisse in Bulla, quæ edita fuit adversùs propositiones Baio attributas. Sic enim habet decima sexta: *Non est vera legis obedientia sine caritate.* Et trigesima octava his verbis enuntiatur: *Omnis amor creaturæ rationalis aut vitiosa est cupiditas quâ mundus diligitur, ... aut laudabilis illa caritas, quâ per Spiritum Sanctum in corde diffusâ Deus amatur.*

Resp. 1°.

Resp. 1°. Plerique sentiunt istas propositiones non fuisse damnatas, nisi in sensu caritatis & cupiditatis *habitualis*, quasi inter utramque nullus sit amor medius, & peccatum sit quidquid operis ex caritate *habituali* vel dominante non prodierit: quem sensum hæreticum apertè jam rejecimus, teste Laurentio *Berti*, in Augustiano systemate vindicato. (*Part.* 1. *dissert.* 1. *cap.* 1. *Sect.* 2. *& seq.*) Pii V. Bullam ita interpretati sunt *Vasquez*, *Suarez*, *Contenson*, *Noris*, 40 Galliarum Episcopi, (*Instruction pastor. de* 1714.) centum ejusdem Regni Præsules (*Corps de Doctrine* 1720, *art.* 4.), & alii.

Resp. 2°. Suspicantur nonnulli easdem propositiones ideò fuisse damnatas, quòd innuere visæ sint, omnia opera quæ ex amore Dei ortum non habent, mala esse non solùm quia in Deum non referuntur, sed etiam in seipsis, ita ut nequidem ex officio bona esse queant. Hunc etiam sensum à mente nostra esse alienissimum testati sumus.

Resp. 3°. eò non spectare prædictam censuram, ut velit aliquid esse operis undequaque boni, quod sine ullo caritatis, sive amoris Dei propter se factum non fuerit. Hanc enim quam defendimus doctrinam maximo in pretio semper habitam fuisse, à summisque Pontificibus contra illius obtrectatores non semel apertè vindicatam, plurima demonstrant facta. Unum aut alterum referemus. 1°. Quidem judicium quo Lovanienses articuli suprà memorati, à Rom. Pontificibus, post maturam disquisitionem, declarati sunt innoxii. 2°. Cùm Henricus *Norisius* à quibusdam malevolis *Baianismi* insimularetur, eoque nomine ejus scripta in librorum prohibitorum indice ab hispano Inquisitore reposita fuissent, injuriam tanto viro illatam ferre non potuit Benedictus XIV, eamque jussit resarciendam. Idem ille doctissimus & sapientissimus Pontifex Laurentium *Berti*, eamdem ob causam *Baianismi* & *Jansenismi* vehementer accu-

ſatum, ab omni erroris ſuſpicione immunem declaravit, & adversùs ejus obtrectatores in apertam Sedis Apoſtolicæ tutelam recepit. 3°. Denique noſtram hanc doctrinam Romæ totâque in Italiâ palàm & liberrimè defendi, probant Theſes plurimæ quæ ſingulis ferè annis in lucem prodeunt: quod profectò non toleraretur, ſi Bullâ Pii V. damnata fuiſſet, vel etiam pro ſuſpecta haberetur.

COROLLARIA.

Ex iis quæ huc uſque diximus multa fluunt conſectaria, quæ ad vitam chriſtianam pertinent.

Colliges 1°. nusquam licitum eſſe propter ſolam delectationem agere. Cùm enim omnia propter Dei gloriam facere jubeat Apoſtolus, violati hujus præcepti reus eſt, qui in iis quæ agit ſolam voluptatem ſectatur. Hinc docet Auguſtinus in ipſis etiam actionibus quæ ad vitam conſervandam ſunt neceſſariæ, & quibus aliquem delectationis ſenſum Deus illigavit, maximè cavendum eſſe ne delectationem hanc ultimò quæramus. Alimenta & potum non ſummat Chriſtianus, ut voluptati indulgeat, *ſed ad vitæ hujus atque officiorum neceſſitatem, quantùm ſatis eſt, uſurpet utentis modeſtiâ, non amantis affectu.* (*Auguſtin. lib.* 1. *de morib. Eccleſ. cap.* 21. *n.* 39. *tom.* 1. *pag.* 702.)

Colliges 2°. eos qui opera quoad ſubſtantiam & finem proximum bona faciunt, quæ non ad Deum, ſed ad ſeipſos ultimò referunt, non quidem in eo peccare, quòd opus ex ſe bonum fecerint; ſed eam ob cauſam reprehenſione dignos eſſe, quòd propter Deum, tanquam finem ultimum, ex amore ſaltem *virtuali* non operati fuerint: *Non quòd ipſum factum, quod eſt operire nudum, ſit peccatum; ſed de tali opere non in Domino gloriari, ſolus impius*, teſte Auguſtino, *negat eſſe peccatum.*

Colliges proindè 3°. præcepti violatores habendos eſſe, qui ſcientiis operam dantes, de referendis ad Deum hujuſmodi ſtudiis nihil ſunt ſolliciti. Ex ſe quidem laudabilis eſt labor, qui in iis addiſcendis conſumitur, quæ ratione ſui bona ſunt & utilia, quales ſunt Philoſophia, Theologia, &c. Sed peccat quiſquis hæc ſtudia eo fine ſuſcipit, ut animum inani curioſitate paſcat, ut famam aliorumque exiſtimationem ſibi conciliet, ut præ ceteris eruditione emineat: tunc enim mentem vitiant *libido ſciendi*, *libido excellendi*, quæ totidem ſunt pravæ concupiſcentiæ velut rami. Ad culpam igitur effugiendam, non ſatis eſt ut ab eorum librorum lectione abſtineatur, quæ animæ per ſe noceant, quales ſunt libri *Romanenſes* & amatorii; ſed præterea neceſſe eſt ut in iis quæ ex ſe bona ſunt addiſcendis, legitimum finem nobis proponamus; ut ſcilicèt Deo placeamus, ut ritè obeundis muneris noſtri functionibus ſimus paratiores, ut Religioni & Reipublicæ utiles nos præbeamus. Cùm autem libido ſciendi & excellendi, omnibus ſtudiis furtim ſeſe immiſcere ſoleat, ſummoperè curare debent qui ſcientias colunt, ne funeſta hæc peſtis in ipſorum animos irrepat.

Colliges 4°. illicitum & vetitum eſſe quidquid ad Deum referri non poteſt. Hujuſmodi ſunt corporis ac formæ cultus, ornatus à modeſtia alienus, colloquia periculoſa, ſpectaculorum & comœdiarum frequentatio. Quis enim unquam eò dementiæ venit, ut in animum ſibi induceret ejuſmodi actionibus poſſe honorari Deum?

PARS II.

De actuum humanorum proprietatibus.

ACTUUM humanorum proprietates sunt bonitas vel malitia moralis, meritum vel *demeritum*: de quibus nunc agendum superest.

DISSERTATIO I.

De actuum humanorum bonitate & malitia morali.

ACTUUM humanorum bonitas moralis generatim est eorum cum recta ratione consensio. *Rectum factum nullo modo esse potest*, inquit Augustinus, *quod non à recta ratione proficiscitur. (Lib. de utilitate credendi, cap. 12. n. 27. tom. 8. pag. 63.)* Recta autem ratio vel est *increata* quæ in mente divina existit, & lex æterna dici solet; vel *creata* quæ lumen est creaturæ rationali à Deo insitum, sive ipsa legis æternæ cognitio, quid bonum malumve, quid faciendum aut fugiendum sit indicans.

Malitia moralis generatim est actûs humani à recta ratione, sive lege æterna, dissensio. Hic duo potissimùm occurrunt excutienda. Primum, utrùm cuilibet actui humano ita necessariò competat

bonitas vel malitia moralis, ut nullus sit indifferens; secundum, unde repetenda sit hæc bonitas vel malitia moralis.

CAPUT PRIMUM.

Utrùm admittendi sint actus indifferentes.

ACTUS humanus spectari potest vel *in specie*, id est, ratione solius objecti, & semotis fine & circumstantiis; vel *in individuo*, & prout singularis est, habitâ nempè ratione & objecti, & finis, & circumstantiarum. Apud omnes certum est dari actus humanos in specie indifferentes; id est, qui neque boni sint, neque mali, si generatim duntaxat considerentur, sive ratione solius objecti quod ex se nec bonum sit nec malum; tales sunt *ambulatio*, *locutio*, &c. quæ generatim spectatæ ex se nihil habent boni vel mali: sed controvertitur utrùm admittendus sit actus humanus *in individuo* indifferens; id est, qui spectatus ratione objecti, finis & circumstantiarum simul, nullâ bonitate, nullâque malitiâ morali afficiatur. Qua de re sit sequens

PROPOSITIO.

Nullus est actus humanus in individuo *indifferens.*

Prob. 1°. Actio quælibet humana in individuo spectata, sit propter aliquem finem ultimum: atqui actio hujusmodi non potest esse *indifferens*, ad illud enim requireretur ut finis ultimus ad quem spectat agens, neque bonus esset, neque malus: atqui id absurdum est; nam duplex tantùm assignari potest finis ultimus actionis humanæ, ut

totiès diximus, scilicèt Deus aut creatura : atqui si voluntas operantis actionem referat ad Deum tanquam finem ultimum, bonus legitimusque est finis ; malus verò erit, si voluntas in aliqua re creata, tanquam in fine ultimo, conquiescat. Nam *stare in creatura sine peccato esse non potest*, inquit S. Thomas. (*Supplem. quæst.* 49. *art.* 5. *ad* 1.) Ergo, sicut finis ultimus quem sibi proponit agens, vel bonus est vel malus, ita quilibet actus humanus in individuo bonus est vel malus, ac proindè nullus esse potest indifferens.

Prob. 2°. Si nulla sit voluntas indifferens, sed quælibet bona sit aut mala, idem sentiendum est de quacumque actione libera quæ ex voluntate, ut fructus ex arbore, proficiscitur : atqui nulla est voluntas indifferens. *Mirum*, inquit Augustinus, *si* (voluntas) *potest in medio quodam ita consistere, ut nec bona nec mala sit : aut enim justitiam diligimus, & bona est ; .... aut si omninò non diligimus, non bona est, sed mala & pessima.* (*Lib.* 2. *de peccat. meritis, cap.* 18. *n.* 30 *tom.* 10. *pag.* 56.) Ergo pariter quilibet actus specialis à voluntate oriundus, bonus est vel malus ; nullus proindè indifferens. *Cavendum est* ; inquit Augustinus, ... *ne sicut Philosophi, facta quædam hominum media dicamus inter rectè factum & peccatum, quæ neque in rectè factis, neque in peccatis numerentur.* (*Epist.* 82. *n.* 13. *tom.* 2. *pag.* 194.)

Prob. 3°. Si quis actus in individuo esset indifferens, maximè verbum otiosum quod nempè citra omnem necessitatem & utilitatem profertur : atqui ne verbum quidem otiosum dici potest indifferens, cùm de eo rationem reddituri sint homines ante summi Judicis tribunal, sic testante Christo : *Dico autem vobis quoniam omne verbum otiosum quod locuti fuerint homines, reddent rationem de eo in die judicii.* (*Matth.* 12. 36.) Porrò *si de verbo otioso redditur ratio, quantò magis de operibus?* inquit autor Breviarii in Psalmos quod

reperitur ad calcem tom. 2. edit. BB. operum S. Hieronymi. (*In Psalm.* 16. *pag.* 154.)

Dices : In Concilio Constantiensi damnata fuit hæc propositio Joannis *Hus* : *Nulla sunt opera indifferentia ; sed hæc est divisio immediata humanorum operum, quòd sint vel virtuosa vel vitiosa* ; ergo vera est ista propositio contradictoria : *aliqua opera sunt indifferentia.*

Resp. Dist. ant. Damnata fuit præfata propositio, eo sensu quòd omnis actio bona sit vel mala, prout fit ab homine justo vel peccatore, conc. ant. eo sensu quòd actio quælibet libera non sit bona vel mala, neg. ant.

Scilicèt contendebat Joannes *Hus* peccatum esse quidquid sit ab hominibus in statu peccati mortalis constitutis ; omnia verò justorum opera totidem esse virtutis actus ; hanc fuisse ipsius mentem patet ex iis verbis præfatam propositionem subsequentibus : *Si homo est vitiosus & agat quidquam, tunc agit vitiosè ; & si est virtuosus & agat quidquam, tunc agit virtuosè ; quia sicut vitium, sive peccatum mortale, inficit universaliter actus hominis vitiosi, sic virtus vivificat omnes actus hominis virtuosi.* (*Tom.* 10. *Conc. pag.* 130. *art.* 16.)

Porrò propositionem eo sensu acceptam meritò damnavit Concilium Constantiense : docet enim fides injustum non semper malè, & justum non semper benè agere ; justus in peccata venialia non semel labitur, sic testante Scripturâ : *Si dixerimus quoniam peccatum non habemus, ipsi nos seducimus.* (1. *Joan.* 1. *v.* 8.) Imò & quandoque mortaliter peccant justi, à justitiaque excidunt, sicut de Davide legimus. Fide pariter constat peccatores aliquandò benè agere, adjuvante Dei gratiâ, priusquàm justificatione donentur. Nihil autem commune habet nostra doctrina cum præfata propositione, qualis à Joanne *Hus* propugnata fuit.

CAPUT II.

Unde repetenda sit bonitas aut malitia moralis.

EX suprà dictis compertum est actionem non esse bonam, nisi referatur ad legitimum finem ultimum, qui non alius esse potest quàm Deus; nunc autem quæritur an, præter finem, quidquam aliud sit necessarium.

PROPOSITIO.

Moralis actuum humanorum bonitas & malitia; non solùm à fine, sed etiam ab objecto & circumstantiis repetenda est.

Prob. prima pars. Illud in bonitatem & malitiam actuum humanorum influit, per quod virtutes quædam & vitia, ac proindè eorum actus, à se invicem specie distinguuntur: atqui virtutes quædam & vitia, ideòque eorum actus, à se invicem specie differunt ratione objecti circa quod versantur. Sic virtutes theologicæ à moralibus specie discrepant, quia theologicæ, qualis est caritas, Deum habent pro objecto, non autem morales, qualis est temperantia. Sic etiàm homicidium & adulterium specie distinguuntur, quia diversa sunt utriusque objecta. Cur homicidio gravius est parricidium, nisi quia aliud homicidii & aliud parricidii est objectum? Ad æstimandam igitur actuum humanorum bonitatem vel malitiam, habenda est ratio objecti circa quod versantur.

Præterea si ad pravitatem actuum humanorum

nihil conferrent ipsorum objecta, non crimen gravius esset mille numerorum, quàm unius tantùm nummi furtum, si utrumque ob eumdem finem, in iisdemque circumstantiis committeretur: atqui illud absurdum esse nemo non sentit; ergo, &c.

Prob. secunda pars, scilicèt actuum humanorum bonitatem & malitiam à circumstantiis quoque esse repetendam. 1°. *Vidua pauper* quæ in gazophilacium *misit duo minuta*, præfertur divitibus qui majorem pecuniam dederant: (*Marc.* 12.) atqui hæc vidua divitibus non anteponitur, nisi ratione circumstantiarum, scilicèt tùm paupertatis suæ, tùm voluntatis ad largiendum propensioris; unde ipsius eleemosynæ, licèt exiguæ, majus meritum accedebat.

2°. Aliquid bonitatis aut malitiæ in actus humanos ex circumstantiis redundat, si dentur actus alii aliis pejores aut meliores, licèt eumdem finem idemque objectum habeant: atqui id certum est: actio, v. g. illius qui nummum in templo furatur, pejor est quàm si extra templum fieret: idem tamen est finis, idemque objectum; siquidem utrinque intenditur boni alieni possessio; furtum igitur illud in templo factum, nonnisi propter circumstantiam loci sacri in quo committitur, crimen gravius evadit. Actio pauperis alteri pauperi eleemosynam erogantis, ceteris paribus, melior est quàm actio divitis eâdem eleemosynâ pauperem sublevantis: atqui in eo casu melior esse non potest, nisi propter adjunctam paupertatis circumstantiam; ergo, &c.

3°. Si nihil bonitatis aut malitiæ actibus humanis conferrent circumstantiæ, tunc clavibus Ecclesiæ subjici non deberent, quia actionem non facerent meliorem aut deteriorem: atqui tamen clavibus Ecclesiæ aliquandò subjiciendæ sunt circumstantiæ: id enim expressè definit Concilium Tridentinum de circumstantiis speciem peccati mutantibus, & rationem affert ex qua colligitur eas

etiam in confessione declarandas esse, quæ peccati gravitatem plurimùm augent, ut scilicèt *peccata à pœnitentibus integrè exponantur.* (*Sess.* 14. *de Pœnit. cap.* 5.) Ergo, &c.

Annotandum est verò id esse discriminis inter bonitatem & malitiam moralem, quòd ad bonitatem alicujus actionis necesse sit ut hæc tria, objectum bonum, finis laudabilis & legitimæ circumstantiæ simul concurrant ; ita ut si vel unum defuerit, actio non possit esse moraliter bona, quia ex recepto axiomati, *bonùm ex integra causa ;* ad pravitatem verò actionis sufficit ut, vel unum ex his tribus, nempè objecto, fine & circumstantiis sit malum, quia ex altero axiomate, *malum ex minimo defectu.* Hinc S. Thomas, *Quilibet singularis defectus*, inquit, *causat malum ; bonum autem causatur ex integra causa.* (1. 2. *quæst.* 18. *art.* 4. *ad* 3.)

Quæres 1°. an circumstantia venialiter mala totam actûs bonitatem corrumpat.

Resp. circumstantiam malam actui bono posse duplici modo adjungi ; 1°. *antecedenter*, cùm in actum influit tanquam causa, ut si quis jejunet ad captandam hominum laudem ; 2°. *concomitanter*, ut aiunt Scholæ, quando actioni ex se bonæ & legitimum ad finem directæ, accedit in operis decursu aliquid mali ; ut si quis, inchoato bonum in finem jejunio, gloriam inanem inter jejunandum concipiat, vel inter orandum quidpiam tædii experiatur, aut aliquâ re distrahatur.

Jam verò si circumstantia venialiter mala in actum influat tanquam causa, tunc illius bonitatem omninò destruit, quia venit in partem objecti. Cùm enim aliquis, v. g. jejunat ut gloriam apud homines aucupetur, illius actionis objectum non est jejunium undè spectatum, sed jejunium propter inanem gloriam susceptum : atqui objectum illud malum est ; ergo si mala circumstantia

actui ex se bono adjuncta sit *antecedenter*, id est, tanquam causa, totam ipsius bonitatem destruit.

Si autem mala circumstantia *concomitanter* actui ex se bono, & qui ad debitum finem dirigitur, sese immisceat, tunc totam ejus bonitatem non aufert, nec omne meritum extinguit. Ita vulgò sentiunt Theologi. Si enim quælibet circumstantia venialiter mala, in ipsos etiam virtutis actus irrepens, totam eorum bonitatem perimeret, vix ullus foret actus cui subesset aliquid meriti : vix quippè ullus est in viris, etiam justis, actus ex se bonus qui vitiosâ quâdam circumstantiâ aliquantulùm non inficiatur, teporis, v. g. tædii, gloriolæ, distractionis : atqui credibile non est vix ullum in justis esse actum qui meritum quoddam sibi vindicare possit ; ratio est, quòd circumstantia hæc venialiter mala non influat in actum ex se bonum, tanquam causa vel efficiens, vel finalis præcipua ; sed velut actus posterior & planè diversus qui malus est, dum prior est bonus, quamvis illius bonitas alterius consortio minuatur.

Quæres 2°. utrùm actus exterior interiori aliquid bonitatis aut malitiæ adjiciat ; an, v. g. actio hominis eleemosynam erogantis, melior fit interiori voluntate illius qui sincerè vult eleemosynam erogare, sed non potest.

Resp. 1°. actum exteriorem per se non augere bonitatem aut malitiam actûs interni voluntatis. Scriptura enim non minùs laudat aut vituperat eos qui sincerè voluerunt aliquid facere, quàm si illud perpetrassent : sic efficacem quam habuit Abrahamus immolandi filii voluntatem, quasi in actum reverà prodiisset, Deus æstimavit : *Quia fecisti hanc rem, & non pepercisti filio tuo unigenito propter me, benedicam tibi.* (*Genes.* 22. 16.) Ex adverso, ut notat Augustinus, immoderata Nemrodi superbia, qui turrim usque ad cœlum erigere voluit, proindè punita est ac si rem ipsam perfecisset. Unde

concludit S. Doctor *meritò malum puniri affectum, etiam cui non succedit effectus.* (*Lib.* 16. *de civit. Dei, cap.* 4. *tom.* 7. *pag.* 419.) Ipsemet Christus asserit eum qui mulierem aspexerit cum animo peccandi, non minùs reum esse, quàm si crimen exteriùs commisisset: *Omnis*, inquit, *qui viderit mulierem ad concupiscendum eam, jam mœchatus est eam in corde suo.* (*Matth.* 5. 28.) Innuens videlicèt quoad naturam & vim criminis, perindè se habere efficacem voluntatis actum & propositum, ac opus ipsum. Hæc doctrina communi sensu ita nititur, ut axiomatis loco dici soleat voluntatem pro facto reputari, ex animoque & affectu præsertim, tùm benè, tùm malè facta æstimanda esse.

Resp. 2°. Quamvis actus exterior interno voluntatis actui aliquam bonitatem vel malitiam per se non adjiciat, fit tamen *per accidens* ut occasione actûs exterioris, novus bonitatis aut malitiæ gradus voluntati plerùmque accedat; 1°. quia occasione actûs exterioris multiplicantur actus interni voluntatis, dum inter exequendum opus externum voluntas multos elicit actus internos à quibus abstinuisset, si ad peragendum opus externum sese non applicuisset; 2°, quia actus exterior internos voluntatis actus facit magis continuos; 3°. quia per opus externum vehementiores fieri solent actus interni, propter delectationem scilicèt quibusdam actibus externis adjunctam. Quapropter grates Deo sunt agendæ pro remota & sublata actûs exterioris & pravi occasione; quia, eâ submotâ, tollitur etiam augendæ, continuandæ & firmandæ malæ voluntatis occasio.

DISSERTATIO II.

De Actuum humanorum merito.

ACTUS *meritorii* nomine intelligitur opus mercede & præmio dignum. Duplex meriti genus admittunt Theologi; aliud appellare solent *de condigno*, aliud autem *de congruo*. Utriusque discrimen ducitur ex proportione quam habet actio cum mercede. Ubi actio æqualis est mercedi, sive id habeat ex promissione divina, sive ex dignitate gratiæ, tùm dicitur *meritum de condigno*. Si actio non sit æqualis mercedi, vel si id tantùm habeat, ut liberalitatem Dei excitare quidem possit, sed non per se exigere, tunc appellatur *meritum de congruo*. Sic contritio sincera peccatoris, divinam misericordiam excitare potest; sed propriè mereri vel exigere nequit. Bonitati quidem divinæ congruit ut respiciat ad pœnitentis gemitus, dolorem & bona opera, quæ idcirco dicuntur *meritoria de congruo*: verùm hæc omnia non ejusmodi sunt, ut injustus habeatur Deus, si non respiciat. Sunt enim gemitus hominis inimici, non amici; quem justitia divina pœnæ æternæ reum tenet, nondùm misericordia absolvit; quem peccatum inficit, & gratia justificans nondùm exornat.

Quæ ad meritum spectant tribus complectemur capitibus; in primo expendemus utrùm in homine admittendum sit aliquid meriti; in secundo, quæ conditiones requirantur ad meritum; in tertio, quodnam sit illius objectum.

CAPUT PRIMUM.

Utrùm in homine admittendum sit aliquid meriti.

MERITI nomen Lutheranis & Calviniſtis ita diſplicet, illud penitùs rejiciant tanquam ſuperbiam redolens, doceantque hominem nihil apud Deum mereri, *quia nihil ab homine exit, quamtumvis perfecto, quod non ſit aliquâ maculâ inquinatum.* Ita Calvinus. (*Lib.* 3. *Inſtit. cap.* 15. *ſect.* 3.)

PROPOSITIO.

Homo per gratiam operans verè & propriè meretur.

Probatur 1°. ex Scripturis in quibus dicitur Deus bonis Juſtorum operibus mercedem rependere. Abrahamum ſic loquitur : *Ego protector tuus ſum, & merces tua magna nimis.* (*Geneſ.* 15. 1.) *Ne verearis uſque ad mortem juſtificari, quoniam merces Dei manet in æternum.* (*Eccli.* 18. 22.) *Merces veſtra*, inquit Chriſtus, *copioſa eſt in cœlis.* (*Matth.* 5. 12.) *Unuſquiſque propriam mercedem accipiet ſecundùm ſuum laborem.* (1. *Cor.* 3. 8.)

Itaque Deus, teſte Scripturâ, bonis Juſtorum operibus mercedem eſt redditurus : atqui merces non poteſt eſſe ſine merito, illudque ſupponit ; ergo fide certum eſt Juſtorum operibus verum ineſſe meritum. Quinimò illud vocabulum Calvino tantoperè exoſum adhibet Scriptura : *Miſericordia faciet locum unicuique ſecundùm meritum operum ſuorum.* (*Eccli.* 16. 15.)

Præterea quod juſtitiæ titulo debetur, & à Deo, tanquam juſto judice, rependitur, id ſanè meritum propriè dictum demonſtrat : atqui vita æterna bonis operibus ex juſtitia debetur, & à Deo, veluti æquo judice, tribuitur, ut ſic docet Apoſtolus : *Bonum certamen certavi, curſum conſummavi, fidem ſervavi. In reliquo repoſita eſt mihi corona juſtitiæ, quam reddet mihi Dominus in illa die juſtus judex : non ſolùm autem mihi, ſed & iis qui diligunt adventum ejus.* (2. *Tim.* 4. *v.* 7. & 8.) Ergo, &c.

Prob. 2°. ex Patribus. *Præceptis* (Dei) *obtemperandum eſt*, inquit S. Cyprianus, *ut accipiant merita noſtra mercedem.* (*Lib. de unit. Eccleſiæ. pag.* 199. *edit. Baluz.*) *Juſtus*, ait S. Ambroſius, *ſcit ſibi coronam bonorum eſſe repoſitam meritorum.* (*Serm.* 7. *in Pſalm.* 118. *n.* 16. *tom.* 1. *p.* 1049.) *Nullane ſunt merita Juſtorum*, ait S. Auguſtinus? *ſunt planè, quia juſti ſunt..... ſicut merito peccati tanquam ſtipendium redditur mors ; ita merito juſtitiæ, tanquàm ſtipendium, vita æterna.* (*Epiſt.* 194. *n.* 6 & 20. *tom.* 2. *pag.* 717 & 721.) Atqui in iis & aliis paſſim locis, SS. Patres verum bonis Juſtorum operibus meritum attribuunt.

Prob. 3°. breviſſimâ hâc ratione theologicâ : Chriſtus ex fidei noſtræ Symbolis, *venturus eſt judicare vivos & mortuos* : atqui nullus eſſe poteſt huic judicio locus, ſi nulla ſint hominis merita, ut ſic obſervat Auguſtinus : *Si non ſunt merita, quomodò Deus judicabit hunc mundum ?* (*Epiſt.* 214. *n.* 4. *tom.* 2. *pag.* 792.) Sapienter igitur à Concilio Tridentino ſic definitum eſt : *Si quis dixerit hominis juſtificati bona opera, ita eſſe dona Dei, ut non ſint etiam bona ipſius juſtificati merita,.... anathema ſit.* (*Seſſ.* 6. *de juſtificat. Can.* 32.)

Solvuntur objecta.

Objiciunt Novatores : 1°. Omnia Juſtorum opera ſunt peccata, ſiquidem cupiditate inficiuntur ; ergo nihil mereri poſſunt.

Resp. Neg. ant. Numquid enim mala sunt opera quorum Deus ipse est *merces magna nimis?* atqui Deus ipse est operum Justi *merces magna nimis*, ut testatur Abrahamo, *Genes.* 15. 1. Numquid mala sunt opera quæ bona esse prædicat summa veritas? *Sic luceat lux vestra coràm hominibus*, inquit Christus, *ut videant opera vestra bona.* (*Matth.* 5. 16.) Nonne bona opera in homine agnoscit Apostolus? *Omnes nos manifestari oportet ante tribunal Christi, ut referat unusquisque propria corporis, prout gessit, sive bonum, sive malum.* (2. *Cor.* 5. 10.) *Gloria, & honor, & pax omni operanti bonum.* (*Rom.* 2. 10.) Hinc Synodus Tridentina sic pronuntiat: *Si quis in quolibet bono opere justum saltem venialiter peccare dixerit; aut, quod intolerabilius est, mortaliter..... anathema sit.* (*Sess.* 6. *de justificat. Can.* 25.)

Obj. 2°. Illa merita fictitia sunt, quæ Christi meritis derogarent: atqui hominis merita derogarent Christi meritis; ergo, &c.

Resp. Neg. min. Falsum quippè est hominis merita quidquam detrahere Christi meritis; siquidem totam vim suam habent à Christi meritis & gratiâ, sine quibus nulla essent. Quemadmodùm enim Deus in ordine naturæ suam omnipotentiam manifestat, nedùm obscuret, dùm causis secundis efficaciam tribuit; ita infinitum mortis Christi pretium in eo maximè elucet, quòd non sibi tantùm, sed & nobis merendi sit principium. Hinc illud Augustini: *Nihil aliud coronat Deus quàm munera sua,* (*Epist.* 194. *n.* 19. *tom.* 2. *pag.* 720.) Hinc etiam Concilium Tridentinum: *Ipse Christus Jesus tanquam caput in membra, & tanquam vitis in palmites, in ipsos justificatos jugiter virtutem influit; quæ virtus bona eorum opera semper antecedit, & comitatur & subsequitur, & sine qua nullo pacto Deo gratia & meritoria esse possent.* (*Sess.* 6. *cap.* 16. *de justificat.*) Desinant igitur Pseudo-Reformati Catholicorum doctrinam vellicare, quasi meritis Christi derogaret.

Obj. 3°. *Cùm feceritis*, inquit Christus, *Omnia quæ præcepta sunt vobis, dicite: quia servi inutiles sumus.* (*Luc.* 17. 10.) Ergo per opera nostra nihil meremur.

Resp. Neg. conseq. Præfata verba non sic intelligenda sunt, ut omnis meriti semper expertes simus, quod manifestè pugnat cum aliis Scripturæ locis, quæ bonorum operum merita passim adstruunt; sed accipienda sunt, juxta vulgarem loquendi modum, quo servum inutilem dicere consuevimus, dum hæc tantùm facit quæ sibi præcepta sunt, nec pro domino suo quidquam aliud operatur. Interpretationem hanc confirmant verba statim subjuncta: *Quod debuimus facere, fecimus.* Præterea eo sensu intelligi possunt Christi verba, quòd nostrum obsequium, nostraque opera nihil utilitatis Deo conferant. Nostra enim in observandis Dei præceptis diligentia, nobis quidem plurimùm prodest; minimè autem Deo cui debemus cum Psalmista dicere: *Deus meus es tu, quoniam bonorum meorum non eges.* (*Psalm.* 15. 25.) Unde Job hominem sic compellat: *Quid prodest Deo, si justus fueris? aut quid ei confers, si immaculata fuerit via tua?* (*Job.* 22. 3.)

Obj. 4°. *Gratia autem Dei vita æterna*, inquit Apostolus; (*Rom.* 6. 23.) ergo vita æterna non datur ut meritorum merces, & præmium.

Resp. Neg. conseq. Nihil enim dicere vetat, vitam æternam esse gratiam simul & mercedem; 1°. gratia est, quatenùs ad eam Deus gratuitò eligit, vocat, & auxiliis efficacibus, aliàs indebitis, perducit. *Sine ulla dubitatione confitendum est*, inquit Augustinus, *ideò gratiam vitam æternam vocari, quia meritis redditur quæ gratia contulit homini;* (*Lib. de corrept. & grat. cap.* 13. *n.* 41. *tom.* 10. *pag.* 773.) 2°. Autem dicitur merces, quia rependitur bonis operibus, auxiliante gratiâ factis: *Debetur merces bonis operibus, si fiant*, ait Concilium Arausicanum II; *sed gratia quæ non*

debetur, præcedit ut fiant. (*Tom. 4. Conc. p. 1670. Can.* 18.)

Obj. 5°. Ad meritum *de condigno* requiritur ut opus noſtrum mercedi reſpondeat: atqui nullum hominis juſti opus mercedi, id eſt, vitæ æternæ, reſpondet. Unde Apoſtolus: *Non ſunt condignæ*, inquit, *paſſiones hujus temporis ad futuram gloriam quæ revelabitur in nobis.* (*Rom.* 8. 18.) Ergo, &c.

Reſp. Diſt. min. Nullum hominis juſti opus in ſe conſideratum reſpondet mercedi, conc. ſi ſpectetur prout eſt gratiâ informatum & meritis Chriſti conjunctum, neg. min.

Juſtorum quidem opera in ſe tantùm ſpectata, non hujus ſunt dignitatis quæ mercedi reſpondeat. *Id enim quod in præſenti eſt momentaneum, & leve tribulationis noſtræ, ... æternum gloriæ pondus operatur in nobis.* (2. *Cor.* 4. 17.) Sed eadem hæc opera, licèt per ſe finita & levia, vim quamdam infinitam trahunt, tùm ex meritis Chriſti unde proveniunt & ſuam mutuantur dignitatem, tùm ex gratia quæ fit in Juſtis *fons aquæ ſalientis in vitam æternam.* (*Joan.* 4. *v.* 14.)

CAPUT II.

De Conditionibus ad meritum requiſitis.

CONDITIONES ad meritum requiſitæ, partim ex agente, partim ex opere ipſo, partim ex Deo remunerante ducuntur, quæ omnia ut ſpeciatim exponantur, ſit

PROPOSITIO I.

Ad meritum ſive de condigno *ſive* de congruo, *requiritur ex parte agentis ut ſit viator; id eſt, in hac mortalis vitæ peregrinatione poſitus; ad meritum autem* de condigno, *præterea neceſſe eſt ut agens ſit in ſtatu gratiæ ſanctificantis.*

Probatur prima pars. 1°. Ex Scripturis: *Quodcumque facere poteſt manus tua inſtanter operare; quia nec opus, nec ratio, nec ſapientia erunt apud inferos quò tu properas.* (*Eccle.* 9. 10.) *Ante obitum tuum operare juſtitiam.* (*Eccli.* 14. 17.) *Venit nox*, inquit Chriſtus, *quando nemo poterit operari.* (*Joan.* 9. 4.) Ibi per *noctem* intelligit *mortem.* Unde ſic admonet Apoſtolus: *Dum tempus habemus, operemur bonum.* (*Galat.* 6. 10.) Atqui iis Scripturæ locis apertè denuntiatur, poſt mortalem hanc vitam nihil acquiri poſſe meriti.

Prob. 2°. ex Patribus. S. Cyprianus: *Quando iſtinc exceſſum fuerit*, inquit, *nullus jam pœnitentiæ locus eſt, ... hìc vita aut amittitur, aut tenetur.* (*Lib. ad Demetrium verſùs finem, p.* 224. *edit. Baluz.*) S. Hieronymus: *Tempus ſementis, tempus eſt præſens, & vita quam currimus; ... cùm iſta vita tranſierit, operandi tempus aufertur.* (*In cap.* 6. *Ep. ad Galat. tom.* 4. *part.* 1. *pag.* 313.) S. Auguſtinus: *Nemo ſperet, quod hìc neglexerit, cùm obierit, apud Deum promereri.* (*Enchir. cap.* 110. *n.* 29. *tom.* 6. *pag.* 238.) Cui finitima eſt hæc S. Proſperi ſententia: (*n.* 172.) *Fruſtrà ſibi homo poſt hoc corpus promittit, quod in hoc corpore comparare neglexerit.* (*Lib. ſentent. ex Aug. in append. pag.* 234.) Porrò ibi nullus eſt merito locus, ubi aufertur tempus operandi, & ſpes promerendi ac comparandi quod neglectum fuerit: atqui poſt mortalem hanc vitam, juxta SS. Patres aufertur tempus, &c. Ad meritum ergo ſive *de condigno*,

sive *de congruo*, requiritur ut homo sit viator. Hujus autem conditionis nulla afferri potest ratio præter voluntatem Dei, qui præsentem vitam labori & merito, futuram autem quieti & præmio destinavit.

Prob. secunda pars 1°. Illud requiritur ad meritum *de condigno*, sine quo vitam æternam promereri non possumus: atqui sine gratiæ sanctificantis, sive justitiæ statu, vitam æternam demereri nemo potest; hæc enim promittitur in Scripturis ut hæreditas quæ ad solos Dei filios pertinet: *Si filii, & hæredes quidem Dei, cohæredes autem Christi*, inquit Apostolus. (*Rom.* 8. 17.) Atqui soli Justi sunt filii Dei; ergo soli vitam æternam promereri possunt, ac proindè ad meritum *de condigno* requiritur status justitiæ.

2°. Quia absurdum est eumdem hominem vitam æternam simul & damnationem mereri: atqui id contingere poterit, si gratia justificans ad meritum *de condigno* non sit necessaria. In hac enim hypothesi idem homo in peccato mortali constitutus, vitam æternam demereri poterit, & tamen æternâ damnatione simul dignus erit, ut potè Dei inimicus, & pœnæ æternæ obnoxius; quod manifestam involvit contradictionem.

3°. Quia sic pronuntiat Deus: *Si... averterit se justus à justitia sua, ... omnes justitiæ ejus quas fecerat non recordabuntur;* (*Ezech.* 18. 24.) id est, delebitur quidquid meriti per bona opera priùs comparaverat: atqui si peccatum mortale subsequens omninò perimat merita priùs acquisita, multò magis impedit ne novum *de condigno* meritum obtineatur; ergo, &c.

Propositio II.

Ad meritum quodcumque tria requiruntur ex parte actûs: primum, ut sit liber à necessitate; secundum, ut bonus & honestus; tertium, ut ex gratia prodeat.

Prima pars ex iis constat quæ diximus, ubi de libertate hominis lapsi disputatum fuit.

Prob. secunda pars: 1°. *Reddet unicuique Deus*, inquit Apostolus, *secundùm opera ejus, iis qui secundùm patientiam boni operis, gloriam & honorem & incorruptionem quærunt, vitam æternam.* (*Rom.* 2. *v.* 6 & 7.) *Procedent qui bona fecerunt in resurrectionem vitæ.* (*Joan.* 5. 29.) Porrò in ea tantùm opera cadit meritum *de condigno*, quibus solis vitæ æternæ præmium Scriptura promittit: atqui præmium illud solis operibus bonis Scriptura promittit; ergo, &c. Prætereà in actu nihil potest esse meriti, sive *de condigno*, sive *de congruo*, nisi laude sit dignus, ut ex se patet: atqui solus actus bonus laude dignus est; ergo, &c.

Prob. tertia pars. 1°. Quia nisi actus ex gratia actuali prodierit, non potest esse verè ex omnique parte bonus; *nulla* quippè *facit homo bona*, inquit Concilium Arausicanum II, *quæ non præstet Deus ut faciat homo.* (*Can.* 2. *tom.* 4. *Concil. pag.* 1670.) *Prorsùs, si defuerit* (Dei adjutorium) inquit Augustinus, *nihil boni agere poterit homo.* (*Tom.* 5. *pag.* 755. *Serm.* 157. *n.* 12.) 2°. Opus quodcumque sine gratiæ actualis auxilio factum, ex solis naturæ viribus proveniat necesse est: atqui actus hujusmodi nihil mereri potest quod pertineat ad salutem; alioquin initium salutis solis naturæ viribus, sibique vindicare homo posset; quod in Semipelagianis damnatum est.

Propositio III.

Ad meritum de condigno *requiritur ex parte Dei pactum & promissum de mercede rependenda.*

Ut propositionem hanc stabiliant Theologi, ea Scripturæ & Traditionis loca proferre consueverunt, in quibus vita æterna dicitur benè operantibus promissa: quale est istud: *Beatus vir qui suffert tentationem, quoniam .... accipiet coronam vitæ, quam repromisit Deus diligentibus se.* (*Jacob.* 1. 12.) Hujusmodi sunt etiam ista Concilii Tridentini verba: *Benè operantibus usquem in finem .... proponenda est vita æterna .... tanquam merces ex ipsius Dei promissione ... fideliter reddenda.* (*Sess.* 6. *cap.* 16. *de justificat.*) Sed non satis ad rem pertinere videtur hæc probatio. Ex præfatis enim testimoniis id unum sequitur, nempè vitam æternam benè agentibus fuisse à Deo promissam. Quâ de re hic non agitur, sed quæritur utrùm hæc Dei promissio ita sit necessaria, ut, eâ sublatâ, potuisset Deus vitam æternam iis non rependere, qui benè operati sunt. Contendit enim *Vasquez*, ad remuneranda bona opera eo ipso Deum obligari, quòd gratiam contulerit quâ facta sunt; ita ut, etiamsi nullâ promissione sese obstrinxisset Deus, bonum tamen opus propter ejus dignitatem, non posset mercede & præmio fraudare. (*In* 1. 2. *disput.* 224.)

Probatur nostra propositio 1°. ex Concilio Senonensi an. 1528: *Faciet tandem misericordia locum unicuique, juxta meritum operum suorum, non absolutâ condignitate; ... sed gratuitâ magis & liberali repromissione.* (*In decreto fidei, cap.* 16. *tom.* 14. *Concil. pag.* 459.) Atqui si bona opera, citra ullam Dei promissionem, vitam æternam mererentur, hæc *absolutæ eorum condignitati* potiùs penderetur, quàm ex *gratuitâ* Dei *repromissione*.

Prob. 2°. Meritum *de condigno* in Deum inducit remunerandi hominis obligationem; qui enim prè-

riè meretur, jus habet id obtinendi quod meritus est; unde Apostolus ait: *In reliquo reposita est mihi corona justitiæ*: (2. *Tim.* 4. 8.) atqui Deus, ut supremus omnium Dominus, non potest hominis debitor fieri, nisi ex parte ipsius præcesserit pactum aliquod & promissum, per quod ultrò sese obligaverit ad præmium pro hoc vel illo opere nobis tribuendum. *Debitorem*, inquit Augustinus, *Dominus ipse se fecit, non accipiendo, sed promittendo. Non ei dicitur: Redde quod accepisti, sed redde quod promisisti.* (*In Psal.* 83. *n.* 16. *tom.* 4. *pag.* 889.) *Debitor factus est* (Deus) *non à nobis aliquod accipiendo, sed quod ei placuit promittendo.* (*Serm.* 158. *n.* 2. *tom.* 5. *pag.* 761.)

Prob. 3°. Ad meritum *de condigno* ea requiritur conditio, sine qua nihil juris esset homini ad vitam æternam obtinendam: atqui sine Dei promissione homini nihil esset juris, &c. Homo enim per quodcumque opus bonum nihil Deo reddit, quod ipsi non debeat, aut saltem quod Deus non possit innumeris titulis exigere, creationis, v. g. conservationis, supremi in res omnes creatas dominii; ergo, &c.

Quod verò spectat ad meritum *de congruo*, ad illud non absolutè requiritur divina promissio; ad ipsum enim satis est ut actus aliquam in se bonitatem habeat, cujus intuitu excitetur Deus ad beneficium quoddam homini impertiendum: atqui actus potest esse hujusmodi; etiamsi tale beneficium à Deo non fuerit promissum. Diximus verò *non absolutè* ad meritum *de congruo* requiri promissionem divinam, ut eam aliquando intervenire significaremus: Deus enim peccatori pœnitenti veniam hic promittit: *Si impius egerit pœnitentiam ab omnibus peccatis suis, ... vitâ vivet, & non morietur.* (*Ezech.* 18. 21.)

Dices: Opus malum pœnâ dignum est, citra ullum Dei pactum; ergo pariter actio bona mercedem promeretur sine ullo Dei pacto.

Resp. Neg. conseq. & paritatem. Homo enim, dum peccat, Deum sibi non facit debitorem, sed potiùs Deo divinæque justitiæ debitorem se constituit: ubi autem agitur de merito, Deus ipse fit debitor, in eumque aliquid juris acquirit homo, ita ut, juxta S. Augustinum, Deum sic compellare queat: *Feci quod jussisti, redde quod promisisti:* (*in Psalm.* 83.) atqui non potest Deus fieri hominis debitor, nisi promissione aliquâ erga hominem sese obstrinxerit; ergo, &c.

CAPUT III.

De objecto meriti.

OBJECTUM meriti dicitur quidquid sub meritum cadit; quâ de re sit

PROPOSITIO I.

Nemo primam gratiam actualem *sibi mereri potest, etiam* de congruo.

Probatur. Ante primam gratiam *actualem*, homo ex solis naturæ viribus operatur: atqui nemo potest per solas naturæ vires gratiam mereri; siquidem omni merito prævium est ipsum gratiæ auxilium, & merâ Dei misericordiâ nobis concessum. Unde natum est illud axioma theologicum: *Principium meriti non cadit sub meritum.* Idcircò damnatum fuit illud Pelagii effatum: *Gratia secundùm merita datur.*

PROPOSITIO II.

PROPOSITIO II.

Gratia habitualis non cadit sub meritum de condigno; *eam tamen potest homo mereri* de congruo.

Probatur prima pars. Gratia *habitualis* ea est quæ hominem justum facit: atqui homo non potest mereri *de condigno* gratiam quæ ipsi justitiam conferat; siquidem ad hujusmodi meritum requiritur ut homo in statu justitiæ jam sit constitutus. Idcircò Concilium Tridentinum docet nos ideò gratis justificari, *quia nihil eorum quæ justificationem præcedunt, sive fides, sive opera, ipsam justificationis gratiam promeretur;* meritò scilicèt *de condigno.* (*Sess. 6. cap. 8. de justificat.*)

Prob. secunda pars. S. Augustinus loquens de Publicano Deum, ut sibi propitius foret, orante & peccatorem sese confitente, hæc habet: *Ista confessio meruit justificationem*, sive gratiam *habitualem*: (*Tract. 44. in Joan.*) atqui illam non potuit Publicanus mereri de condigno, ut modò probavimus; eam igitur meruit *ex congruo.*

Prætereà ad meritum *de congruo*, satis est ut opus aliquam sibi bonitatem adjunctam habeat, quæ Deum possit ex quâdam congruitate excitare ad beneficium concedendum: atqui actus quibus peccator ad gratiam *habitualem* seu justificationem sese comparat, aliquid bonitati continent quo Deus flecti, excitarique possit ad gratiam hanc impertiendam; sunt enim actus boni, ex gratia prodeuntes, Deo placente; ergo, &c.

PROPOSITIO III.

Justus de condigno *mereri potest incrementum Justitiæ, sive gratiæ habitualis.*

Probatur ex Concilio Tridentino: *Si quis dixerit.... ipsum justificatum, bonis operibus.....*

non verò mereri argumentum gratiæ, .., anathema sit: (Sess. 6. de justif. can. 32.) atqui verba hæc *verè mereri* designant meritum *de condigno*, quod solum est meritum verum & propriè dictum; ergo, &c.

PROPOSITIO IV.

Justus perseverantiam ad finem usque vitæ mereri non potest de condigno, *sed tantùm* de congruo.

Probatur prima pars. Ad meritum *de condigno* requiritur Dei promissio: atqui nulla in Scripturis exstat promissio divina de conferenda bonis Justorum operibus perseverantia. Quinimò Justi admonentur ut cum timore in salutis negotium incumbant; *Cum timore & tremore salutem vestram operamini. (Philip. 2. 12.) Qui se existimat stare; videat ne cadat* (1. *Cor.* 10, *v.* 12.) *Tu autem fide stas? noli altum sapere, sed time.* (*Rom.* 11.) Incerta est igitur perseverantia, ac proindè nulla est Dei promissio de ea justorum operibus concedenda.

Præterea ex S. Augustino, cur perseverantia huic detur, alteri non detur, mysterium est humanæ rationi inaccessum: atqui non esset hujusmodi, si perseverantia ex meritis concederetur: unde concludit S. Doctor *satis dilucidè ostendi & inchoandi, & usque in finem perseverandi gratiam Dei non secundùm merita nostra dari; sed dari secundùm ipsius secretissimam, eamdemque justissimam, sapientissimam, beneficentissimam voluntatem* (*Lib. de dono persever. cap.* 13.)

Prob. secunda pars. Augustinus de perseverantia differens, *Hoc donum*, inquit, *suppliciter emereri potest.* (*Lib. de dono persev, cap. 6. n.* 10, *tom.* 10, *pag.* 826.) Atqui justus perseverantiæ donum non potest emereri *de condigno*; ergo *de congruo* duntaxat illud mereri valet. Ratio est, quòd divinæ

bonitati congruum videatur, ut Deus justo quem amat, & à quo redamatur, amicitiæ suæ conservationem, ideòque perseverantiam non deneget, quam suppliciter & assiduis precibus efflagitat.

Dices; Justus vitam æternam quæ perseverantia est præstantior, *de condigno* meretur; ergo multò magis & perseverantiam.

Resp. Neg. conseq. In his enim tota ratio facti est suprema voluntas facientis; potuit quidem Deus statuere ut justus perseverantiam, non minùs quàm vitam æternam *de condigno* mereretur; sed illud à Deo factum esse pernegamus: ad meritum enim *de condigno* requiritur Dei promissio: atqui Deus perseverantibus promisit quidem vitam æternam, tanquam mercedem: *Qui perseveraverit usque in finem, hic salvus erit; (Matth.* 10. 22.) non ita verò Deus perseverantiam justis pollicitus est: alioqui justitia semel accepta nunquam amitti posset, cùm Deus obligatam fidem violare nequeat.

Ideò autem justis perseverantiam non promisit Deus, ut eos adversùs socordiam & negligentiam cautiores faceret; ut intelligerent propter facta quælibet bona opera, non esse securè quiescendum; sed per indefessam sollicitudinem, per continuam vigilantiam, per assiduas orationes per bonorum operum exercitationem non interruptam, saluti suæ aliaborandum esse, in justitiâque semper proficiendum, ut suo exemplo sic admonet Apostolus: *Quæ quidem retrò sunt oblivisceus, ad ea verò quæ sunt priora extendens me ipsum, ad destinatum persequor, ad bravium supernæ vocationis Dei in Christo Jesu.* (*Philip.* 3. *v.* 13 & 14.)

Finis Tomi quinti.

INDEX

TOMI QUINTI.

TRACTATUS

De Sacramento Ordinis. 1

CAPUT I. *Utrùm Ordo sit Novæ Legis Sacramentum.* 2

PROP. *Ordinatio, saltem aliqua, verum est novæ Legis Sacramentum.* 3

Solvuntur objecta. 5

CAPUT II. *Quis sit Ordinum numerus.* 7

CAPUT III. *De singulis speciatim Ordinibus.* 9

ART. I. *De Tonsura.* Ibid.

ART. II. *De Ostiarii, Lectoris, Exorcistæ & Acolythi Ordinibus.* 12

ART. III. *De Subdiaconatu.* 14

§ I. *An Subdiaconatus verum sit Sacramentum.* 15

Q. I. *Quibus nitantur argumentis, qui negant Subdiaconatum, & proindè minores Ordines, verum esse Sacramentum.* Ibid.

Q. II. *Quid responsi prædictis rationibus afferant, qui Subdiaconatum & minores Ordines, vera esse Sacramenta existimant.* 16

§. II. *De materia & forma Subdiaconatûs.* 17

PROP. *Materia Subdiaconatûs in solo calicis ac patenæ contactu probabiliùs consistit, & forma in oratione quæ calicis ac patenæ traditioni respondet.* 18

ART. IV. *De Diaconatu.* 19

§. I. *An Diaconatus sit veri nominis Sacramentum.* 20

PROP. *Diaconatus veri nominis est Sacramentum.* 21

Solvuntur objecta. 22

§. II. *De Materia & forma Diaconatûs.* 25

PROP. I. *Nec codicis Evangeliorum porrigendi, nec stolæ ac dalmaticæ imponendæ ritus, ad essentialem Diaconatûs materiam pertinet.* Ibid.

PROP. II. *Impositio manuum ipsique juncta oratio totam constituunt Diaconatûs materiam & formam.* 26

ART. V. *De Presbyteratu.* 27

§. I. *An Presbyteratus verum sit Sacramentum.* 28

PROP. *Presbyteratus verum est Sacramentum.* Ibid.

§. II. *De materia & forma Presbyteratûs.* 29

PROP. I. *Nec traditio instrumentorum, nec verba ipsi subnexa; accipe potestatem, &c. pertinent ad essentiam Presbyteratûs.* 30

PROP. II. *Materia essentialis Presbyteratûs in manuum impositione, & illius forma in oratione ipsi adjunctâ constituta est.* 31

PROP. III. *Nec prima manuum impositio, nec tertia, cui respondet hæc Episcopi oratio: Accipe Spiritum Sanctum; quorum remiseris peccata, &c. essentialis est Presbyteratûs materia; benè verò secunda manuum impositio.* 33

§. III. *De officiis presbyteratûs.* 35

ART. VI. *De Episcopatu.* 36

§. I. *Utrùm Episcopatus sit Sacramentum, & quidem à Presbyteratu distinctum.* 37

PROP. *Episcopatus verum est Sacramentum, & quidem à Sacerdotio distinctum.* 38

§. II. *De materia & forma Episcopatûs.* 40

PROP. I. *Manuum impositio essentialis est Ordinationis Episcopalis materia, & quidem probabiliter sola.* 41

PROP. II. *Ordinationis Episcopalis forma sita est in oratione per quam Episcopus consecrans, dum Ordinando manus imponit, Spiritum Sanctum invocat.* 43

§. III. *Utrum Episcopi ex jure divino sint Presbyteris Superiores.* 44

PROP. *Episcopi ex jure divino sunt Presbyteris superiores.* Ibid.

Solvuntur objecta. 47

§. IV. *Utrùm Parochi juris sint divini, suamque à Christo potestatem immediatè habeant.* 53

PROP. *Parochi juris sunt divini, suamque à Christo jurisdictionem immediatè acceptam habent.* Ibid.

Solvuntur objecta. 58

CAPUT IV. *De sacræ Ordinationis Ministro.* 64

ART. I. *De Ordinario conficiendæ Ordinationis Ministro.* 65

PROP. *Solus Episcopus ordinarius est Minister Ordinationis.* Ibid.

Solvuntur objecta. 66

ART. II. *De extraordinario sacræ Ordinationis Ministro.* 69

PROP. I. *Simplex Presbyter non potest esse extraordinarius minister consecrationis sacerdotalis.* Ibid.

Solvuntur objecta. 70

PROP. II. *Simplex Presbyter non potest esse Diaconatûs Minister extraordinarius.* 72

Solvuntur objecta. 73

ART. III. *De Ministro sacræ Ordinationis legitimo.* 75. & seq.

CAPUT V. *De subjecto Ordinationis, & conditionibus ad eam requisitis.* 80. & seq.

CAPUT VI. *De Ordinationis effectibus.* 93

PROP. I. *Ordinatio gratiam sanctificantem confert, non quidem primam quæ hominem ex non justo efficit justum; verùm secundam quæ hominem justitiâ jam ornatum facit justiorem.* 94

PROP II. *Ordinatio characterem imprimit.* 95

CAPUT VII. *De cœlibatu sacris Ordinibus annexo.* 96

ART. I. *De Ecclesiæ Latinæ circa sacrorum Ministrorum cœlibatum disciplinâ.* 97

ART. II. *De veteri & novâ Ecclesiæ Græcæ disciplinâ circa sacrorum Ministrorum continentiam.* 98

ART. III. *Quâ Lege sacri Ministri perpetuæ continentiæ fuerint addicti.* 100

PROP. *Lex cœlibatûs sacris Ministris imposita, merè Ecclesiastica est.* 101

ART. IV. *Utrùm Ecclesiasticæ perpetuæ continentiæ Lex sapienter instituta fuerit.* 102

PROP. *Perpetuæ continentiæ Lex sacris Ministris imposita, sapientiæ & æquitati consentanea est.* Ibid.

Solvuntur objecta. 104

TRACTATUS

De Irregularitatibus. 107

CAPUT I. *De irregularitate ex defectu.* 108

ART. I. *De irregularitate ex defectu animi.* 109

ART. II. *De irregularitate ex defectu corporis* 110

ART. III. *De irregularitate ex defectu natalium* 111
ART. IV. *De irregularitate ex defectu famæ.* 112
ART. V. *De irregularitate ex defectu Sacramenti, sive ex bigamia.* 113
ART. VI. *De irregularitate ex defectu perfectæ lenitatis.* 115
Q. I. *Quinam in causa criminis censeantur proximè ad mortem vel mutilationem concurrere, ideòque in irregularitatem incidere.* 116
Q. II. *An Medici & Chirugi sint irregulares, cùm membrum aliquod abscindunt, vel abscindi præcipiunt.* 117
Q. III. *An milites qui pugnant in bello, irregularitati sint obnoxii.* 118
Q. IV. *Utrùm irregulares sint Clerici, qui reorum supplicio intersunt.* Ibid.
ART. VII. *De irregularitate ex defectu libertatis.* 119
CAPUT II. *De irregularitate quæ ex delicto noscitur.* 120
ART. I. *De irregularitate ex iteratione Baptismi.* Ibid.
ART. II. *De irregularitate ex delicto hæresis.* 121
ART. III. *De irregularitate quæ propter Ordines pravè susceptos, malumque eorum usum contrahitur.* 122
ART. IV. *De irregularitate ex homicidio.* 123. & seq.
CAPUT III. *De irregularitatis effectibus.* 128
CAPUT IV. *De cessatione irregularitatis.* 129

TRACTATUS

De Officiis Clericorum. 132
CAPUT I. *De Clericorum in genere officiis.* 133
ART. I. *De iis quæ Clericis specialiter prohibentur.* Ibid & seq.
ART. II. *De iis quæ Clericis specialiter præcipiuntur.* 139. & seq.
CAPUT. II. *De officiis beneficiariorum.* 141
ART. I. *De assidua in loco beneficii Pastoris præsentia.* 142
PROP. *Beneficiarii omnes quibus incumbit animarum cura, tenentur jure tùm naturali, tum divino, tùm ecclesiastico & civili, suis in beneficiis residere.* Ibid.
Q. I. *Quænam sint causæ, quæ à residendi Lege eximant.* 144
Q. II. *Quid statuerit Concilium Trident. de absentia tum Episcoporum, tum Clericorum qui beneficium adjunctam habens animarum curam possident, tum Canonicorum.* 145 & seq.
ART. II. *De legitimo fructuum beneficii usu.* 147
PROP. I. *Beneficiarii redituum merè ecclesiasticorum non sunt Domini.* Ibid
Solvuntur objecta. 150
PROP. II. *Clerici quibus ad honestam sustentationem satis est patrimonii, non possunt ex bonis ecclesiasticis victum percipere.* 152
Solvuntur objecta. 155
CAPUT III. *De officiis Religiosorum.* 190
ART, I. *De ingressu in Religionem.* 161 & seq
ART. II. *De professione religiosa.* 163. & seq

ART. III. *De obedientia religiosa.* 166 & seq.
ART. IV. *De castitate & paupertate religiosa.* 169. & seq.
ART. V. *De Regularium claustris, gallicè clôture.* 173 & seq.

TRACTATUS

De Beneficiis. 176

CAPUT I. *De Beneficii ecclesiastici natura & divisione.* Ibid.
CAPUT II. *De variis acquirendi beneficii modis.* 179
ART. I. *De præsentatione.* 180
Q. 1°. *Quomodò acquiratur Patronatus.* 2°. *Quotuplex sit* 3°. *Quænam sint discrimina Patronatûs Ecclesiastici & Patronatûs Laici.* Ibid. & seq.
ART. II. *De electione.* 182
ART. III. *De collatione.* 183
ART. IV. *De resignatione. & permutatione.* 185 & seq.
CAPUT III. *De iis quæ hominem faciunt possidendis beneficiis inhabilem.* 190
ART. I. *De ætatis & tonsuræ defectu.* Ibid.
ART. II. *De cœlibatûs & Ordinis requisiti defectu.* 192
ART. III. *De graduum defectu.* 194
ART. IV. *De natalium defectu.* 196
ART. V. *De intentionis ad beneficium ritè possidendum requisitæ defectu.* 197
CAPUT IV. *De Lege digniorem ad beneficia eligendi.* 198

PROP. I. *Qui prætermisso digniore, confert minùs digno beneficium adjunctam habens animarum curam, graviter peccat.* Ibid.
PROP. II. *Generatim peccant graviter qui ad Beneficia, etiam simplicia, minùs dignos eligunt, prætermissis dignioribus.* 201
Q. *Utrùm in resignationibus & permutationibus locum habeat digniorem eligendi obligatio.* 202
CAPUT. V. *Utrùm plura simul beneficia possidere liceat.* 203
PROP. *Plura Beneficia, etiam simplicia, simul possideri non licet, si unum ad sustentetionem honestam sufficiat, nisi Ecclesiæ necessitas vel grandis utilitas excuset.* 204
Solvuntur objecta. 206
Q. 1°. *An licitum sit plura possidere beneficia, cum justa & legitima dispensatione.* 2°. *Utrùm liceat resignare beneficium in favorem Clerici, qui aliud jam habet non honestè vivendum sufficiens.* 208 & seq.

APPENDIX

De Pensionibus. 210 & seq.

TRACTATUS

De Simonia. 213

CAPUT I. *De simoniæ natura variisque divisionibus.* 214
CAPUT II. *Quale sit peccatum simonia.* 216
PROP. I. *Simonia peccatum est gravissimum.* Ibid.

PROP. II. *Ad Simoniam perindè est, sive tanquam rei spiritualis pretium, sive tanquam illius conferendæ motivum & incitamentum offeratur aliquid temporale.* 217

CAPUT III. *De pretio, sive munere simoniaco.* 219

ART. I. *De munere à manu.* Ibid.

ART. II. *De munere à lingua.* 220 & seq.

ART. III. *De munere ab obsequio.* 223

CAPUT IV. *De materia simoniæ.* 224

ART. I. *De functionibus ecclesiasticis, quæ simoniam admittunt.* 225 & seq.

ART. II. *De simonia quæ Sacramentorum administrationi subesse potest.* 227 & seq.

ART. III. *De simonia quæ in beneficiis ecclesiasticis occurrere potest.* 232 & seq.

ART. IV. *De simonia quæ erga Sanctorum Reliquias, vasa sacra, & alia ejusmodi committi potest.* 236 & seq.

ART. V. *De simonia quæ in admissione ad professionem religiosam committi potest.* 237

§. I. *De simonia quæ in Monasterium dives irrepere potest.* Ibid. & seq.

§. II. *De simonia quæ locum habere potest in Monasteriis pauperibus.* 241

CAPUT V. *De panis contra simoniacos constitutis.* 243 & seq.

CAPUT VI. *De obligatione restituendi quæ simoniacè accepta sunt.* 247 & seq.

TRACTATUS

De Matrimonio. 250

PARS PRIOR.

De Matrimonio, prout est contractus civilis. Ibid.

DISSERTATIO I.

De consensu ad Matrimonium requisito. 252

CAPUT I. *De veritate consensûs utriusque conjugis.* 243

PROP. *Verum validumque est illius Matrimonium, qui liberè & seriò profert verba, quibus Matrimonium firmari ex communi hominum existimatione solet, quibus illud contrahi non ignorat, quamvis intra se dicat, vel potiùs cogitet se nolle contrahere, nec sese obligare.* 254

CAPUT II. *De externa consensûs declaratione.* 257

PROP. I. *Consensus ad contrahendum Matrimonium necessarius, signo aliquo exteriori declarandus est.* Ibid.

PROP. II. *Conjugia clandestina semper fuerunt ab Ecclesia prohibita.* Ibid.

PROP. III. *Matrimonia clandestina sunt etiam irrita.* 259

Q. I. *Quid sentiendum sit de Matrimoniis quæ facta gallicè dicuntur à la gomine.* Ibid.

Q. II. *Quo numero & quales esse debeant testes.* 260

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

PROP. IV. *Ad consensum matrimonialem satis est ut per procuratorem declaretur.* 262

CAPUT. III. *De parentum in matrimonialem consensum potestate.* 263

ART. I. *An filii sine parentum consensu Matrimonium licitè contrahant.* Ibid.

PROP. I. *Filii, inconsultis parentibus, Matrimonium licitè contrahere non possunt; sed eorum consensum semper petere debent.* 264

PROP. II. *Filii ante annum ætatis suæ trigesimum, & filiæ ante vigesimum quintum completum, non solùm petere, sed etiam obtinere debent parentum consensum, ut licitè apud nos Matrimonium contrahant; nec propter injustam eorum repugnantiam ab ea Lege eximuntur.* 266

PROP. III. *Eadem ferè est Tutorum & Curatorum in Pupillos auctoritas.* 269

PROP. IV. *Si Manifestè injusta sit parentum Matrimonio filiorum obstinentium voluntas, possunt filii petito, quamvis non obtento parentum consensu, masculi quidem post annum trigesimum, fœminæ autem post vigesimum quintum expletum, Matrimonia contrahere.* 270

PROP. V. *Si justam ob causam Matrimonio filiorum parentes obsistant, filii à peccato non sunt liberi, si contrahant, quamvis non prohibeantur lege positivâ post annum trigesimum elapsum, modò parentum consensum scripto rogaverint.* 271

PROP. VI. *Si pater filii Matrimonio consentiat, mater verò dissentiat, non potest filius ad annum usque trigesimum contrahere ob debitam matri reverentiam.* 272

ART. II. *An contracta, invitis aut inconsultis parentibus Matrimonia, jure gallico rata sint & valida.* 273

PROP. *Matrimonia, invitis parentibus, contracta à filiis qui annis 25 minores sunt, non solùm quoad effectus civiles, sed etiam quoad contractûs substantiam, jure gallico irrita declarantur.* 274

Solvuntur objecta. 280

Q. *Quo anno possint filiifamilias, invitis parentibus, Matrimonium validè contrahere.* 285

CAPUT IV. *De matrimonialis consensûs libertate.* 287

ART. I. *Quis error Matrimonium faciat irritum.* Ibid.

PROP. I. *Error circa personam Matrimonium facit nullum & invalidum.* 288

PROP. II. *Error circa divitias & qualitates Matrimonium non tollit, etiamsi contrahentis animus in eas feratur, tanquam in conditionem ex qua pendere velit consensum in personam, modò id exteriùs non significaverit.* 290

PROP. III. *Error circa divitias & qualitates Matrimonium facit irritum, quando contrahens exteriùs significat consensum in personam ab illis pendere.* Ibid.

ART. II. *Quis metus libertatem consensûs matrimonialis ita perimat, ut nullum sit conjugium.* 292

PROP. *Metus gravis injustè & ad extorquendum in nuptias consensum incussus, libertatem non quidem omninò perimit, sed libertas quæ tunc superest, ad consensum matrimonialem non sufficit.* 294

Q. 1°. *Quandonam metus à parentibus incussus, ut gravis habendus sit.* 2°. *Quid agere debeat qui Matrimonium ex metu gravi injustè incusso, & propter consensum extorquendum, contraxit.* 3°. *An irritum declarari possit Matrimonium ex gravi metu contractum, si duo conjuges simul*

sponte habitaverint, vel etiam matrimonium consummaverint. 295 & seq.

DISSERTATIO II.

De institutione & fine Matrimonii. 297 & seq.

DISSERTATIO III.

De sanctitate & honestate Matrimonii. 304

PROP. *Matrimonium ex se honestum est ac licitum.* Ibid.

Solvuntur objecta. 305

DISSERTATIO IV.

De proprietatibus Matrimonii. 307

CAPUT I. *De unitate Matrimonii.* Ibid.

ART. I. *De Polygamia simultanea.* Ibid.

PROP. I. *Polygamia simultanea quâ vir unus plures habet uxores, juri naturali absolutè non repugnat.* 311

Solvuntur objecta. 313

PROP. II. *Polygamia simultanea primævæ Matrimonii institutioni adversatur.* 315

PROP. III. *Veteres Patriarchæ ex divina dispensatione, ac proindè citra culpam, plures simul duxerunt uxores.* 316

PROP. IV. *Christus, revocato ad primam originem Matrimonio, in nova lege prohibuit ne plures simul uxores habeantur.* 319

ART. II. *De Polygamia successiva, sive de secundis nuptiis.* 322

PROP. *Polygamia successiva licita est.* 323

Solvuntur objecta. 324

CAPUT II. *De Matrimonii firmitate.* 330

ART. I. *An Judæorum Matrimonia per libellum repudii verè & quoad vinculum conjugale solverentur.* 331

Argumenta Theologorum qui docent libello repudii non dissoluta fuisse quoad vinculum Judæorum Matrimonia. 332

Argumenta Theologorum qui affirmant libello repudii apud Judæos verè solutum fuisse vinculum conjugale. 335

ART. II. *Utrùm Matrimonia infidelium dissolvi possint.* 337

PROP. *Matrimonium ab infidelibus legitimè contractum, nunquam dissolvi potest quoad vinculum; ne quidem si, alterutro conjuge ad fidem converso, nolit alter cum eo pacificè vivere.* 338

Solvuntur objecta. 343

ART. III. *An Christianorum Matrimonia per adulterium solvantur.* 348

PROP. *Vinculum conjugale, sub lege evangelica, propter adulterium dissolvi non potest.* 349

Solvuntur objecta. 351

ART. IV. *Utrùm professione religiosâ solvatur Matrimonium.* 355

ART. V. *Utrùm & quibus de causis Matrimonium quoad thorum & habitationem solvi possit.* 358

PROP. I. *Conjux à conjuge propter adulterium ejus quoad thorum & habitationem disjungi potest.* 359

PROP. II. *Præter adulterium plures esse possunt legitimæ divortii causæ.* Ibid.

Q. 1°. *An divortium propter adulterii causam semper licitum sit.* 2°. *Utrùm teneatur conjux*

innocens conjugem adulterum dimittere, 3°. *An conjugum separatio quoad habitationem, ex privata ipsorum auctoritate fieri queat.* 360 & seq.

DISSERTATIO V.

De impedimentis Matrimonii. 363

CAPUT. I. *De impedimentis Matrimonii prohibentibus.* 365

PROP. I. *Matrimonia Catholicorum cum Hæreticis sunt quidem valida, sed prohibita.* 366

PROP. II. *Hujusmodi matrimonia non ita sunt vetita, ut nunquam possint ex dispensatione permitti.* 367

Q. *Quænam conditiones licitum faciant Catholicorum cum Hæreticis matrimonium.* 370

CAPUT II. *De impedimentis matrimonium dirimentibus.* Ibid.

ART. I. *De impedimento voti.* 371

ART. II. *De impedimento cognationis.* 372

§. I. *De cognatione naturali.* Ibid. & seq.

§. II. *De impedimento cognationis spiritualis.* 378 & seq.

ART. III. *De impedimento cultûs disparis.* 381 & seq.

ART. IV, *De impedimentis violentiæ, Ordinis & ligaminis.* 383

ART. V. *De impedimento criminis.* 384

ART. VI. *De impedimento publicæ honestatis* 385

ART. VII. *De impedimento affinitatis.* 387

ART. VIII. *De impedimento* clandestinitatis, *amentiæ & impotentiæ.* 390

ART. IX. *De impedimento raptûs.* 392 & seq.

CAPUT III. *De dispensatione circa matrimonii impedimenta.* 396 & seq.

CAPUT IV. *De modo quo sese gerere debent Confessarii, vel Parochi cum iis quos impedimento dirimente constringi animadvertunt.* 399

DISSERTATIO VI.

De solemnitatibus Matrimonii. 407

CAPUT. I *De sponsalibus.* Ibid. & seq.

CAPUT II. *De bannorum promulgatione* 417 & seq.

DISSERTATIO VII.

De Matrimonii usu licito vel illicito. 423

PARS II.

De Sacramento Matrimonii 431

CAPUT I. *Utrùm admittendum sit verum Matrimonii Sacramentum.* 432

PROP. *Verùm proprièque dictum in nova lege Matrimonii Sacramentum agnoscendum est.* Ibid.

Q. I. *An Matrimonium & Sacramentum ita sint unum & idem, ut alterum ab altero disjungi nequeat.* 436

Q. II. *Quas rationes afferant postremi illi Theologi.* 437

Q. III. *Quid iis Theologis objiciatur, & quid respondeant.* 439

CAPUT II. *De materia & forma Sacramenti Matrimonii.* 441

CAPUT III. *De Ministro Sacramenti Matrimonii.* 444

PROP. *Solus Sacerdos est legitimus Sacramenti Matrimonii Minister.* Ibid.

Q. 1°. *Quis Sacerdos hujus Sacramenti Minister sit.* 2°. *Quis censeatur Parochus vagorum, qui fixum non habent domicilium.* 3°. *An possit Parochus inferiori Sacerdoti potestatem facere Sacramenti illius administrandi.* 447 & seq.

CAPUT IV. *De effectibus Sacramenti Matrimonii.* 449

PROP. I. *Matrimonii Sacramentinon confert gratiam sanctificantem primam.* Ibid.

PROP. II. *Matrimonii Sacramentum iis à quibus piè suscipitur, gratiam secundam confert quæ malis in nuptias per primi hominis peccatum invectis medeatur.* 450

TRACTATUS

De actibus humanis. 453

PARS I.

De actuum humanorum principiis. 454

DISSERTATIO I.

De principiis actuum humanorum internis. Ibid

CAPUT I. *De voluntate.* 455

ART. *De voluntario.* Ibid.

§. I. *Utrùm coactio tollat voluntarium.* 456

PROP. I. *Voluntas cogi non potest quoad actus elicitos.* 457

PROP. II. *Voluntas cogi potest quoad actus imperatos.* 458

PROP. III. *Actus qui fit ex coactione* absoluta, *nullo modo est voluntarius; secùs verò si fiat ex coactione quæ sit* secundùm quid *duntaxat.* Ibid.

§. II. *An metus tollat voluntarium.* 459

PROP. *Metus gravis, quo stante, manet homo sui compos, non prorsùs tollit voluntarium, sed minuit.* Ibid.

§. III. *An ignorantia tollat voluntarium.* 461

PROP. I. *Quæ fiunt ex ignorantia vincibili, sunt voluntaria totidemque peccata, si mala sint.* 462

PROP. II. *Ignorantia quælibet prorsùs invincibilis tollit voluntarium, & à peccato excusat.* Ibid.

Q. *Utrùm ad verè proprièque peccandum, necesse sit ut actu attendamus, vel saltem suspicemur malum esse quod agimus.* 464

PROP. *Ad verè proprièque peccandum non requiritur, ut quod agimus malum esse advertamus vel suspicemur, vel de Deo cogitemus; at sufficit ut illud animadvertere potuerimus & debuerimus.* 465

Solvuntur objecta. 468

ART. II. *De libero.* 472

§. I. *Utrùm sit in homine libertas, tum à coactione, tum à qualibet necessitate; an ista libertas* ad merendum & demerendum *in statu naturæ lapsæ necessaria.* 473

PROP. I. *Non à coactione tantùm, verùm etiam à qualibet necessitate liber est homo lapsus.* 474

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

PROP. II. *Ad* merendum & demerendum *in statu naturæ lapsæ, non sufficit libertas à coactione; sed requiritur libertas à qualibet necessitate.* 477

Solvuntur objecta. 480

§. II. *Utrùm libertas humana stare possit sine æquilibrio.* 485

PROP. I. *Prorsùs rejiciendum est æquilibrium inclinationis, seu propensionis.* 486

PROP. II. *Rejiciendum est etiam æquilibrium potentiæ seu virium.* 488

CAPUT II. *De conscientia.* 491

ART. I. *De conscientia generatim sumpta.* 492

PROP. *Quidquid sit contra conscientiam peccatum est; quidquid autem, eâ dictante, geritur, non semper bonum est.* Ibid.

Solvuntur objecta. Ibid.

Q. *Quale sit illius peccatum, qui contra conscientiam agit.* 495

ART. II. *De conscientiæ divisionibus.* Ibid.

§. I. *De conscientia scrupulosa.* 497

§. II. *De conscientia dubia.* 499

PROP. *Qui conscientiam habet dubiam, ab actu debet abstinere, si nulla urgeat agendi necessitas, quæ si adfuerit, partem tutiorem eligere debet.* Ibid.

Solvuntur objecta. 501

§. III. *De conscientia, sive opinione probabili.* 504

PROP. I. *Non licet sequi opinionem minùs probabilem quæ favet libertati, in concursu alterius probabilioris quæ legi favet.* 506

PROP. II. *Non licet sequi opinionem probabilem quæ favet libertati, præ altera æquè probabili quæ stat pro lege.* 508

Solvuntur objecta. 509

PROP. III. *In materia juri naturali subjecta non licet sequi opinionem probabiliorem, relictâ tutiore, minùs probabili.* 512

Solvuntur objecta. 515

DISSERTATIO II.

De Principiis actuum humanorum externis. 518

CAPUT *unicum de fine actuum humanorum.* Ibid.

ART. I. *De hominis beatitudine.* 519

§. I. *De beatitudine tum* objectiva *tum* formali. Ibid.

PROP. I. *Homo non potest in seipso veram beatitudinem invenire.* Ibid.

PROP. II. *Beatitudo hominis* objectiva *in bonis creatis non sita est.* 520

PROP. III. *Deus solus est* objectiva *hominis beatitudo, sive summum bonum.* 521

§. II. *De animæ beatæ dotibus.* 522

PROP. I. *Æterna erit Sanctorum beatitudo.* 523

PROP. II. *Beati peccare non possunt.* 524

§. III. *De corporis beati dotibus.* 525

PROP. *Corpora mortuorum aliquando resurgent.* Ibid.

Solvuntur objecta. 530

Q. 1°. *Utrùm anima idem corpus sit recepturæ, quod habuit in terris.* 2°. *Quænam futuræ sint corporum beatorum dotes.* 532. & seq.

ART. II. *De officio quo tenemur omnes actiones nostras ad Deum, tanquam finem ultimum, referre.* 535

PROP. I. *Opera quæ non propter Deum, sed propter creaturam peraguntur, quoad substantiam sive officium, & finem proximum bona esse possunt.* 537

PROP. II. *Homo tenetur omnes & singulas actiones deliberatas ad Deum, tanquam finem ultimum, referre ex dilectione Dei saltem inchoatâ.* Ibid.
Solvuntur objecta. 545

PARS II.

De actuum humanorum proprietatibus. 556

DISSERTATIO I.

De actuum humanorum bonitate & malitia morali. Ibid.
CAPUT I. *Utrùm admittendi sint actus indifferentes.* 557
PROP. *Nullus est actus humanus* in individuo *indifferens.* Ibid.
CAPUT II. *Undè repetenda sit bonitas & malitia moralis.* 560
PROP. *Moralis actuum humanorum bonitas & malitia, non solùm à fine, sed etiam ab objecto & circumstantiis repetenda est.* Ibid.
Q. 1°. *An circumstantia venialiter mala totam actûs bonitatem corrumpat.* 562
Q. 2°. *Utrùm actûs exterior interiori aliquid bonitatis aut malitiæ adjiciat.* 563

DISSERTATIO II.

De actuum humanorum merito. 565
CAPUT I. *Utrùm in homine admittendum sit aliquid meriti.* 361
PROP.

PROP. *Homo per gratiam operans verè & propriè meretur.* ibid.
Solvuntur objecta. 567
CAPUT II. *De conditionibus ad meritum requisitis.* 570
PROP. I. *Ad meritum sive* de condigno *sive* de congruo, *requiritur ex parte agentis ut sit viator, id est, in hac mortalis vitæ peregrinatione positus; ad meritum autem* de condigno, *præterea necesse est ut agens sit in statu gratiæ sanctificantis.* 571
PROP. II. *Ad meritum quodcumque tria requiruntur ex parte actûs: primum, ut sit liber à necessitate; secundum, ut bonus & honestus; tertium, ut ex gratia prodeat.* 573
PROP. III. *Ad meritum* de condigno *requiritur ex parte Dei pactum & promissum de mercede rependenda.* 574
CAPUT III. *De objecto meriti.* 576
PROP. I. *Nemo primam gratiam* actualem *sibi mereri potest, etiam* de congruo. ibid.
PROP. II. *Gratia habitualis non cadit sub meritum.* de condigno; *eam tamen potest homo mereri* de congruo. 577
PROP. III. *Justus* de condigno *mereri potest incrementum justitiæ, sive gratiæ habitualis.* ibid.
PROP. IV. *Justus perseverantiam ad finem usque vitæ mereri non potest* de condigno, *sed tantùm* de congruo. 578

Finis Tomi quinti.

UNIVERSIDAD AUTONOMA DE NUEVO LEON
DIRECCION GENERAL DE BIBLIOTECAS